
RB171,161

LIBRARY
of the
UNIVERSITY
of
TORONTO

780ff456



STILLMAN DRAKE

Coll.

I: printer's device on title.
5 diagrams (pp. 13, 44, 49, 62, 92)
Biermann de H. 1487
Carli-Favaro 124

II: printer's device on title and last leaf
4 diagrams (pp. 5, 39, 148, 152)
Biermann de H. 1488
Carli-Favaro 140

Slightly browned and a few waterstains

None in Houzeau-L.

t. 4 N. 400

A. Counson
Gand

CF, 12
14

LIBERTI FROMONDI
IN ACADEMIA LOVANIENSI
S. TH. DOCT. ET PROF. ORD.

ANT-ARISTARCHVS
SIVE
ORBIS-TERRÆ IMMOBILIS.
LIBER VNICVS.

In quo decretum S. Congregationis S. R. E. Cardinal. an. CIↃ. IↃC. XVI. aduerſus Pythagorico-Copernicanos editum defenditur.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXI.

Digitized by the Internet Archive
in 2024 with funding from
University of Toronto

https://archive.org/details/libertifromondia00froi

CLARISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO D. ANDREÆ TREVISIO SERENISSIMÆ BELGARVM PRINCIPIS MEDICO CVBICVLARIO D. C. Q.

AMPLISSIME DOMINE,
Quæ nuper coràm in Copernicanos breuiter diſſeruimus, ſparſa hîc vides, & diffuſa in Libelli molem. Ad Tę, inquam, noſter ANT-ARISTARCHVS venit: non vt in partes trahat, ſed ducem in hac pugnâ ſequatur, qui dudum Ariſtarchos ratione, riſu, & omni genere teli inceſſere ſoles.

Alia deinde nomina erant, quibus AMPLITVDINI TVÆ à me munus debebatur; &

 quia

quia deerat, vicem, aut confeſſionem ſaltem eius munuſculum hoc implebit. Neque ingratum, ſi benè Te noui, cui ſtudia & Muſæ iſtæ ſic ſunt cordi, vt præ illis humana omnia, & diuitias præſertim, quas alij tam effusè ſequuntur, aut altè extollunt, non in magnis, imò ne quidem in ſerijs ducas. Tibi enim

Naziãz. Oratione 9. ſunt, quales debent: ὥσπερ χνοῦς ὑπὸ λαίλαπος ἄλλοτε εἰς ἄλλους ῥιπιζόμενός τε καὶ μεταρριπιζόμενος, *inſtar pulueris, quem ab alijs ad alios turbo ventilat, & vltrò citroq́; iactat.* Rideant iſta qui eas amant: res tamen ita habet; & depreſſæ ac viles animę ſunt, quarum omnis aut princeps cura in marſupium vadit. Tu erectior: Deum primùm ſuſpicis, deinde creaturam eius & fabricam circumſpicis; & ſic tamen etiam, vt ad Auctorem per iſtas circulo quodam reuertaris: id eſt, Medicum & Philoſophum Chriſtianum agis.

Senec. de Otio Sap. cap. 32. Ideò enim Deus, & *Natura artis & pulchritudinis ſuæ conſcia ſpectatores nos tantis rerum ſpectaculis genuit, perditura fructum ſui, ſi tam magna, tam clara, tam ſubtiliter ducta, tam nitida, & non vno genere formoſa ſolitudini oſtenderet.*

Homini igitur, & Tibi, VIR AMPLISSIME, potiùs oſtendit, vt admirationem tuam

&

& amorem in Creatorem conuerteret. Ceteras virtutes tuas, quæ Auguſtæ memoriæ Principi ALBERTO PIO (ô patria nondum eluxiſti illud funus!) & incomparabili Heroinæ ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ tam carum nuper & hodie effecêre, ſileo: patientiam laborum, & viridem illum in ſenili corpore animum tantùm iam admirabor, qui nullam feſſæ ætati dat vacationem; vt cum animoſis illis & conterraneis tuis Latinis canere poſſis:

———— Non tarda ſenectus Virgil. lib. 9.
Debilitat vires animi, mutatq́ue vigorem.
Canitiem galeâ premimus.

Neque tamen tot iſtis moleſtiarum & rei familiaris impendijs, propriæ (quod multi faciunt) ſed publicæ (quod rariſſimi) caritati & vtilitatibus militas; vt omnino veriùs in Te, quàm in Alcibiadem olim, generoſum iſtud competat: Ἐμαυτοῦ μὲν ἀμελῶ, τὰ δ' Ἀθηναίων πράττω, *Meipſum negligo, res Athenienſium curo.* Plat. in Sympoſ.

Vtinam in Rep. multi hodie tales, neque tot iam vbiq; noui Argonautæ ſint, qui dum Principibus ſuis & publico operam nauare palàm videntur, occultè tamen Colchos ad

aureum vellus ſibi nauigant. Sed vouere iſthæc, ſperare nondum, licet; ac nimius ſpei ſim, ſi veteres iſtas omnium ſæculorum querelas, hoc noſtro tam infelici finiendas exiſtimem.

Vale, VIR AMPLISSIME, & aſpice qui Te ſuſpicit, ac Deum Opt. Max. orat, vt extremum hunc vitæ Tuæ curſum, vbi longiſſimè per omnia à cælo circumſcripta annorum volumina decurrerit, in æternæ felicitatis portum molliſſimè deponat.

AMPLISSIMÆ D. T.

deuotiſſimus

LIB. FROMONDVS.

Louanij Kal. Septembr. an. CIↃ.IↃC.XXXI.

AD

AD LECTOREM.

VETVS *in ſcholaſtico puluere eſt iſta rixa: Vtrùm cælum terrâ ſtante circumeat, an cælo ſtante terra vertatur.* Fuerunt (*Pythagorici*) qui dicerent, *inquit Seneca*, nos eſſe quos rerum natura neſcientes ferat, nec cæli motu fieri ortus & occaſus, ſed ipſos (*nos homines*) oriri & occidere. Digna res eſt contemplatione, vt ſciamus in quo rerum ſtatu ſimus: pigerrimam ſortiti, an velociſſimam ſedem: circa nos Deus omnia agat, an nos agat.

Lib. 7. cap. 2. Natur.

Pythagorici tamen plurium auctoritate, & mole argumentorum diu oppreſſi, donec ſæculo tandem elapſo, Nicolai Copernici Boruſſi ingenium eos erexit, & ab eo iam toto pænè Orbe diffuſi, nomen etiam Copernicanorum habent.

Fidei tamen Catholicæ alienos præcipuè hæc ſecta inuaſit, qui licet ſacrarum Scripturarum (quæ minimè Copernicanæ eſſe videntur) non omnino contemptores, interpretationis tamen liberiores, eas cereas magis habent, vt quocumque libuerit ferè ducant; cùm neminem in terris à Deo poſitum interpretem agnoſcant, cui velint acquieſcere.

In ijs hodie aut nuper Principes, Chriſtoph. Rothmannus,

mannus, VVilhelmi Lantgrauij Haſsiæ Mathematicus: Michaël Mæſtlinus, oppidi Bachnang quondam Parochus, poſteà in Academiâ Heidelbergenſi, deinde Tubingenſi (vbi eum audiuit Keplerus) Matheſeos Profeſſor: Joannes Keplerus, Rudolphi, Matthiæ, Ferdinandi Cæſarum Mathematicus: Guil. Gilbertus Colceſtrenſis, Medicus Londinenſis: Dauid Origanus Sileſius, Academiæ Brandenburgicæ Francofurti ad Viadrum Mathematicarum Profeſſor Ordinarius: & nouiſsimè, vt ex hoc etiam muſtaceo laureolam quæreret, oceano Zelandico nuper emerſit Philip. Lansbergius, Miniſter Goeſanus: quem vicini Hollandi tam altè & improbè extollunt, vt ſupra Copernicum aliquid ſapere videri poſsit; cùm tamen Kepleri ſarcinas egregiè manticulatum (etſi callidè diſsimulet) res ipſa palàm dicat, & quæ ab eo demutant (præſertim vbi ad Theologiam ſuam trahit) à vero & ratione, aut cæcus ſum, aut largiſsimè delirant. Ego Belgas meos amare & laudare effusè ſoleo, etiam qui religionis diuerſi, ſi laude aliquid dignum habent (cùm etiam in ſterquilinio gemmam æſtimemus;) hunc tamen, in iſtâ Aſtronomiæ & Theologiæ Copernicanæ parte, vt faciam adduci non poſſum: aioq́ Martinum Hortenſium in eum Belgaſq́ omnes iniurioſiſsimè nuper feciſſe, dum Commentationes *illas eius* in motum terræ diurnum, *vernaculè ab ipſo rerum iſtarum*

rudibus

rudibus & populari admirationi ſcriptas, Latinè reddidit. Si Vranometria quam promittit, ad exemplum iſtud eſt, quæſo, ne mundus eam videat, & Belgis ſuis, nihil tale meritis, iſtam ignominiam remittat. Fateor enim, Libellus ille eius tam bliteus, nuper caſu mihi lectus, bilem ad iſta quæ olim muginatus eram, ſubitò retractanda accendit. Decretum etiam S. Congregationis S. R. E Cardinalium an. CIↃ. IↃC. XVI. *aduerſus Copernicanos editum, quòd indignis modis à quibuſdam haberi viderem, propugnare animus fuit. Oſtendere, inquam, meritò magno eſſe conditum, Scripturam ſacram à Copernicanis temerari, & infinitam Dei ſapientiam quæ cælos condidit, non ornari (quod videri volunt) nimiâ iſtâ, quam captant, motuum ſimplicitate, & intelligentiæ facilitate, ſed diſcingi & euileſcere. Non intelligamus ſanè diuinas rationes; non ideò falſæ ſunt, imò diuiniores.* Θεὸς οὐκ ἄτεχνός Naziãz.
ἐστι ὡς ἡμεῖς, οὔτε ταῦτα διοικεῖται ἀτάκτως, ὅτι μὴ καὶ ἡμῖν Oratio-
λόγος γνώριμος. ἀλλ' εἴ τινα δεῖ καὶ εἰκόνα λαβεῖν τοῦ ne 16.
ἡμετέρου πάθους· οὐ πόῤῥω τῶν ναυτιώντων ἐσμὲν, καὶ ἰλιγγιώντων, οἳ στρέφεσθαι τὰ πάντα δοκοῦσιν, αὐτοὶ στρεφόμενοι. Deus artis ſuæ imperitus non eſt, quemadmodum nos ſumus; neque hæc inconditè adminiſtrantur, etiamſi rationes ignoremus. ſed ſi imagine aliquâ affectus noſtros exprimere oportet: non multùm diſſimiles ijs ſumus, qui nauſeâ in mari, aut

** verti-

vertigine laborant, qui omnia in orbem verti putant, cùm vertantur ipſi. *Vertigo, inquam, quâ terram & ædificiorum tecta infamant, in ſpiritibus cerebri eorum eſt: quod etiam ebrijs quandoque euenit,*

Iuuenal. Dum bibitur conchâ, cùm iam vertigine tectũ
Ambulat, & geminis exurgit menſa lucernis.

Ceterùm, Ant-Ariſtarchi nomen Libello meo placuit, quia Ariſtarchum Samium huius paradoxi principem fecit Archimedes, vt interpretatur Fleurantius: aut certè, ſi à conterraneo Pythagorâ poſterior accepit, ſcriptis tamen celebrauit ipſe fortaſſe primus, cùm nihil librorum à Pythagorâ fuiſſe editum, conſtet inter omnes. Audi Archimedem linguam ſuam Doricam

In Arenar. *apertâ & hiante larynge ſonantem:* Ταῦτα ἐν ταῖς γραφομέναις παρὰ τῶν Ἀστρολόγων διακρούσας Ἀρίσταρχος ὁ Σάμιος, ὑποθεσίων τινῶν ἐξέδωκεν γράψας, ἐν αἷς ἐκ τῶν ὑποκειμένων συμβαίνει τὸν κόσμον πολλαπλάσιον εἶμεν τοῦ νῦν εἰρημένου. ὑποτίθεται γὰρ τὰ μὲν ἀπλανῆ τῶν ἄστρων, καὶ τὸν ἅλιον μένειν ἀκίνητον· τὰν δὲ γᾶν περιφέρεσθαι περὶ τὸν ἅλιον κατὰ κύκλου περιφέρειαν, ὅς ἐστιν ἐν μέσῳ τῷ δρόμῳ κείμενος. Ea quæ ſcripta ſunt ab Aſtrologis diſcutiens Ariſtarchus Samius, hypotheſes quaſdam ſcriptis edidit, ex quibus ſequitur mundum eſſe multipliciter maiorem eo quem iam diximus. ſupponit enim ſtellas fixas & ſolem non moueri; terram autem circa ſolem in medio curri-

curriculi iacentem, in orbem circumferri. *Addit deinde mox, dixiſſe eum, totum orbis annui, in quo terra ambulat, circuitum, comparatione ſphæræ fixarum inſtar puncti eſſe, ideoq́ terram videri in mundi centro perpetuò quieſcere, etiamſi ipſum maximo circumcurrat ambitu: quæ ipſiſsima eſt Copernici, & hodie Copernicanorum ſententia. Solem nihilominùs in centro mundi, & medio illo curriculo malè iacêre, terramq́ peſsimè ab Ariſtarcho inde extractam fuiſſe, ac in legem,* μὴ κινεῖν εὖ κείμενον, ab eo peccatum, oſtendere hic Libellus aggreditur.*

**non movendum quod bellè iacet.* Plat. in Phileb.

APPRO-

APPROBATIO.

CEſſent ingenio ſuo blandiri, qui Terram gyrant, & ſubſequâ Fidei ratione, in hoc Fromondi Opere conuicti, vertiginis propriæ immunes conquieſcant. Act. Louanij 2. Octob. 1630.

Mart. Lunæcenius S. Theol. L. & Prof. Ordin. Apoſtolicus ac Regius Librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanciuit, nequis *Liberti Fromondi S. Th. Doctoris & in Academiâ Louanienſi Profeſſoris Ant-Ariſtarchum, ſiue de Orbe terræ immobili Librum*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ VI. Februarij M. DC. XXXI.

Signat.

Steenhuyſe.

LIBER.

LIBERTI FROMONDI ANT-ARISTARCHVS SIVE ORBIS-TERRÆ IMMOBILIS.

CAPVT PRIMVM.

Qui auctores Philoſophiæ Samiæ. Et quàm ſeriò & affirmatè ſentiant terram in orbem gyrari hodie Copernicani.

NON abſurdè Ariſtoteles, οὐ ἅπαξ, οὐδὲ δὶς, οὐδὲ ὀλιγάκις, τὰς αὐτὰς δόξας ἀνακυκλεῖν, ἀλλ' ἀπειράκις, *nec ſemel, neque bis, neque rarò eaſdem opiniones reuerti* dixit, *ſed infinities*. Vti enim ceteræ res humanæ oriuntur, aboriuntur, deinde reſurgunt vt rurſum occidant; ita opiniones & ſcita mortalium eunt redeuntque per reciprocum iſtum orbem. Lib. 1 c. 3. Meteor.

Pythagoræ Samio, aut fortè ante eum Ariſtarcho, dum cælum & terram olim non tam oculis quàm intellectu circumſpicit, in mentem venit, terram moueri, ſolem verò & cælum ſtare. Nam terram planetam quemdam eſſe cenſuit, qui circa ſolem in centro mundi defixum conuerteretur.

Pythagorici, inquit Ariſtoteles, quia ignis omnium corporum præſtantiſſimum eſt, & publici boni intereſt eum incolumem ſeruari, ideò in mundi meditullium depoſuerunt, ὃ Διὸς φυλακτὴν ὀνομάζουσι, *quod Iouis cuſtodiam appellant*. Et licet hoc Ariſtoteles de igne elemẽtari, & ego de infernali libenter acceperim, Pythagorici tamen de cæleſti & ſolari, communi conſenſu intelligunt. Pytha- Lib. 2. c. 13 Cæli.

goram ſecuti Ariſtarchus Samius (niſi tamen hic Pythagorâ vetuſtior fuit) Philolaus, Hicetas, Seleucus, Cleanthes Samius, Leucippus, Heraclides, Ecphantus, imò Plato iam ſenex, vt narrat Theophraſtus, nec pertinaciter abnuerim, quandoquidẽ *ab Archytâ Tarentino, & Timæo Locrenſi, Pythagoræ doctrinâ eruditus, elegantiam & lepôrem Socratis cum huius miſcuerit diſciplinis*, vt ait D. Hieron.

Apolog. aduerſ. Ruff.

Plutarchus tamen alicubi eum infamiâ iſtâ liberat: non tamen Numam Regem Romanorum, quem eâ mente templum Veſtæ rotundum, ad imaginem mundi, ædificaſſe memorat, in cuius medio, æterni ignis (quo ſolem repræſentabat) eſſet cuſtodia.

Plutar. in Numâ.

Hos verò omnes non philoſophatos, ſed adeò deliraſſe credit Lipſius noſter, vt palàm dicere audeat: *Vides deliria. quomodo aliter appellem? aut quid in iſta inquirã? etſi (tantus paradoxorum amor eſt) etiam patrum æuo nobilis Mathematicus* (ſine dubio, Copernicus) *hanc hæreſim excitauit, ſed cum ipſo ſepultam.* Quàm tamen fallitur! nam præter Mæſtlinum nuper, Rothmannum, Keplerum, & Origanum in Germaniâ, Patritium, Galilæum, & Foſcarinum in Italiâ, Gilbertum in Angliâ, Philip. Lanſbergium in Zelandiâ, plurimos alios per totam Europam ſparſim hodie (maximè qui inopinabilibus admirationem & famam colligere amant) conſectaneos habet. Neque etiam verum eſt, quod quidam exiſtimant, non ex intimâ animi ſui ſententiâ Copernicum hypotheſes illas de motu terræ & ſolis ſtatu confinxiſſe, & ex epiſtolâ perperàm colligunt editioni Copernici anni 1543. præfixâ. quippe non à Copernico, ſed Andreâ Oſiandro hæc adſuta fuit, cùm Copernicus mortuus iam, aut ignarus eſſet, inquit ad Pet. Ramum Keplerus. *Non igitur*, ait, *μυθολογεῖ & fabulatur Copernicus, ſed ſeriò παραδοξολογεῖ, hoc eſt φιλοσοφεῖ, quod tu in Aſtronomo deſideras.*

Lib. 2. d. 19 Phyſiol.

Epiſt. ad Ramum.

Imò Keplerus perſuadere conatur, Chriſtoph. Clauium, qui hactenus tam pertinaciter Ptolemæo adhæſerat, extremis admotum, exemplo Platonis, fluctuaſſe. *Permouit veritas vicitq;*, ait Keplerus, *anteſignanum illum Aſtronomiæ priſtinæ Profeſſorem, quem è mediâ Germaniâ noſtrâ mutuata eſt Roma, Chriſtoph. Clauium, vt iam morti vicinus, cùm aſtra quæ Galilæus detexit, errantia circa Iouem, cùm Venerem in cornua tabeſcentem, aliaq; noua cerneret, iuberet iam tandem* videre Aſtronomos, quo pacto conſtituendi ſint orbes cæleſtes, vt hæc phænomena ſaluari poſſint: *actum eſſe innuens de veteribus hypotheſibus.*

Ve-

Verùm nemo credet, Clauio morienti mentem adeò motam, vt terram mouere voluerit, qui Clauium nouit: & aliud longè eſt, exiſtimare aliquid circa eccentricos & epicyclos Ptolemæi turbandum eſſe, atque integro ſyſtemate veteri prorſus diffracto, ad Copernicum voluiſſe transfugere.

Gyrentur enim aſtra Medicea circa Iouem, Borbonia cum Venere & Mercurio circa ſolem, non idcircò tamen ſtatim ſol in mundi centrum præcipitandus, & tellus ſubuehenda eſt in eius locũ. Aliâ viâ fortaſſe phænomena iſta deduci poſſunt ad veritatem.

Hoc etiam monere oportet. ante paullò Copernicum alios etiam σεισίχθονας fuiſſe. Nam Nic. Cuſanus, S. Petri ad vincula Cardinalis, annis circiter 80. vetuſtior, *Iam nobis manifeſtum eſt*, inquit, *terram iſtam in veritate moueri, licet nobis hoc non appareat, cùm non apprehendamus motum niſi per quamdam comparationem ad fixum. Si enim quis ignoraret aquam fluere, & ripas non videret, exiſtendo in naui quomodo nauem apprehenderet moueri?* Verumtamen rudia omnia & incondita erant ante Copernicum, quæ edito & Paullo III. Pontifici Max. dedicato, eruditiſſimo REVOLVTIONVM CÆLESTIVM volumine, circa an. 1540. egregiè compoſuit & expoliuit. Sententiæ verò ſuæ, & fidei alienæ tam ſecurus fuit (quidquid hodie quidam, dicis tantùm ergô, & ad ingenij exercitationem, iſta ſcripſiſſe exiſtiment) vt dicere non vereatur: *Quamuis difficilia ſint, ac penè inopinabilia, nempe contra multorum ſententiam, in proceſſu tamen, fauente Deo, ipſo ſole clariora faciemus, Mathematicam ſaltem artem non ignorantibus.* Et ceteri Copernicani tam ſciunt terram moueri & ſolem quieſcere, quàm nomen digitoſque ſuos. Nam Gilbertus ſententiam quæ terram immobilem facit, *errorem explodendum, & aniles fabulas ſpongijs delendas* appellat. Audite etiam alibi eius threnos & lamentationem. *Lamententur & plorent docti*, inquit, *quòd nec ſuperiores Peripatetici vlli, nec ipſi adhuc vulgò philoſophantes, nec Io. Coſteus qui deridet iſta, ſapere naturam* (terræ mobilis) *tam nobilem & ſpectatam potuerint.* Quamquam tamen lamentis iſtis lepidiſſimi Poëtæ Ovveni riſum non valuerit comprimere. Is enim Epigrammate ad conterraneum ſuum Gilbertum:

Stare negas terram, nobis miracula narras.
Hæc cùm ſcriberes, in rate forſan eras.

Keplerum in hanc ſcenam producere, ſuperuacuum eſt, cum in

Lib. 2. c. 12. doct. ignorant.

Copernic. lib. 1. c. 10. Reuol.

Lib. 6. c. 3. Magnet.

cap. 5.

totâ Philoſophiâ nihil affirmatiùs, quàm hunc terræ motum, videatur credere, & in omnibus ſuis cometis, ac toto cælo, terrâ, & vbique, clariſſima huius vertiginis indicia putet ſe deprehendere.

Lib.1.Epit. Imò alibi, quaſi victâ iam aduersâ parte, & per ſtragem glorioſus incedens, *Hodierno tempore*, inquit, *præſtantiſſimi quique Philoſophorum & Aſtronomorum Copernico adſtipulantur: ſecta eſt hæc glacies, vincimus ſuffragÿs melioribus, ceteris pænè ſola obſtat ſuperſtitio, aut metus à Cleanthibus.* Ariſtarchis tamen, opinor, dicere voluit, niſi Plutarchus me fallit. Ariſtarchus enim quidam (non ille Samius, quem Archimedes narrat fuiſſe etiam inter ἐννοσιγαίους) impietatis Cleanthem Samium accuſauit, quòd Veſtam, ſiue terram moueret.

Archimed. in Arenar.

Sed quæ, amabò, illa ſuperſtitio eſt & metus, ab Ariſtarchis impietatis accuſatoribus, qui reliquias Philoſophorum à Copernici ſententiâ abſtinet? Metus, credo, Romani Pontificis, qui, vt mox dicam, non eſt valdè pronus Copernicanis. Talibus verò meticuloſis, & religione, aut naturali hebetudine impeditis, conſilium dat Keplerus. *Qui hebetior eſt*, ait, *quàm vt Aſtronomicam ſcientiam capere poſſit, vel infirmior, quàm vt inoffensâ pietate Copernico credat, ei ſuadeo, vt miſſâ ſcholâ Aſtronomicâ, damnatis etiam, ſi placet, Philoſophorum quibuſcumque placitis, ſuas res agat, & ab hac peregrinatione mundanâ deſiſtens, domum ad agellum ſuum excolendum ſe recipiat, oculiſq́; quibus ſolis videt, in hoc aſpectabile cælum ſublatis, toto pectore in gratiarum actionem & laudes Dei conditoris effundatur: certus, ſe non minorem Deo cultum præſtare, quàm Aſtronomum cui Deus hoc dedit, vt mentis oculo perſpicaciùs videat; quæq́; inuenit, ſuper ÿs Deum ſuum & ipſe celebrare poſſit & velit.*

Introduct. ad Martem.

Aut hæc non intelligo, aut vult, ſolos Lutheranos ſuos, aut aut quicumque Fidei Catholicæ obedientiam excuſſerint, Aſtronomiæ vacare, ceteris ad ſtiuam, aut aliò abactis.

Origanus etiam huius terræ motûs tam certus eſt, vt clamet, *Monſtrum mundi fingi ab Ariſtotele, & quotquot ab ipſius pendent auctoritate.*

Epiſt. ad Elect. Brãdenb.

Multum tamen ipſe demutat à Copernicanis. Nam alteram veterum quorumdam Pythagoreorum ſectam ingreſſus, terram in centro mundi relinquit, & eam vnico motu diurno, ab occaſu in ortum cottidie reuoluit. vnde motum ab ortu in occaſum omnibus ſideribus adimit, relictis dumtaxat motibus periodicis ab occaſu

caſu in ortum. Itaque non totus, ſed ſemi tantú Copernicanus eſt.

Philippus Lanſbergius verò in vicinâ Zelandiâ Miniſter Goeſanus, à Copernico etiam, ſed propiùs abit. Solem immobilem in centro mundi, terram duplici motu, annuo, & cottidiano moueri conſtituit: ſtellis tamen fixis motum proprium in Zodiaco non eripuit. Hęc autem omnia tam *firmâ & euidenti ratione* firmat, vti credit, *vt videas neminem*, ait, *cum ratione ei poſſe contradicere*. Verùm vt tota hæc ſcena meliùs inſtruatur, & faciliùs comprehendatur, oportet ſyſtematis Pythagorico-Copernicani ſchema oculis ſubijcere.

Lib de Motu terr. Cõtrou. 1.



Hîc inprimis ſolem, publicam mundi lucem, in centro, veluti in mediâ laternâ collocatum vides, radios vndique in peripheriam eiaculantem. Planetas deinde ſingulos ordine ſuo, tamquam ſatellites, ſolem regẽ throno immobili defixum circumcurſantes: proximè quidem & anguſtiſſimo ambitu Mercurium, deinde Ve-

nerem, tertiò Tellurem cum pediſſequâ Lunâ, quartò Martem, quintò Iouem, ſextò Saturnum, vltimò immobilem ſtellarum fixarum ſphæram.

Duo igitur extrema, ſol & ſphæra fixarum, fixa & immota ſunt, cetera omnia in perpetuo motu.

Argumenta quibus hanc mundi imaginem fabricantur Copernicani, nolim vniuerſa cenſendo me delaſſare: infinita quippe ſunt, & *——quod cuique repertum*
Rimanti, telum ira facit,——
nec fulmine tantùm, ſed grandine etiam innoxiâ ſæpè pugnant. Delectu igitur vtemur, & exarmare ſat erit quæ impreſſiùs videntur ferire.

Totum porrò fundamentum cui præſens fabrica innititur, eſt immobilitas ſolis, & motus annuus terræ circa ſolem, ac cottidianus circa ſuum centrum. Si enim ſol immobilis eſt, nullibi concinniùs, quàm in centro defigi poteſt, nec alibi terra cum pediſſequâ ſuâ lunâ, quàm tertio loco, conſtitui; quandoquidem certum ſit Mercurium & Venerem propiùs abeſſe à ſole, remotiùs verò Martem, Iouem, Saturnum, ac fixas. Totum igitur ſyſtema affabrè & optimè ſe habet, ſi ſol ſtet, & terra vice eius moueatur. Hoc ergo vtrumq; vt nobis perſuadeant, omnibus viribus connituntur.

CAPVT II.

Tribus motibus terram mouent Copernicani. Quibus argumentis adſtruant ei νυχθημέρινον, ſiue cottidianum circa ſuum centrum.

COpernicani præter motum, quem *accumulationis* vocant, quo terræ partes, & omnia grauia ſe accumulant & conglobant, circa terræ centrum & in altum proiecta recidunt deorſum, alios tres ei dederunt. Primum cælo primo mobili, alterum ſoli, tertium ſtellis fixis ademerunt.

Nam quia primum mobile apparet ſpatio 24. horarum ab ortu in occaſum reuolui, & ſolem ac vniuerſa ſidera ſecum rapere, negant in cælo vllum talem motum eſſe, ſed tellurem, ſiue totum terrę & aquæ globum, motu contrario, ab occaſu in ortum 24. horis circa centrum ſuum circumagi, ideoque videri ſolem & reliqua

aſtra in partem contrariam, ab ortu verſus occaſum refugere, eo modo quo Virgilianus Æneas, ait Copernicus, terræ & littoribus motum tribuit, qui erat in naui.

Prouehimur portu, terræq́ urbeſq́ recedunt. Aeneid. 3.

Et in hoc ſolo motu Origanus etiam Copernicanis conſentit.

Quia deinde ſol motu proprio & annuo dicitur Zodiaci eclipticam peragrare, hunc etiam potiùs credunt eſſe periodum, quâ tellus ſub eclipticâ è regione ſolis ſe mouet, & hinc accidere, vt ſol moueri, & de ſigno vno Zodiaci in aliud tranſire videatur. Cùm enim, inquiunt, terra in Librâ eſt, ſol in oppoſito Arietis ſigno eſſe apparet, & cùm illa ad Scorpium peruenerit, iſte (licet immotus) ad Taurum ſe promouiſſe videbitur, vt facilè intelliget quiſquis terram in præcedenti ſchemate per circulum circa ſolem deſcriptum circumferri cogitabit.

Tertius terræ motus eſt inclinatio axis, & quædam veluti libratio, quæ ſupplet vicem aliquot motuum quos alij tribuunt ſtellis fixis. Sed eam inclinationem axis terræ non omnes vno modo expediunt.

Verùm præcipuus Copernicanorum labor eſt in firmando cottidiano terræ circuitu circa ſuum axem: hoc enim euerſo, ceteri motus ſponte corruunt, vt rectè nuper vidit & dixit Tycho. Si enim terra cottidie non reuoluitur; igitur ſol ipſam ſpatio 24. horarum circuit, vt circumluſtrans faciat diem & noctem: vnde ipſe non quieſcit in centro mundi, ſed transfertur de loco ad locum. vnde etiam motus alter annuus ſub eclipticâ Zodiaci, nullo negotio ab eo adminiſtrari poteſt: quemadmodum luna, quæ etiam Copernicanorum mente, cottidie terram circumcurrit, motum ſuum proprium in Zodiaco exequitur, nec indiget vllo menſtruo telluris motu, vt ipſa ſingulis menſibus appareat longitudinem Zodiaci emetiri. Eodem igitur modo neque ſol motum telluris deſiderabit, vt ipſe quotannis videatur percurrere eamdem Zodiaci longitudinem. Hinc tandem præceſſio æquinoctiorum, & tota anomalia quam Copernicani inclinationi axis telluris tribuunt, potiùs ſoli & aſtris reddenda erit.

Tellurem igitur cottidie ab occaſu in ortum circa ſuum axem ſpatio 24. horarum conuerti ſic demonſtrant.

Primò, natura parca eſt, & ſuperfluorum verens; igitur veriſimilius eſt, terræ corpuſculum (ſic vocant cæli comparatione) cottidie

cottidie ſe reuoluere circa centrum, quàm ſolem toties maiorem tot præterea ſidera fixa, erratica, & cæleſtes ingentes capacitatis ſphæras, circa terram tam breui 24. horarum ſpatio raptari.

Hinc naſcitur alterum argumentum Gilberto. Si primi mobilis conuexitas, inquit, ad terræ ſuperficiem comparetur, vnâ horâ tantum percurrit ſpatij, quantum ambiunt 3000. circuli maiores deſcripti in terræ ſuperficie. *Quæ autem*, ait, *ſoliditas ferrea tam firma & pertinax fingi poteſt, vt tanto furore & tam ineffabili pernicitate non diſrumpatur & in fruſta abeat?* Eadem aut paria exaggerant Keplerus, Origanus, Lanſbergius, & alij. Fixa vna in cingulo Orionis iuxta Æquinoctialem, vnico horæ minuto, Germanica milliaria 75079. peruolat, inquiunt: quot ducentis etiam annis non conficiet, qui ſingulo quoque die decem milliaria fuerit emenſus. Quis non abſterreatur tam rapidum motum, quem ne imaginatio quidem ſatis poteſt aſſequi, cælis tribuere?

Lib. 6. c. 3. Magnet.

Tertiò, totam mundi compaginem & machinam diſſolueret tam inſanus cæli motus. *Cur Ptolemæus non vniuerſi ruinam, diſſolutionem, perturbationem, incendium, cæleſtes & ſupercæleſtes calamitates immenſas non veretur, à motu ſupra omnes cogitationes, ſomnia, fabulas & licentias poëticas inſuperabili, ineffabili, & incomprehenſibili?* clamat Gilbertus. Et tandem concludit: *Quare nos diurno terræ rotatu (motu ſcilicet magis conuenienti) vehimur, & ſicut cymba ſupra aquas mouetur, ita nos cum tellure conuertimur, & tamen ſtare nobis & quieſcere videmur.*

Quartò, motus ille νυχθημέρινος & cottidianus propter vtilitatem terræ eſt à naturâ repertus: igitur iuſtius eſt, vt terra ipſa de bono & ſalute ſuâ ſit ſollicita, & terga ſua cottidie in orbem ſoli & cælo, ad excipienda irradiationis & influentiarum beneficia, obuertat, quàm vt pigra, deſes, bruta, tamquam beneficij contemnens aut negligens, ambiri ſe à benefico ſidere ſinat. *Perabſurdum eſt*, inquit Keplerus, *tantam molem* (ſolis) *quam etiam perfectiorem terræ globo contendunt Philoſophi, propter huius anguſtiſſimæ pilulæ figuram (quâ fit vt ipſa ſolis igne tota frui vnâ vice non poſſit) tantum iter peragrare circumeundo, cùm terra poſſit illam hoc onere ſubleuare, compendioſiſſimâ volutione ſui corpuſculi. Perinde enim eſſet, ac ſi coquus ineptus carnem veru fixam vertere dedignatus, ignem potiùs circa carnem circulo circumageret.*

Lib. 1. Epit.

Lanſber-

Lansbergius aliâ ſed ſimili imagine, negat matres, cùm fouent paruulos ſuos ante focum, ſolere ignem ijs circumferre, ſed potiùs anticam & poſticam eorum partem ei obuertere.

Quintò, Terra, inquit Origanus, ne deſidiâ torpeſcat & in putredinem ſoluatur, motu & agitatione indiget, non cælum, quod incorruptibile eſt, aut ſaltem longiùs abeſt à tali periculo.

Sextò, Et nónne in homine μικρόκοσμῳ, ait, mobiliſſima pars, pedes, deorſum ſunt, capite interim ſtabili, ex alto proſpiciente? In magno verò mundo, terra pedes, cælum caput ſunt: quis igitur ambigat, illi motum, huic quietem, à Peripateticis & Ptolemaicis malè ademptam, reddere?

Septimò, Quies nobilior eſt motu, qui neſcio quid ſollicitum, vile & famulare habeat: vnde illa Deo potiùs competit, qui

Immotus, ſtabiliſq; manens dat cuncta moueri.

Cælo igitur & diuinioribus illis corporibus quietem, terreſtribus & abiectiſſimis motum concedamus.

Octauò, Lucerna in mediâ domo aut templo ſuſpendi ſolet, vt omnia ex æquo illuminet, & radios è centro ſphæræ illuminationis vndique in circumferentiam effundat: igitur ſol, lucerna, mundi, non alibi quàm in centro eius immobilis conſtitui debet.

Nonò, Aut terra circa ſuum centrum, aut ſol circa ipſam ſe vertere cottidie debet: ſed in ſole nulla ſunt huius motus inſtrumenta, ſunt verò in terrâ, ait Keplerus: nempe fibræ quædam magneticæ, quarum aliquæ axi parallelæ ſunt, & protenduntur à Septemtrione in meridiem, retinentque axem terræ in eodem ſemper ſitu; aliæ circulares ſunt, & ab occaſu in ortum circumcurrunt: & & iſtæ vertiginem diurnam 24. horarum efficiunt. Totum igitur telluris corpus ex duplici illo fibrarum rectarum & circularium ſe decuſſantium ordine contexitur. *Exemplum huius fibrarum implexionis*, inquit Keplerus, *non geminæ tantùm, vt hîc, ſed planè triplicis habent Medici in ſubſtantiâ ventriculi, qui conſimiliter inter tres illos fibrarum ordines, implexos mutuò, tres ventriculi facultates diſtribuunt, attractricem, retentricem, expultricem.* Lib.1.Epit.

Decimò, Quò ſol eſt propinquior terræ, eò apparet velociùs incitari: huius verò nulla alia promptior eſt cauſſa, quàm quòd ſol perigéus & terræ vicinus, vi ſuâ magneticâ, quâ omnes Planetas ab

occaſu in ortum per Zodiacum impellit, etiam terram excitet, & adiuuet, vt paullò celeriùs cottidianas reuolutiones ſuas abſoluat.

Lib. 3. Epit. *Igitur æſtate* (quando ſol apogéus, & remotiſſimus à terrâ) *vna reuolutio durat paullò longiùs*, ait Keplerus, *quàm hieme:* quando ſol perigéus, & ex propinquo magneticam telluris ſe mouendi virtutem ab occaſu verſus ortum magis incitat. Aliàs enim ſi motus iſte celerior non in terrâ, ſed in ſole eſſet, fateri oporteret ſolem à terrâ ab ortu in occaſum raptari; quod incredulum eſt & abſur-

Introduct. ad Martē. dum nimis. *Valdè igitur veriſimile eſt*, concludit Keplerus, *ibi eſſe fontem motûs telluris, vbi eſt fons motûs reliquorum quinque Planetarum*. Exiſtimat autem *certiſſimâ demonſtratione*, quinque Planetarum, hoc eſt Saturni, Iouis, Martis, Veneris, Mercurij, proprios motus effici à ſole, quem tamquam centrum adſpiciunt: hoc argumento, quòd velociùs moueantur, quò propiùs ad eum acceſſerint. Quia verò difficile videbatur, quâ ratione ſol in centro vniuerſi immotus Planetas iſtos cum terrâ in orbem torqueret, idcircò motum circularem circa centrum ſuum ſoli donat, quo ſe rapidiſſimè ab occaſu in ortum reuoluat, & vnà quinque Planetas terramque (lunam excipit, quam à terra impelli credit) corripiat. Et huius vertiginis ſolis circa ſuum centrum, argumentum nuper è maculis ſolaribus acceſſit, quas corpori ſolis inhærere, cum Galilæo putat, & reuolutione ſuperficiei nunc in oculos venire, nunc abduci.

Vndecimò, Origanus & Keplerus veram, vti imaginantur, Americani maris æſtûs tandem cauſſam repererunt in hoc cottidiano motu terræ. Nam expertum eſt, Oceanum Indicũ faciliùs & proniùs in occidentem quàm in orientem nauigari, quia fluxu peren-

Lib.1.Epit. ni, & *quauis ſagittâ celeriori* (addit liberaliter de ſuo Keplerus) in occaſum ruit, nullis per immenſam vaſtitatem frænatus littorum repagulis, donec lateri Americæ occurſet, vbi accumulatæ vndæ, & aliquamdiu libratæ, extra Zonam torridam verſus Tropicum Cancri ſe effundunt.

Quænam autem huius rei cauſſa? Partem vnam penes lunam relinquit Keplerus, alteram ponit in *inertiâ naturali aquarum ad motum, reſtitantium in occidente, cùm terra ſe ſubducat in orientem*. Id eſt, mare Indicum à Iaponiâ ad Americam vſque diffuſum, pigritiâ & partim fluiditate aquarum non poteſt pari paſſu ſequi terram circa ſuum centrum ab occaſu, in ortum cottidie

rapta-

raptatam, ideoque deſeritur, & refluit verſus occidentem, ac littori Americano impactum repellitur obliquè verſus Hiſpaniam. Eadem cauſſa, putat, littora Perüana maris Pacifici perpetuò nudat, & aquas in Inſulas Salomonis & Moluccas abducit, nullo reciproco fluxu. Alibi verò ſuſpicatur hoc aquæ in occaſum præcipiti delapſu, Moluccas & quidquid in Oceano illo Inſularum eſt vſque ad Iauas & terram Auſtralem, diruptum fuiſſe, & cùm anteà perpetua eſſet continens, in tot fragmina diſciſſam, interfluo iam vbique mari. Introduct. ad Martem.

Duodecimò, Poſſumus in poſtremo hoc agmine quædam alia quæ æſtimat Lansbergius (alij fortè contemnent) leuiter & in pompam ſolùm traducere.

Ptolemæus, inquit, concitatiſſimum motum diurnum donat ſphæræ maximæ, id eſt, primæ mobili, tardiſſimum verò minimæ, id eſt ſphæræ lunari; cùm tamen ſecundùm aliam hypotheſim, lunaris ſphæra motu proprio concitatiſſimè, octaua ſtellarum fixarum tardiſſimè incedat per Zodiacum.

Deinde, vna eademque ſphæra, ait, contrarijs ſimul motibus agitanda erit, quod palàm abſurdum.

Denique ἀδύνατον hoc, inquit, ſtatuit Ptolemæus, *Totum moueri, & partem quieſcere.* nempe ſupremam ſphæram cum vniuerſis quas ambit, mouet motu νυχθημερίνῳ, & tamen terram eiuſdem ſphæræ partem iubet quieſcere.

Conſentienter iſtis, *Non iniuriâ quærit Mæſtlinus*, ait Keplerus, *quomodo fieri poſſit, vt toto mundi ſyſtemate circumagitato, nullo eius orbe, non ignis ſphærâ (ſi qua ſit) non aëris regione ſuperiore exceptis, hic vnicus globulus* (terræ) *cuius diameter minor vicies milleſimâ parte diametri mundi, non vnà circumrapiatur.* Lib. i. Epit.

Hæc ferè ſunt quibus diurnum terræ motum, non in dubio aut veriſimili, ſed in comperto iam ponunt Copernicani. nunc diſpiciamus quibus machinis motu annuo eam circumducant circa ſolem.

CAPVT III.


Quibus argumentis moueant Copernicani tellurem annuo circuitu circa ſolem.

SI terra ſolummodò circa ſuum centrum gyraret, nec de loco in locum per Zodiacum deferretur; ſolem in centro mundi defixum, ſemper ſub eodem eclipticæ puncto cernerent Copernicani: itaque transferenda eſt per eclipticam annuo motu, vt ſol ex oppoſito videatur, eodem temporis ſpatio totam eclipticæ longitudinem circuire. Hunc tamen circuitum, Scripturâ ſacrâ, vt inquit, refragante (tanta eum iam ſubitò inceſſit religio) abnuit in terrâ eſſe, & ſoli reſtituit Origanus, cottidianâ telluris vertigine contentus. Sed annuum etiam terræ circuitum, & terram reuerà Planetam eſſe, demonſtrant Copernicani,

Primò, quia res iam ſatis confeſſa eſt, omnes Planetas corpora, inſtar telluris, opaca eſſe, & à parte ſolùm obuersâ ſoli lumen accipere. Olim hoc compertum in lunâ, nuper etiam intelleximus in Venere, quæ beneficio teleſcopij deprehenſa creſcere & decreſcere inſtar lunaris diſci. Sæpè etiam montes, valles, & infinitas alias aſperitates, & varietates in facie lunæ, magnâ voluptate & admiratione aſpeximus; vt non omnino vanè quidam olim lunam, terram quamdam cæleſtem eſſe ſint arbitrati. Quid igitur mirum, ſi terram noſtram, inſtar ſimillimæ ei lunæ, dicamus inter Planetas in Zodiaco palari? Et augetur huius rei ſpecies, quia Iouem circumeunt quaterni paruuli Planetæ pediſſequi, quos Galilæus aſtra Medicea appellat, incrementa & detrimenta lucis ſubeuntes lunari ritu, cum quibus tamen medius Iupiter incedit & ſolem circuit: quídni igitur etiam terram cum pediſſequâ ſuâ lunâ ambulare per Zodiacum arbitremur?

Secundò & longè validiùs: Exploratum iam eſt, Mercurium & Venerem proximè ambire ſolem, tamquam motus ſui proprij centrum. nam ideò per teleſcopium toto orbe plena apparet Venus, cùm directa eſt & remotiſſima à terrâ, corniculata verò, cùm retrograda & terræ viciniſſima. Id verò ſignum euidens eſt, eam nunc ſupra, nunc infra ſolem eſſe, vt cernere eſt in hac imagine.

Ocu-



Oculus enim Venerem ſole altiorem ex ſuperficie terræ ſpectans, totam faciem terris obuerſam à ſole illuſtratam videt, non verò cùm ſole humilior eſt, quia tunc ſolùm particulam lucis, cum parte obſcurâ & à ſole auersâ oſtendit.

Et alterum eius rei indicium eſt, quòd quando facies eius plena eſt, minor appareat, cùm tamen plus habeat luminis: cuius proinde vnica cauſſa eſt, quòd eo tempore ſupra ſolem aſcenderit, & longè remotior ſit à terris.

In Mercurio, propter paruitatem eius & propinquitatem ſolis, difficiliùs id deprehenditur, tamen ſimile quidpiam ſe notaſſe refert Marius. & nemo vnus eſt, qui hodie dubitet, cùm hæc vnica

 ſit

ſit ratio, cur Venus & Mercurius tam anguſto interuallo recedant vtrimque à ſole, & anguſtiori Mercurius quàm Venus: quia, inquam, longiùs abſcedere non poſſunt, quàm ſit cicumferentia circulorum ſuorum quibus exambiunt vndique ſolem.

Si verò Mercurius & Venus motus ſuos proprios conuertunt ad ſolem velut centrum (quod ante omnem teleſcopij Belgici inuentionem coniectauit Copernicus, & in ſyſtemate mundi Cap. 1. depicto vides) veri omnino ſimile, ceteros omnes Planetas ſolem etiam vt centrum ſpectare, & reliqua eumdem ordinem habere quem poſuit olim Copernicus, id eſt, ſolem, Planetarum regem in centro vniuerſi ſolium fixiſſe, quod circumludunt, tamquam ſatellites, alij Planetæ. Vnde terram centro vniuerſi eijcere neceſſe erit, & iubenda inter ceteros Planetas in Zodiaco circa ſolem ambulare.

Hinc vbi crementa & decrementa illa lucis, ope teleſcopij, in Venere detexiſſet Galilæus, in Epiſtolâ quadam Italicâ ſcripſit: *Venere neceſſariiſſimamente ſi volge intorno al ſole, come anco Mercurio, & tutti gli altri Pianeti. Coſa ben creduta da i Pythagorici, Copernico, Keplero, & me: mà non ſenſatamente prouata, come hora in Venere & in Mercurio. Haueranno dunque il Sig. Keplero & gli altri Copernicani da gloriarſi di hauer creduto & filoſofato bene: ſe bene ſi è toccato, & ci è per toccare ancora ad eſſer reputati dal' vniuerſalità de i filoſofi* in libris, *per poco intendenti, & poco meno che ſtolli.*

Quamquam tam propè hæc Latina ſint, vt nullus pænè vſus vertere, ne quiſpiam tamen hæſitet, libet hanc operam ſumere.

Venus, inquit, *circumagit ſe neceſſariò circa ſolem, veluti etiam Mercurius & omnes alij Planetæ. Res olim Pythagoricis, Copernico, Keplero, & mihi credita, ſed nondum hactenus ſenſu comprobata, quemadmodum iam in Venere & Mercurio. Habent igitur Keplerus & alij Copernicani quod glorientur ſe rectè philoſophatos: licet acciderit ipſis, & adhuc poſſit accidere, vt ab iis qui tantùm in libris philoſophantur, reputentur ſtupidi, & paullò minùs quàm fatui.*

Tertiò & validiſſimè, In ſẽtẽtiâ Copernici, vnico terræ per Zodiacum motu, concinniſſimè expediuntur omnes illæ ſtationes, directiones, retrogreſſiones ſuperiorum planetarum, Propter quas Ptolemæus cælum onerauit tam prolixâ epicyclorum ſupellectile. Si enim in ſyſtemate Copernicano Cap. 1. contempleris terram an-

nuo

nuo circuitu inter Planetas circa ſolem incedentem, facilè intelliges, cur Planetæ ſuperiores (quorum motus proprius eſt tardior quàm terræ annuus) aliquando verſus occaſum videantur retrocedere, aliquando ſtare ſub ijſdem fixis, aut inſolenter verſus ortum properare. nam quando nos cum terrâ noſtrâ, quâ vehimur, eos aſſequimur & præteruehimus, videntur retroagi verſus occidentem; paullò verò antè, ac deinde pòſt apparent conſiſtere ſub eodem firmamenti puncto, nec vllum motum proprium habere. Vis huius rei imaginem? Cùm in flumine nauigas, conijce oculos in ripam aliquantulùm antè diſſitam: moueri non apparebit, donec appropinquante & præteruehente naue, manifeſtâ fugâ videatur in contrariam partem abſcurrere. Tunc verò directus fit, & velociùs in orientem aufugere ſub fixis videtur Planeta, cùm iuxta ſolem apparet: quia, etſi ſegniùs in ortum moueatur, quàm terra, propter tamen flexum orbis annui quem terra deſcribit, linea viſualis ſecundæ ſtationis, ſiue ſecundæ diei, quâ oculus è terrâ Planetam ſpectat, cadit in punctum firmamenti orientaliorem, quàm linea viſualis diei præcedentis: vnde videtur ſolito magis feſtinare motu proprio verſus fixas orientales.

Hinc in Aſtronomiâ Copernicanâ, omnes illi Planetarum luſus, propter quos Ptolemæus epicyclos finxit, non veri, ſed apparentes & imaginarij tantùm ſunt.

Hîc etiam licet animaduertere, ait Copernicus, *cur maior in Ioue progreſſus & regreſſus appareat* (quia ſcilicet eſt orbi annuo telluris vicinior) *quàm in Saturno, & minor quàm in Marte: ac rurſus maior in Venere, quàm in Mercurio: quodq́ frequentior appareat in Saturno* (nam hunc omnium tardiſſimum terra ſæpiùs in annuo ſuo orbe aſſequitur) *talis reciprocatio, quàm in Ioue, rarior adhuc in Marte & Venere, quàm in Mercurio.* Lib.1.c.10.

Iam etiam intelligi poteſt, cur Aſtronomi maiorem Martis quàm Iouis, & Iouis quàm Saturni epicyclum fabricati ſint. Nam oculus ex terrâ, quæ Planetas illos annuo motu præteruehitur, iudicat eos qui propinquiores ſunt velociùs & longiori ſpatio regredi: quo modo ripam fluminis prænauigans, arbores ripæ vicinas exiſtimat celeriùs & longiùs (vltimi horizontis comparatione) in contrarium refugere, quàm alias longinquiores.

Quartò, Solemne eſt vt aſtra maiora, ait Keplerus, ambiantur à minoribus, tamquam reges à ſuis ſatellitibus. Sic aſtra Borbonia,

Mercurius, Venus, Mars, Iupiter, Saturnus, omnes ſole minores, circumſtipant ſolem; ſic aſtra Medicea Iouem, ſic duo ſine nomine (nos Auſtriaca vocemus) Saturnum, ſic luna terram ſe maiorem circumludit. ne igitur lex iſta frangatur, potiùs terra ſolem, quàm iſte, tantò amplior, terram circumcurrat.

Lib.4. Epit. Quintò, *Non decuit*, inquit Keplerus, *vt homo, huius mundi incola & ſpeculator futurus, in vno eius loco, velut in clauſo cubiculo reſideret, ſed in hoc ædificio ampliſſimo, tranſlatione annuâ telluris, domicilij ſui, circumambulare, ſtationes, vt ſolent menſores, diuerſas capere, hoc eſt, ſpatiari debuit, vt ſingula domûs membra tantò rectiùs intueri & dimetiri poſſet.*

Controuerſ.2. Sextò, *Demonſtrationem ſumam*, ait Lansbergius, *à cauſſâ proximâ rei demonſtrandæ, cui, vtpote ſcientificæ, nullâ ratione contradici poterit.*

Sumitur autem hæc cauſſa ex motu lunæ in longitudinem, qui, Ptolemæi & Tychonis teſtimonio, *componitur ex motu in orbe proprio, ſoliſq; in eclipticâ.* quod verum eſt, ſi tellus vnà cum lunâ longitudinem Zodiaci annuo motu perambulet, falſum autem, ſi terrâ quieſcente, ſol illo motu incedat. Ratio eſt, inquit Lansbergius: quia intereà temporis dum luna à primâ cum ſole coniunctione, emenſis 360. gradibus, id eſt, totâ Zodiaci longitudine, ad eumdem locum redit, ſol (ſi is moueatur) per grad. 29. & ſcr. 6. inde verſus ortum ſe emouerit; ac proinde tot gradibus, luna à ſecundâ coniunctione aberit: igitur totus motus lunæ ab vnâ coniunctione ad alteram non componitur ex motu proprio lunæ & vnâ ſolis; quandoquidem ſol non traxerit ſecum lunam per illos 29. grad. & 6. ſcr. Nam *orbis lunæ circa terram*, inquit, *eſt prorſus immobilis*: eſtque contra Ptolemæi & Tychonis poſtulata, *quòd orbis lunæ ſimul cum ſole circumuoluatur.* Deinde, ait, *quia orbis lunæ idem centrum habet cum orbe ſolis, ſcilicet terræ, centrum, nequit etiam illo ampliùs promoueri. atqui orbis ſolis non mouetur, ſed penitus quieſcit: ergo & orbis lunæ. Accedit & hoc: quòd orbis lunæ longiſſimè diſtet ab orbe ſolis: quem ſi epicycli inſtar ambiret, etiam per eclipticam comitaretur, non aliter quàm quatuor Planetæ Iouiales, quos celeberrimus Aſtronomus Galilæus à Galilæis noſtro ſæculo deprehendit ſimul cum Ioue per Zodiacum moueri. Sed cùm duabus ſphæris ſole ſit inferior, neque cum illo, neque ab illo moueri poteſt.*

Explicat

Explicat deinde, quomodo terrâ Copernicanâ cum lunâ ſub eclipticâ incedente, motus lunæ in longitudinem ex motu in orbe proprio circa terram, & motu terræ ſub eclipticâ, componatur: ita vt eo tempore præcisè, quo luna ſemel circa terram reuoluitur, redeat ad alteram cum ſole coniunctionem. nam ipſa intereà ſimul motu terræ ad grad. 29. & ſcr. 6. in Zodiaci longitudinem promouetur, id eſt, ad quantum ſpatium ſol illo tempore ſub eclipticâ in ortum recedere videtur. *Et hæc eſt demonſtratio noſtra ἐπιστημονικὴ*, ait Lansbergius, *cui nullâ ratione quis contradicat*. Quis rerum cæleſtium ignarus non putet pro Copernicanis debellatum eſſe ab iſthoc Thraſone? Sed reuerà

—— ſcruta quidem vt vendat ſcrutariũ laudat, Lucil.
Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbũ dimidiatam.

Sunt enim hæc σκυβάλεια κατατετριμμένα, *ſcruta detrita*, vt infrà oſtendam. Plat. in Alcib.

Vltimò, longè probabilius eſt, motus illos qui immenſæ capacitatis octauæ ſphæræ tribuuntur, in leuem aliquam axis telluris inclinationem referendos eſſe, quàm tantam machinam ob rem tantillam ſollicitare. Quædam præthereà denſâ ſatis grandine ſpargunt & obiectant Copernicani, quæ diduci vix merentur: itaque vniuerſim, & veluti per ſatyram, reijciemus vnico ictu.

Denique, ne à Scripturâ ſacrâ, quâ pars aduerſa maximè fidit, deſeri videantur, audire iubent Pſalten: *A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob.* Et Iobum: *Qui commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur.* Qui locus pro motu Copernicano tam eſt euidens, inquit Didacus Aſtunica, vt in totâ Scripturâ pro terræ ſtabilitate diſertior & explicatior nullus. Pſal. 113. Iob 9. Commẽt. in cap. 9. Iobi.

Hoc etiam, dum cogito, rapere poſſunt. Terram ארץ *erets* Hebræis dici à radice רוץ *ruts*, id eſt, *cucurrit*, quo Deus, linguæ Hebraicæ conditor, reuelare fortaſſe ſub nube huius nominis, myſterium hoc Copernicanum voluit.

CAPVT IV.

Cenſura S. Congregat. Cardinalium aduerſus Copernicanos. Et Hiſtoria Zachariæ Papæ & Virgilij Salæburgenſis Epiſcopi diffusè pertractata, quâ contendunt, in damnatione antipodum errauiſſe Pontificem.

OMnibus tamen iſtis munimentis non valuit protegi ſententia Copernicanorum, quin à S. Congregatione quinque Cardinalium qui Indici librorum præpoſiti, anno CIↃ. IↃC. XVI. hoc vulnus acceperit.

Quia ad notitiam ſanctæ Congregationis peruenit, falſam illam doctrinam Pythagoricam, diuinæq́ Scripturæ omnino aduerſantem, de mobilitate terræ, & immobilitate ſolis, quam Nicolaus Copernicus, de Reuolutionibus orbium cæleſtium, & Didacus Aſtunica in Iob etiam docent, iam diuulgari, & à multis recipi, ſicuti videre eſt ex quadam epiſtolâ impreſſâ cuiuſdam P. Carmelitæ, cuius titulus: Letera del Reu. Patre Maeſtro Paolo Antonio Foſcarini Carmelitani, ſopra l'opinione d'i Pythagorici, è del Copernico, della mobilità della terra è ſtabilità del ſole, è nouuo Pythagorico ſyſtema del mondo. In Neapoli, per Lazaro Scoriggio, anno 1615. *In quâ dictus Pater oſtendere conatur, præfatam doctrinam de immobilitate ſolis in centro mundi, & mobilitate terræ, conſonam eſſe veritati, & non aduerſari ſacræ Scripturæ: ideò ne vlteriùs huiuſmodi opinio in perniciem Catholicæ veritatis ſerpat, cenſuit dictos Nic. Copernicum de Reuolut. orbium, & Didacum Aſtunicam in Iob ſuſpendendos eſſe, donec corrigantur. Librum verò P. Paulli Foſcarini Carmelitæ omnino prohibendum, atque omnes alios libros pariter idem docentes prohibendos: prout præſenti Decreto omnes reſpectiuè prohibet, damnat, atque ſuſpendit. In quorum fidem præſens Decretum manu & ſigillo Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. Cardinalis S. Cæciliæ Epiſcopi Albanenſis ſignatum & munitum fuit. Die* V. *Martij anno* CIↃ. IↃC. XVI.

In hoc Decretum aſpiciebat nuper Lotharius Sarſius, cùm diceret, Copernicanum terræ motum *nobis Catholicis nullâ ratione permitti.* Ad quem Keplerus, atrâ

Perſ. *Bile tumens, quam non extinxerit vrna cicutæ:*

Prauam,

Prauam, vel querelam, ſi rectè, vel ſeruitutem, ſi malè. Miſeram imò conditionem rerum tempori ſubiectarum, quæ diuellit inter ſe cohærentia penituſq́; connata. Nam Catholico certè Copernico cùm ad Paullum III. ſcriberet, mihiq́; cùm anno 1604. & 1605. imitarer, nullâ ratione interdicebatur. Sed doceat ſuam Perillus mugire bouem. & niſi me fallit coniectura, formidat Sileni, quam pinxit ipſa minio inepta Aegle. Append. ad Hyperaſp.

Intelligat qui poteſt, ego, opinor, non malè. De Perillo tamen ſubdubito, an tam animoſus σεισιχθὼν *Terræ-motor* Keplerus, vt in boue eius torreri malit, quàm non mouere. Certè, ſi hoc velit, ego hypochondrijs eius malè metuo. Et (vt ioci vnius gratiam faciat) videat, ne in ſe competat iſtud D. Nazianzeni: Ἡ αὐτὴ γῆ ἕστηκε μὲν τοῖς ἐῤῥωμένοις καὶ οὐ πεπονθόσι, κινεῖται δὲ τοῖς ἰλιγγιῶσι καὶ περιτρεπομένοις, *Eadem terra ſanis & mente minimè læſis ſtat immobilis, mouetur autem ijs qui laborant vertigine & circumaguntur.* Quis enim ſanus malit vitam, quàm opinionem deſerere? Pro fide Catholicâ libenter illam ponam, pro vertigine telluris, vertiginoſus ſim, niſi mauelim retinere. Orat. 14.

Verùm ſat ſcio, quid hîc Cardinalitiæ, imò Pontificiæ auctoritati reponent, qui religionis ſequiores ſunt. Nempe Zachariam Rom. Pontificem olim errauiſſe in re aliâ, ſed ſimili, naturali. damnauiſſe enim Virgilium Salæburgenſem Epiſcopum, quòd antipodas aſſerüiſſet, contrarijs nobiſcum pedibus terram calcantes: quales tamen iam in mundo eſſe, tam compertum eſt, quàm Hiſpanos & Hollandos in Indias nauigare. Si igitur in antipodum Philoſophiâ ipſe Pontifex aberrare à vero potuit, quodnam, obſecro, piaculum eſt, ſi Cardinales in ſyſtemate Copernicano nuper fuiſſe allucinatos exiſtimemus? Et excuſant, quòd non huius ſacri tribunalis, ſed Philoſophici pulpiti, rerum naturalium cognitio ſit.

Sed de Zachariâ & Virgilio Copernicanos ipſos audiamus. *Nónne Tertulliano* (Lactantio, opinor, dicere voluit) *& Auguſtino*, inquit Keplerus, *nimiùm ſapere viſi ſunt, qui antipodas eſſe docuerunt? Et fuit quidem Virgilius Epiſcopus Salisburgenſis ab officio deiectus, quòd id eſſet auſus aſſerere. Quoties Romani Philoſophos vrbe eiecerunt? & id quidem moribus illis ſuis antiquis, quibus res ſtabat Romana.* Epiſt. ante lib. 4. Epit.

Et Origanus *ex Annalibus præſtantiſſimi* (ſic vocat) *& fideliſſimi* Epiſt. ad Elect. Brandenb.

Boiorum ſcriptoris, *Ioannis Auentini*, narrat ob aſſertos antipodas, Virgilium à Bonifacio Epiſcopo Moguntino, apud Vtilonem Boiorum (ij hodie Bauari) Regé, ac tandem apud Zachariam circa annum Chriſti 745. Rom. Pontificem, fuiſſe accuſatum. *qui ſanè*, addit Origanus, *Virgilium noſtrum* (quia, credo, Aſtronomiâ & Mathematicis Origano cognatus aut affinis fuit; nam patriâ Hibernus erat) *communi calculo damnarunt, à Sacerdotio, templo, & Eccleſiâ depulerunt*. Eadem, & ab eo Lanſbergius, qui ait, Theologos opinionem antipodum *damnare hæreſeos, & eò temeritatis peruentum anno 745. referente Auentino celebri Hiſtorico*, vt damnationem Virgilij illius Epiſcopi Salæburgenſis Zacharias fuerit auſus.

Auent. lib. 3. Annal. Boiorum.

Sed antequam hîc decernamus, *fideliſſimum* illum Origani, & *celebrem* Lansbergij teſtem, Auentinum ſuo, non laudatorum, ſtilo loquentem lubet audire. *Erat*, inquit, *Virgilius etiam in diſciplinis quas Mathematicas vocamus, & in Philoſophiâ profanâ magis, quàm tum Chriſtiani mores ferebant*, *eruditus*. *Ex illiuſmodi litterarum ſcitis*, *contra opinionem vulgi*, *& D. Aurelij Auguſtini & aliorum*, *fortè docuerat*, *id quod noſtro ſæculo non argumentis inueſtigandum*, *ſed experimentis cognitum eſt, circumfundi terræ homines vndique*, *& conuerſis inter ſe pedibus ſtare*, *vnde antipodas Græcâ nuncupant voce*. *Hoc ita acceptum eſt*, *quaſi Virgilius alium mundum*, *alios ſub terrâ homines*, *alium denique ſolem*, *atque aliam lunam eſſe aſſereret. Bonifacius hæc velut impia, & Philoſophiæ diuinæ repugnantia refutat*, *Virgilium publicè*, *priuatim arguit*, *ad recantandum has nænias prouocat, efflagitatq́; iure ſuo vt Legatus Germaniæ* (talis enim Bonifacius, & eius ſucceſſores, paullò antè erant à Zachariâ deſignati, veluti etiam Archimyſtæ regni Franciæ perpetuò declarati, & Moguntia per Carolomanni & Pipini legem, Francorum & Germaniæ conſtituta metropolis, vt ſuprà narrauit Auentinus) *ne ille huiuſmodi deliramentis ſinceram & ſimplicem Chriſti ſapientiam polluat atque contaminet. D. Virgilius* (ſanctus enim, vti & Bonifacius, fuit) *vt omnes homines ſumus, & nihil eſt ex omni parte beatum*, *hac iniuriâ ac contumeliâ laceſſitus*, *animum Vtilonis Reguli Boiorum*, *apud quem plurimùm valebat*, *abalienare à Bonifacio*, *atque inter eos diſcordiam & odium ſerere conatur. Iactabat etiam ſe à Rom. Pontifice deſignatum Epiſcopum*, *qui primus ex his quatuor quos Bonifacius Boijs conſecrarat, deceſſiſſet. D. Bonifacius id Zachariæ Pontifici Max. litteris conqueritur. Za-*

chariæ quoque Philoſophia Virgilij ſuſpecta eſſe cœpit. Ipſe igitur Legatos cum mandatis & litteris ad Vtilonem ire iubet, partes ſuas Bonifacio commendat. Virgilium Philoſophum (ſi Sacerdos ſit, inquit, *neſcio) ab templo Dei & Eccleſiâ depellito, Sacerdotio in Concilio abdicato, ſi illam peruerſam doctrinam fuerit confeſſus. Sidonio quoque* (hic Virgilij ſocius, & cum eo ad Euangelij prædicationem in Boiariam venerat) *& Virgilio comminatorias ſcripſit litteras Rom. Epiſcopus, poſtulauitq; vt Bonifacio obſequantur. Inſuper Regulo Boiorum denuntiatum eſt, vt Virgilium Romam mittat, vbi Virgilius rationem reddat, ac à Pontifice Rom. examine comprobetur.*

Hæc tam diffusè placuit transſcribere, ne ab hiſtoriâ iſtâ veteris & fuſci æui aliquis veritati fucus factum iretur, & quia Auentinus vulgò (imò, vt videtur, Card. Baronio, qui nihil hîc ab eo meminit) ignoratus. Superiora autem retractando, nullam video in ijs Zachariæ definitionem, nullum Fidei articulum: imò nouiſſima iſta verba, quibus imperat, aut rogat, Virgilium mitti Romam ad dicendam cauſſam, apertè indicant, ad ſententiam decretoriam nondum eſſe peruentum. & Epiſtola Zachariæ ad Bonifacium apertiſſimè: *Nos ſcribentes prædicto Duci* (Vtiloni) *euocatorias de prænominato Virgilio mittimus litteras, vt nobis præſentatus & ſubtili indagatione requiſitus, ſi erroneus fuerit inuentus, canonicis decretis condemnetur. qui enim ſeminant dolores, metunt eos.* Apud Baron. tom. 9. ad an. 748.

Animaduerto deinde, quæ de antipodibus veriſſimè dicta à S. Virgilio, aucta poſtmodum ab indoctis auditoribus, & accepta, quaſi alium ex aſſe mundum, alium ſolem, aliam lunam, & alia omnia ſidera voluiſſet condere: quod hæreticum, aut illi proximum eſt.

Vnde non antipodes ſeorſim reiecti à Pontifice, ſed alius mundus & alij homines in eo ſub terrâ noſtrâ, cum ſole ſuo alio & lunâ.

Si igitur hîc peccatum eſt, à S. Bonifacio fortaſſe factum, qui perperàm Pontifici interpretatus S. Virgilij mentem. Sed hunc etiam culpâ liberat Velſerus mecum, conijcitque in auditorum malitiam aut ſtuporem totam.

Quod quidam, inquit, *coniecère, non abnuerim: Virgilium de terræ ſpecie acutiùs, quàm pro vulgi captu, diſputaſſe, globoſam eſſe, & viuere è contrariâ parte, qui aduerſis veſtigijs contra noſtra veſtigia, quos antipodas vocemus. hos perinde ac nos ſole & lunâ luſtrari. Ea ignoratione audientium perperàm accepta detortaq;, lon-* Velſer. lib. 5. Boicarum.

gè alio ſenſu ad Bonifacium perlata, offenſionum præbuiſſe ſementem.

Præceſſerant autem, vt idem Velſerus narrat, & ex Epiſtolâ Zachariæ ad Bonifacium liquet, irarum aut mutuæ refrigerationis inter illos ſanctos aliæ cauſſæ. Quòd videlicet Bonifacius iterandum eorum Baptiſmum contenderet, quos Sacerdos linguæ Latinæ ignarus, *In nomine patria, & filia, & ſpiritua ſancta*, baptizaſſet: negarent verò Virgilius & Sidonius, reque ad Pontificem Zachariam delatâ, ſecundùm iſtos potiùs, reiectâ molliter S. Bonifacij ſententiâ, Pontifex pronuntiaſſet, vt patet ex Decreto, quo partem illam Epiſtolæ Zachariæ ad Bonifacium tranſtulit Gratianus.

Diſt. 4. can. 86. de Conſecrat.

Hac igitur, & id genus de cauſſis, *diſcordia inter Bonifacium & Virgilium gliſcebat*, ait Velſerus, *improbis peſſimorum hominum rumoribus excitata auctaq́; tantò nimirum faciliùs, quòd Moguntiaci vnus Epiſcopus, alter apud Boios, procul agerent. ſuffundit enim vires calumniæ, longinquitas. Bonifacius Zachariæ queſtus, reſponſum ſibi honorificum* (in diſceptatione antipodum) *in aduerſarium, aſperum abſtulit. Ceterùm Pontifex ſe Virgilium euocaturum, coràm de cauſſâ cogniturum oſtendit.* Et adijcit deinde: *Diſceptationis exitum non comperio. Fit veriſimile, aut purgaſſe ſe Virgilium Pontifici, ſiue coràm, ſiue per litteras: aut cognitis inuidorum vtrimque fraudibus (nam quâ Virgilius animi probitate & vitæ ſanctimoniâ fuit, quæ Bonifacio renuntiata neque dixiſſe, neque feciſſe potuit) vltrò, quod inter bonos ſolet, in gratiam eſſe reditum. Sanè Bonifacius toto deinde ſeptennio ſuperfuit, neque iſtius tamen diſſenſionis præterea veſtigium apparet.*

Hoc etiam ex longâ illâ Epiſtolâ Zachariæ ad Bonifacium, & illius æui hiſtoriâ didici. Magnum examen virorum eruditorum ex Britanniâ & Hiberniâ (vbi tunc Litteræ ſacræ, profanæ in magno flore & famâ, in Academijs, id eſt, Benedictinorum Monachorum monaſterijs, erant) in Gallias & Germaniam (ac inter eos Ven. Bedam, Virgilium, Sidonium, alioſque) ad Euangelium, & litteras diſſeminandas effuſum. In quibus ſcioli quidam & litteriones, vt nomen & famam ſibi facerent, Chriſtianam doctrinam falſis quibuſdam dogmatibus adulterabant. Inter eos Sampſon ille Scotus, de quo Zacharias ad Bonifacium:

Scripſit quoque inter cetera Reuerenda fraternitas tua, reperiſſe quemdam Presbyterum genere Scotum, nomine Sampſon, errantem à viâ

via veritatis, dicentemq́ ſine myſticâ inuocatione, aut lauacro regenerationis poſſe fieri Catholicum Chriſtianum, per Epiſcopalis manus impoſitionem.

Ex quibus facilis iam æſtimatio eſt, cur pronioribus auribus excipere potuerit S. Bonifacius quæ falſa de altero mundo vulgò ferebantur, tamquam à S. Virgilio aſſerta.

Quam verò tandem, quæſo, laureolam in hoc ſui Auentini muſtaceo, aduerſus definitiones Pontificias in quæſtionibus naturalibus, repererunt Copernicani? Antipodas enim alio mundo incluſos, quos alius ſol, alia luna, aliud cælum illuceat, reiecit Zacharias, & *peruerſam doctrinam* (qualem etiam non infitebuntur Copernicani) appellauit. Depulſum verò Sacerdotio & Eccleſiâ Virgilium, fallitur & fallit Origanus. *Virgilium Philoſophum,* inquit Pontifex, *à templo Dei & Eccleſiâ depellito, Sacerdotio in Concilio abdicato, ſi illam peruerſam doctrinam fuerit confeſſus,* vt ſcribit Auentinus. Vel, vti ipſa ad Bonifacium Zachariæ Epiſtola, *De peruersâ doctrinâ, quam contra Dominum & animam ſuam locutus eſt (quòd ſcilicet alius mundus, & alij homines ſub terrâ ſint, aliuſq́ ſol & luna) ſi conuictus fuerit ita confiteri, hunc, accito Concilio, ab Eccleſiâ pelle, Sacerdotij honore priuatum.*

Rem autem iſtam ad executionem perueniſſe, nullibi legit vmquam Origanus: & omnino apparet, totam hanc nubem diſcuſſam fuiſſe, vbi data Virgilio copia ſe Bonifacio explicandi. Quid autem putas in excuſationem attuliſſe? Aliud nihil, ſine dubio, quàm ſuæ & veræ Philoſophiæ explanationem. Non doceri à ſe alium mundum, alium ſolem & cælum; ſed hunc latiùs coli, quàm vulgò putetur, trans Æquatorem & Torridam, temperatam aliam Zonam eſſe, in quâ homines ſimillimâ cæli noſtratis temperie vtantur, qui in nocte noſtrâ, die, in hieme æſtate fruantur. Quibus Bonifacium & Zachariam acquieuiſſe, ſatis inde intelligitur, quòd res hîc ſteterit, nec quidquam vltrà in Virgilij doctrinam ſit anquiſitum. Sed, vt liberaliſſimi ſimus, demus ſanè Keplero, Origano, Lansbergio, Zachariam cum D. Auguſtino & Lactantio exiſtimaſſe, nullos eſſe antipodas, & idcircò vindicatum fuiſſe in Virgilium: quodnam tamen hîc oſtendere poſſunt Romanæ Sedis Decretum? Fatemur omnes, Pontificem ſub illâ Dignitate veterem hominem retinere, neque omnes opiniones falſas, quæ ei inter ſtudia vitæ antecedentis, fortè adhæſerunt,

protinus

protinus exuere. Fefellerint igitur eum D. Auguſtinus & Lactantius, & errore iſto armatus Virgilium duriùs oppugnauerit; nihil tamen, vt Pontifex, Catholicâ fide credendum Eccleſiæ, latâ lege propoſuit. imò ſtatim pòſt ait, ſe per Vtilonem Boiariæ Ducem, Romam euocaſſe Virgilium, *vt præſentatus & ſubtili indagatione requiſitus, ſi erroneus fuerit inuentus, canonicis decretis condemnetur*. Igitur canonicæ in eum condemnationis non tulit, ſed diſtulit Decretum. Quod vel inde patet, quia nemo Catholicorum ex ſententiâ illâ Zachariæ qualicumque in Virgilium latâ, oſtendere conatur, opinionem Philoſophorum ſtatuentium alterum mundum extra totum complexum huius, eſſe hæreticam.

Quid igitur muſſat Lansbergius, dum ait, ſententiam antipodum à Theologis hæreſeos eſſe damnatam? Quinam illi? veteres, an nouitij? Nullus enim mihi ſuſpectus iam in mentẽ venit, præter D. Auguſtinum & Lactantium; qui tamen etiam longiſſimè abſunt, vt opinionis diuerſos de hæreſi ſuſpectent. Imò D. Auguſtinus totum vndique terræ globum circumcoli poſſe non negat, ſed
Lib. 16. c. 9 Ciuit. *abſurdum eſſe* ſolùm credit, *dicere aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immenſitate traiectâ, nauigare ac peruenire potuiſſe*. Dubitat deinde, an *ex illâ parte, ab aquarum congerie nuda ſit terra*: quod plurimi etiam Aſtrologi ante ſæculi elapſi experientiam cenſuerunt.

Lib. 3. c. 23. Inſtit. Lactantius verò longiùs extra verum abiuit: ſed de hæreſi etiam, ne γρῦ quidem. Solùm Philoſophos deridet, qui *pendulos iſtos* (vti vocat, & futurum credebat) *antipodas*, terram ex aduerſo recalcantes conſtituebant; imaginatione ridiculâ, & ſimillimâ deluſus, quâ Plutarchus putauit eos ὥσπερ γαλεώτας, *inſtar felium*, vnguibus terræ globo oportere ſuſpendi. Lib. de Circulo lunæ.

Sed hoc ferè fugerat dum in alijs diſtringor. Io. Auentini, inquam, fides & auctoritas; quas tam altè extollit Origanus. Nam Annales, non ipſe, anno CIↃ. IↃ. XXXIV. præmortuus, ſed Hieronymus Zieglerus, Poëſeos in Academiâ Ingolſtadienſi profeſſor, anno CIↃ. IↃ. LIV. edidit, cum hoc elogio: *Multa, ſine dubio, emendaſſet Auentinus, pleraque forſitan mutaſſet etiam, ſi per fata licuiſſet.* Ac deinde, *Inuectiuas quaſdam contra Eccleſiaſticas perſonas, item fabuloſas narrationes, nihil quidquam ad hiſtoriam facientes, non fraude, ſed iudicio* à ſe *omiſſas* dicit Zieglerus. Liberrimæ enim linguæ (hæreticæ, dicere non auſim, neque puto) &

planè

planè Eraſmicæ in Monachorum & Eccleſiaſticorum vitia, fuit Auentinus: *plus etiam nimio fauens ſchiſmaticis, & parum integrâ fide res Rom. Pontificum prodidiſſe* perhibetur, ideoque meruit in claſſe Auctorum *cautè legendorũ* ab Indice expurgatorio recenſeri. Index libr. expurgat.

Tam debilis igitur & fluctuans Auentini fides ad rem tantam ſtabiliendam non ſufficit, etiamſi maximè aſſereret (quod tamen non facit) quæ loqui eum inuitum iubent Origanus & Lansbergius. Fixum igitur permaneat, non Zachariam, non alium quemquam Rom. Pontificum, in decernendâ propoſitione Fidei, quæ quæſtionem naturalem tangeret aut alluderet, vmquam erraui ſſe.

Sed res iſtæ Phyſicæ extra forum & cognitionem Pontificis ſunt, muſſitant, vt audio, inter ſe Copernicani. Falluntur. Quid enim ſi per latum Scripturæ ſacræ campum diſperſæ ſint, non poterit ſupremus Interpres verum earum ſenſum interpretari? Si tu res naturæ ei eximas, alius rem hiſtoriæ, tertius aliud quidpiam excipiet, & ſic nullius certæ rei certum penes ipſum iudicium erit: vbique enim ferè licebit ambigere, an id in forum eius & interpretationem cadat. Audiamus igitur nos ſaltem Catholici S. Synodi Tridentinæ Patres.

Sacroſancta Synodus, inquiunt, *ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo prudentiæ ſuæ innixus, in rebus Fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum* (in omni videlicet vniuerſim materiâ, quam Spiritus ſanctus ſtilo ſuo complecti aut intercipere voluerit) *aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat: etiamſi huiuſmodi interpretationes nullo vmquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à Iure ſtatutis puniantur.* Trid. ſeſſ. 4

Quid igitur cenſes? inquies: an Copernici ſententiam, præſertim poſt Cardinalium cenſuram, in hæreſim prolapſam eſſe? Rem ſatis fortè perplexam vis à me diſſolui. Sed tam citò & perfunctoriè fieri non poteſt. Hoc igitur Caput diffindamus.

CAPVT V.

An hæretica hodie cenſeri debeat ſententia Copernici.

Serat.in c.10.Ioſ. DVriter quidam hodie de Copernicanis cenſent, & hæreticos palàm appellitant. *Eſt Copernicus ceterà quidem nobilis Mathematicus*, ait ſacræ Scripturæ Interpres non ignobilis, *meritoq́ laudatus: ſed cùm aliæ, tum hæ potiſſimùm duæ ipſius hypotheſes ab omnibus exploduntur* (quàm tamen hoc falsò, intelligis ex præcedentibus.) *Prior: Solem eſſe mundi centrum. Poſterior: Terram eſſe in quinto cælo* (in quarto, opinor, dicere putauit) *cum orbe lunari, ſub Saturno, Ioue, Marte, ſupra Venerem & Mercurium, ipſumq́ adeò ſolem: epicyclo infixam* (hodie tamen Copernicani, qui Planetarum ſpatia liquentia & fluida faciunt, omnes epicyclos deſtruxerunt) *motu cieri triplice. Licet verò ſuas iſtas Reuolutiones, vt reprehenſionem omnem effugeret, Pontifici dedicarit Max. Paullo III. hæ tamen hypotheſes, ſi tamquam veræ seriò aſſererentur, non video quemadmodum ab hæreſi eſſe poſſent immunes. Semper enim Scriptura terræ quietem, & ſoli ac lunæ motum tribuit: aut ſi quando ea quieſcant ſidera, magno id fieri miraculo ſignificat.*

Tanner. tom.1.d.6. q.4.dub.3. Alij, etſi molliùs anteà fortaſſe locuti, poſt Congregationis tamen Cardinalitiæ iam cenſuram, ſententiam Copernici *damnatam, nec tutò poſſe ampliùs defendi* affirmant.

Merſen. c.1.verſ.10 q.9. a.6. Gen. *Cùm Scriptura ſacra*, inquit alius, *contrarium* (ſententiæ Copernici) *tam clarè innuat, contraria ſententia, vt verior, & ab omnibus ferè recepta, ſequenda eſt: quæ aſſerit terram eſſe ſtabilem, cælos verò ſeu ſidera moueri; adeò vt quis opinionem illam temerariam meritò iudicare poſſit: maximè cùm viderim in eâ ſententiâ Cardinalium Congregationem verſari.*

Et ne putent Copernicani, ſolos Monachos & Catholicos ſcrupulum & religionem hîc inuenire, audiant hunc hominem minimè ſcrupuloſum, & quem alicubi memini dixiſſe, *Cælum empyreum à Scholaſticis & otioſis Monachis eſſe excogitatum.* Lib.3.c.3. Enchirid. Gaſpar Bartholinus, Philoſophus & Medicus Danus is eſt. Iſte tamen poſteà tam eſt religioſus, vt Copernico ſtomachabundus, *Scriptura ſacra*, inquiat, Lib.4.c.3. *terram quieſcere & non moueri aſſerit dictis clarioribus, quàm vt ad cuiuſuis cerebrum flecti inuertiq́ poſſint aut debeant.*

Quid

Quid Tycho, quem Princeps hodie Copernicanorum Keplerus toties magiſtrum ſuum appellat? Exiſtimat & clamat palàm, *Copernicum non ſolùm Phyſices principijs, ſed etiam auctoritati ſacrarum Litterarum, aliquoties terræ ſtabilitatem confirmantium, refragari.* Lib. 2. Comet. 1577. c. 8.

Nic. Mulerius, Medic. Doctor & Gymnaſiarcha Leovvardianus, *Teſtamur*, ait, *tantam apud nos eſſe auctoritatem Scripturæ ſacræ, tantumq́; reuerentiâ eius moueri animum noſtrum, vt contra apertam ſententiam illius, in ſententiam Pythagoreorum deſcendere non audeamus.* Iſag. Tab. Friſic. c. 1.

Claude nobis hoc agmen Rabbi Io. Bodine. *Quòd ſi Hebræorum arcana & adyta ſacra ſcrutemur, erit vnde demonſtrationes ſuperiores facilè confirmari poſſint. Nam cùm ſapientiæ magiſter Eccleſiaſtes, ſolem ab orientis plagâ ad occaſum rapidiſſimo curſu ferri dixiſſet, ſubiecit illud: Terra verò ſtat æternùm.* Lib. 5. Theat. Eccle. 1. Pſal. 18.

Non magnoperè tamen curare iſta viri quidam in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Belgio, eruditi etiam & Catholici, videntur, qui etiamnum ſedulò & omnibus ſuis motibus tellurem verſant: quia, opinor, Cardinalitiam in definitionibus poteſtatem, ſummam & Pontificiam eſſe negant, & tantiſper, donec iſta acceſſerit, ſatis tutos ſe, & extra hæreſeos notam eſſe exiſtimant. Scripturas etiam, quæ videntur telluri quietem, ſoli motum aſſerere, retinent vtcumque & defenſitant tenui loquendi alibi Scripturæ ſimilitudine. Vt, quòd Moſes ſolem & lunam *duo luminaria magna* appellet, quia nobis talia apparent, cùm luna tamen multis reuerà ſideribus ſit minor: aliaque id genus cumulant, quæ ſequentibus Capitibus arbitrabimur. Gen. 1.

Vix etiam hoc poſſumus diffiteri. Si Deus iuxta ſyſtematis Copernicani imaginem mundum condidiſſet, & terra nullo noſtro (vt volunt) ſenſu volueretur, quieſcente ſole, futurum fuiſſe, vt vulgus de ſolis motu & terræ ſtatu perinde vt nunc loqueretur. Si enim nullo ſe indicio prodit terræ mobilitas aut quies ſolis, non affirmabunt moueri quod credunt quieſcere, nec quieſcere quod arbitrantur moueri. Quemadmodum, ſi homines in nauibus tranquillâ & æquabili nauigatione motum ſuum celantibus nati linguam ſibi conderent, ripas fortaſſe fluminum accedere & recedere paſſim dicerent, ſe verò quiete perpetuâ ſtabiles eſſe. Hæc tamen Copernicanos ſatis tutos præſtare non valent. Nam inprimis

S.Congregatio illa Cardinalium videtur ſua decreta auctoritate Pontificiâ condere, & ad eum referre antequam edantur. Sixtus enim Papa V. in Diplomate, quo XV. illas Romæ Congregationes Cardinalium anno CIↃ. IↃ.LXXXVIII. inſtituit, aut nouis facultatibus auxit, expreſſè de hac Pro Indice librorum Congregatione, ait: *Libros Catholicæ doctrinæ Chriſtianorumq́; morum diſciplinæ repugnantes expendant & recognoſcant, ac (vbi nobis retulerint) noſtrâ auctoritate reijciant.*

Bulla erectionis Congregat. Cardinal. apud Quar.

Itaque decreta iſta Cardinalitia videntur, poſt examen in Congregatione perpetratum, ad cognitionem Pontificiam deferri, & ab eâ auctoritatis plenitudinem accipere. Quod etiam ex erectione Congregationis Pro typographiâ Vaticanâ intelligi poteſt. *Si quæ verò grauiores dubitationes & difficultates*, inquit Pontifex, *in veterum codicum auctoritate, librorum correctione & emendatione inciderint, rebus priùs in Congregatione examinatis, ad nos referant, vt in lectionum varietate id quod orthodoxæ veritati maximè conſonum erit, ex ſpeciali Dei priuilegio huic ſanctæ Sedi conceſſo ſtatuamus.*

Ex more igitur iſto, & decretorum, poſt examen, ad Sedem Pontificiam relatione apparet, Congregationes iſtas, licet ſuo ſententias ferant nomine, maiori tamen & Pontificiâ animatas eſſe auctoritate; vnde non ſolùm Cardinalium, ſed etiam Pontificis Paulli V. manus hoc fulmen in Copernicanos iecisse: *Falſam eſſe illam doctrinam Pythagoricam, diuinæq́; Scripturæ omnino aduerſantem.* Item deinde: *Opinionem eſſe, quæ in perniciem Catholicæ veritatis ſerpat.*

Si igitur vera eſt ſententia, quâ omnes iam paſſim Catholici (etſi Gerſon, Almainus, ac vetuſtiores aliquot, Galli præſertim, aliter) cenſent, Pontificem ſine Concilio generali è Cathedrâ decernentem, non poſſe in errorem labi, actum de Copernico, & paradoxum eius (vt molliſſimè dicam) temerarium, & proximum hæreſi, imò intra ipſam eſſe videtur.

Ita ſeuerus aliquis cenſeat. Verumtamen dum perpendo quàm circumſpecti & minimè præcipites in rebus Fidei è Cathedrâ decernendis Pontifices eſſe ſoleant, & ſuo deinde, non alieno nomine capitalia iſta decreta condere, ac cùm in Diplomate Congregat. pro interpretatione & executione Conc. Tridentini, expreſſè Sixtus V. dicat: *Eorum decretorum, quæ ad Fidei dogmata pertinent,*

inter-

interpretationem nobis ipſis reſeruamus, lenienda paulliſper cenſura videtur, & ſacræ Congregationis pro Indice librorum auctoritatem, non parē, ſed ſupparem tantùm Pontificię, exiſtimare par eſt.

Itaque Copernicum apertæ hæreſeos condemnare nondum auſim, niſi à Capite ipſo Eccleſiæ Catholicæ expreſſiùs aliud videam: nam Scripturæ ſacræ auctoritatem, licet imbecilliter, vtcumque tamen defenſitant. Temeraria nihilominùs, vt minimùm, eſt Copernicanorum opinio, & altero ſaltem pede intrauit hæreſeos limen: niſi ſanctæ Sedi aliter viſum.

CAPVT VI.

Scriptura ſacra oppugnat Copernicanos: quam fruſtrà conantur eludere.

NOn ſolùm humanis armis, ſed diuinis fortiſſimè repelluntur, nec deſinunt tamen Orbem terræ in cælum torquere gigantes Copernicani. Ne quis enim eos impietatis arceſſat, ipſi non Spiritum ſanctum mendacij, ſed eius interpretes vanitatis accuſant.

Rex Pſaltes primum in eos iaciat telum. *Ipſe* (ſol) *tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius.* Vbi δραμεῖν ὁδὸν, *currere viam*, & ἔξοδος αὐτοῦ, *egreſſio eius*, vt Septuaginta conſentienter Hebræo verterunt, motum ſolis, ex quo terræ ſtabilitas ſequitur, ſignificant. Pulchrè, vt ſolet, Nazianzenus: Ἡλίου ἐπαινεῖται παρὰ τῷ Δαβὶδ κάλλος καὶ μέγεθος, καὶ δρόμου τάχος, καὶ δύναμις, λάμποντος ὡς νυμφίου, εὐμεγέθους ὡς γίγαντος. οὗ καὶ τὸ πολὺ διαβαίνειν, ἔχει δύναμιν τοσοῦτον, ὡς ἀπ' ἄκρων τὰ ἄκρα ἰσοτίμως καταφωτίζειν, καὶ μηδὲν ἐλαττοῦσθαι τῆς θέρμης τοῖς διαστήμασι. *Laudatur apud Dauidem ſolis pulchritudo, magnitudo, celeritas curſus, agendi facultas, qui vt ſponſus fulget, magnus vt gigas. qui longè lateq́; progrediendo vim tantam habet, vt ab extremis extrema æqualiter illuſtret, nec locorum interuallis ipſius feruor diminuatur.* Pſal. 18. Orat. 20.

Non æſtimat tamen hæc Keplerus. *Sol*, inquit, *ex tabernaculo horizontis dicitur emergere, vt ſponſus de thalamo ſuo, alacris vt gigas ad currendam viam, ſed alluſione Poëticâ. quod imitatur Virgilius:* Introduct. ad Martē.

Tithoni croceum linquens aurora cubile. Virgil.

Prior quippe Poëſis apud Hebræos fuit. Non exire ſolem ex hori-

zonte tamquam è tabernaculo (etſi oculis ſic appareat) ſciebat Pſaltes: moueri verò ſolem exiſtimabat, propterea quia oculis ita apparet. Et tamen vtrumque dicit, quia vtrumque oculis ita videtur. Neque falſum hîc vel illic dicere cenſeri debet. eſt enim oculorum comprehenſioni ſua veritas, idonea ſecretiori Pſaltis inſtituto, curſuiq́; Euangelij, adeoq́; Filij Dei, obumbrando.

Sed non animaduertit, aut diſſimulat Keplerus, particulas *tamquam* & *vt*, cùm dicitur ſol *tamquam ſponſus*, & *vt gigas*, non eſſe idemtitatis, ſed ſimilitudinis, vti loquuntur Grammatici. Non appellatur ergo ſol ſponſus, aut gigas, ſed ſponſo & giganti ſimilis; currere tamen viam abſolutè dicitur, non currenti ſimilis, vt eſt vnanimis ſacrorum Interpretum conſenſus, à quorum ſenſu
Seſſ.4. abire prohibent Tridentini Patres.

Eccle.1. Secundò, Eccleſiaſtes, *Generatio præterit*, ait, *& generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat. Oritur ſol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibiq́; renaſcens gyrat per meridiem & flectitur ad aquilonem: luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.*

Fateor quidem *ſtatum* illum terræ æternum, veriùs de duratione æternâ, quàm de quiete locali accipi; ſed quâ ratione motum ſolis, quem tot verba inculcant *(reuertitur, gyrat, flectitur, pergit)* poſſunt eludere? Video tamen quid tentare valeant. Nempe, ſolem dici *reuerti, gyrare*, &c. quomodo *oriri, occidere, renaſci*. non quaſi reuerà mane oriatur, veſperi occidat, & die ſequenti à morte renaſcatur (hæc enim Epicuri, & ſtulta Philoſophia eſt, quæ ſiderum ignes manè accẽdit, veſperi extinguit Oceani aquis;) ſed quia ſic videtur, etſi res aliter longè habeat. Eodem igitur modo, *reuerti* & *gyrare* dicetur, non quòd motu ſuo reuerà id faciat, ſed quia ſic apparet, cùm interim terra potiùs ſit, quæ in circulos ſuos reuertitur, & gyrat. Verùm etſi primâ ſpecie probabilia hæc videantur, non videbuntur, ſi laruam detraxeris. Nam *oriri, occidere, renaſci*, vulgari & detrito loquendi vſu (quamuis *renaſci* Poëticum magis, & pro *reſurgere* poſitum ſit) motum verum localem ſignificant, quo quidpiam ex occulto emergit, aut oculis ſe ſubducit. Vnde hiſce etiam verbis (non tantùm prioribus illis, quæ magis propria ſunt) motum verum ſolis Spiritus ſanctus ſignificauit. Inſolens verò planè eſt, vt verbis, *reuerti, gyrare*, &c. non verum motum, ſed tantùm imaginem motûs Scriptura indicare velit. Præ-

ſertim

ſertim vbi mox & immediatè Eccleſiaſtes de fluminibus: *Omnia* Eccle. 1.
flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterùm fluant. Ecce, flumina *ad locum reuerti*, quomodo ſol ijſdem verbis *ad locum ſuum reuerti* dicitur: ſed flumina vero motu eunt & redeunt; igitur etiam talis erit motus ſolis, ne æquiuocatio in verbis tam vicinis obſcuriſſima & improbabilis admittatur.

Tertiò, Celeberrimus locus eſt, vbi Ioſue inter ardorem pugnæ, Ioſ. 10.
in cælum clamat: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. Steteruntq́;*, ſubdit Scriptura, *ſol & luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Stetit itaque ſol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei.* Si Copernicanus Ioſue fuiſſet, debebat potiùs ſic clamare: *Terra ne mouearis*, &c. Scriptura deinde: *Steterunt terra & luna*, &c. non verò, *ſol & luna.* Sed Keplerus illum excuſat. *Hoc vnicum in votis*, inquit, *habuit Io-* Introduct. ad Martem.
ſua, ne montes ipſi ſolem eriperent, quod votum explicuit verbis ſenſui oculorum conformibus; cùm importunum admodum fuiſſet eo tempore de Aſtronomiâ, deq́; viſûs erroribus cogitare. Si quis enim monuiſſet, ſolem non verè contra vallem Aialon moueri, ſed ad ſenſum tantùm: an non exclamaſſet Ioſua, ſe petere vt dies ipſi producatur, quacumque id ratione fiat? Eodem igitur modo, ſi quis ipſi litem mouiſſet de ſolis perenni quiete, terræq́; motu. facilè autem Deus ex Ioſuæ verbis, quid is vellet intellexit, præſtititq́; inhibito terræ motu, vt illi ſtare videretur ſol.

Quin imò Origanus, dum altiùs in hæc verba deſpicit & conſiderat, terræ, non ſolis & lunæ, motum, ac ſententiam Copernici à Ioſue, iam tum Copernicano, aſſertam inuênit. *Animaduertimus*, inquit, *Ioſuam in ſtatione ſolis & lunæ, terræ mentionem fa-* Epiſt. ad Elect. Brandenb.
cere, quando ſolem prope Gabaon & lunam contra vallem Aialon ſtare præcepit: haud obſcurè innuens, apparentiam quidem ſtationis luminaribus, veritatem verò terræ conuenire.

Sed vix teneo ebullientem riſum. Nam profectò, etſi meminerit Gabaonis & vallis Aialonis, quæ ſunt in terrâ, & quibus vrbibus ſol & luna impendêre videbantur, ſecundùm Abulenſis & Ariæ interpretamentum; non tamen ipſis, aut Orbi terræ cui inſidebant, ſed ſoli & lunæ, ne à vertice illarum vrbium ſe emouerent, imperauit quietem. Keplero tamen attentius aliquid oportet reſpondere. Et demus ei ſanè, Ioſuam in illo æſtu pugnæ, lin-

guâ

guâ fuiſſe lapſum, & ſolis curſum ſtitiſſe, cùm debuiſſet terræ fræ-
nare vertiginem; quid tamen Spiritui ſancto faciemus, qui mox
narrat, *Stetiſſe ſolem & lunam*, item, *Stetiſſe ſolem in medio cæli,*
& tamquam rem admirandam, *non feſtinauiſſe occumbere?* Iterùm
ergo, inſolenti Scripturæ, in verbis quæ motum localem ſignifi-
cant, phraſi, & contra publicam SS. Patrum vocem & interpre-
tationem, omnia non ſecundùm verum, ſed ſolam veri apparen-
tiam explicanda erunt, quod ratio prudens & Tridentinum
vetant.

Lib.4.c.20 Quartò, Tempore Ezechiæ Regis, Dominus *reduxit vmbram*
Reg. *per lineas quibus iam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum de-*
cem gradibus. Vmbram verò iſtam retroactam per ſua veſtigia, re-
ditu ſolis ab occaſu verſus ortum, alibi narratur. Origanus tamen,
Epiſt. ad *In regreſſione tempore Ezechiæ*, inquit, *vmbræ meminerunt ſacræ Lit-*
Elect. *teræ, quæ à corporibus terreſtribus prouenit: quando etiam terræ præ-*
cipuè ab ortu in occaſum regreſſu, vmbra decreſcere animaduerſa, &
ſol regredi viſus eſt.

Sed Scriptura alibi, non tantùm *viſum regredi ſolem*, ſed *retrò*
Eccli.48. *rediſſe*, & *eſſe reuerſum* affirmat. *In diebus ipſius* (Ezechiæ) *retrò*
Iſa.38. *rediſt ſol, & addidit Regi vitam.* & alius: *Reuerſus eſt ſol decem*
lineis per gradus quos deſcenderat. Hos poſtremos Scripturæ lo-
cos, ſideribus & cælo, id eſt alteri ſtudio intentus, an viderit Ori-
ganus, an priorem illum ſolùm, qui de ſole nil meminit, ignoro.
Itaque viâ illâ Keplerianâ iterùm hîc euadendum erit, explicando
eſſe per *apparere*, id eſt, pro veritate ipsâ, ſupponendo μορμολύκιον
tantùm & vanam quamdam imaginem veritatis.

Quintò, Plura alia Scripturæ teſtimonia in vnum hîc faſcem
conijcere poſſumus.

Pſal.92. *Firmauit Orbem terræ, qui non commouebitur.* & alibi idem:
Pſal. 103. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur*
in ſæculum ſæculi. Quod ſic æſtimauit Origanus, vt propterea
motum annuum terræ circa ſolem reſecuerit, & ex Copernicano
Epiſt.ad factus ſit ſemi-Copernicanus. *Neque*, inquit, *à ſacrarum Litterarum*
Elect. *ſententiâ in eo* (motu terræ diurno circa ſuum centrum) *diſcedo,*
quòd, plerorumque Aſtronomorum & Phyſicorum conſenſu, contra
Copernici mentem, medium mundi ſemper obtinere, nec ab eo vel la-
tum vnguem, deflectere aſſero terram. cùm & Pſal. CIII. *terram fun-*
datam eſſe ſuper ſtabilitatem, ſeu centrum ſuum, à quo non inclina-

tur

tur vel dimouetur vllo ſæculo, apertè dicat. Vbi ſubit ſanè religionem Origani admirari, cùm alibi tam disertè Scriptura dicat ſolem *gyrare per meridiem*, quàm hîc terram *non inclinari*; & tamen ſine Eccle. 1.
ſcrupulo aſſeueret, ſolem à gyro & motu diurno per meridiem quieſcere, motumque illum reuerà eſſe in terrâ, & ſolam eius imaginem in ſole.

Illuſtris etiam alibi locus eſt, & qui me afficit. *Qui emittit lumen* Baruch 3.
(ſolem) *& vadit: & vocauit illud, & obedit illi in tremore.* Ac deinde ſtellarum fixarum motum etiam innuens: *Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt, Adſumus:* vt famuli videlicet, ad vocem & imperium domini, motu ſuo accurrentes. Aliquando etiam miraculo impedit eas, & cohibet motus. *Qui præcipit ſoli, & non oritur, & ſtellas claudit, quaſi* Iob 9.
ſub ſignaculo. & iterùm alibi: *Indica mihi, ſi noſti omnia, In quâ viâ* Iob 38.
lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit. vt ducas vnumquodque ad terminos ſuos, & intelligas ſemitas domûs eius. Vbi *via, ſemita, ducere ad terminos*, motum lucis, ſiue ſolis, qui lux & lampas mundi, non obſcure ſignificat. De motu verò diurno Luciferi, ſiue Veneris. *Numquid producis luciferum in tempore ſuo, & veſperum ſuper* Ibid.
filios terræ conſurgere facis?

Hæc autem omnia, & alia quædam Scripturæ loca, fruſtrà è Vitellone ſuo nobis explanare nititur Keplerus. Nam etſi verum ſit, & Ariſtoteles etiam adfatetur, οὐδὲν διαφέρει, κινεῖν τὴν ὄψιν, ἢ τὸ ὁρώ- Lib. 2. c. 8.
μενον, *nihil intereſſe, ſiue viſus ipſe, ſiue res viſa moueatur,* vt hæc Cæli.
appareat moueri; propriè tamen, famose (vt loquuntur Dialectici) & paſſim in Scripturâ ſacrâ id dicitur moueri, quod reuerà eſt ſubiectum motus, non autem ſolius apparentiæ eius. Vnde motum qui ſoli & ſtellis vbique tribuitur, violenter, & ſolùm, quia Copernicanæ Philoſophiæ ita expedit, à veritate ad imaginem & apparentiam, à proprietate ad inſolentem Scripturæ ſacræ metaphoram trahere, eſt ſatis manifeſtè in legem Tridentini committere, quæ vetat quemquam *Scripturam ſacram ad ſuos ſenſus con-* Seſſ. 4.
torquere.

Sed Scriptura alibi ſæpè, verba quæ rem ſignificant, pro ſolâ rei apparentiâ vſurpat, clamat vbique Keplerus. Nam inprimis Moyſes ſolem & lunam *duo luminaria magna* appellat. item Paullus: Gen. 1.
Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum, præ- 1. Cor. 15.
ponens lunam ſtellis, quibus tamen mole corporis, & abundantiâ

lucis multum cedit. Luna igitur *luminare magnum*, item claritas eius claritatem ſtellarum antecellere dicitur, ſolùm quia ſenſui allucinanti ſic apparet.

Sed allucinatur ipſe Keplerus. nam, vt Dialecticè loquar, *magnum* non appellat materiale, ſed formale ſignificatum *luminaris*. id eſt, luna non appellatur *luminare magnum*, quia mole corporis, ſed, quia virtute illuminandi terram è propinquo, magna ſit. Similiter claritas quâ ſenſum noſtrum ferit, maior eſt ob eamdem propinquitatem, quàm in ſtellis. Verùm alia ſunt, quæ maiores fortaſſe
Pſalm. 18. tricas tricare nobis poſſint. Vt cùm *A ſummo cælo* dicitur eſſe *egreſ-*
Matth. 24. *ſio* ſolis. & alibi, *A ſummis cælorum vſque ad terminos eorum.* ſiue Græcè, ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν, *ab extremis cælorum vſque ad extrema eorum.* Vbi Chriſtus Dominus falſæ hominum imaginationi, quâ exiſtimant cælo vndique terram tangi & concludi, videtur locutionem ſuam accommodare. Sic enim vnum extremum cæli erit in imaginario contactu cæli & terræ orientalis, & alterum in contactu occidentali oppoſito.

Lucæ 5. Et alio loco ad Petrum, *Duc in altum. quaſi mare*, ait Keplerus, *ſit altius littoribus: ſic enim apparet oculis. Et Optici cauſſas demonſtrant huius fallaciæ.* Sed, vt ab iſto incipiam, Græcam lectionem inſpiciamus. Ἐπανάγαγε εἰς βάθος, *duc in profundum.* Ecce *altum* ſumi pro *profundo*, quomodo ſæpè ſolet; vt tota Optica Kepleri hîc ſuperuacua ſit. Mare autem à littoribus remotum, meritò profundum appellatur; quia reuerà altius & profundius, quàm iuxta littora, nautæ ferè experiuntur.

Cùm verò cælum dicitur duo extrema habere (tametſi rotundum, & ſine principio & fine ſit) non ad integram cæli circumferentiam, ſed ad vnicum quod capiti noſtro imminet cæli hemiſphærium, Chriſtus & omnes nos reſpicimus. Hoc verò extrema vtrimque habet; puncta videlicet in quæ radius viſualis terram deſtringens incidit.

Pſalm. 23. Verumtamen Deus dicitur *ſuper maria fundaſſe Orbem terrarum*, non quia res ita habeat, ſed quia nobis videtur, tamquam nauis, vaſto mari incumbere, ait Lanſbergius. Sed perperàm, nec vt bonus verbi diuini Miniſter. nam Pſaltes ſe mox explanat: *Et ſuper flumina præparauit eum.* Nemo tamen tam ſtupidè allucinatur, vt Orbem terræ fluminibus putet, ceu nauem, innatare.

Reſpicit igitur, ſine dubio, ad diem mundi tertium, quando *Con-*

gregatæ aquæ quæ ſub cælo erant, in vnum locum, vt appareret arida. Gen. 1.
Fundauit ergo *Orbem terrarum ſuper maria*, & *præparauit eum ſuper flumina*, quia cùm anteà ſuppreſſus eſſet aquis, montibus & littoribus in altum euectis, alueiſque effoſſis aut exaratis, mari & fluminibus eminentiorem eum, ad habitationem animantium conſtituit. Vnde Orbem terrarum hîc Hebræi תֵּבֵל *tebel*, Septuaginta ὀικουμένην appellant, id eſt *terram cultam*, qualis non eſt totus à centro terræ globus, ſed pars ea dumtaxat quæ ſuperemi-net aquis. Auguſt. in Pſalm. 135.

Sed *Spiritus ſanctus nobiſcum balbutit*, inquit iterùm Lanſbergius. Non abnuo, ſi hoc ſolùm velit, eum humanâ linguâ cum hominibus, vt ſe *familiariùs inſinuet*, loqui, allegorias, metaphoras, tropos & ſchemata ſpargere. Aug. lib. 15. c. 25. Ciuit.

Attamen diligenter attendendum eſt, quæ ſolentes, quæ inſolentes in vſu Scripturæ metaphoræ & figuræ. Inſolentiſſimum verò in eâ eſt, verbum quod motum localem ſignificat, ad imaginem tantùm motûs localis, ſine leuiſſimo etiam eius inſolentiæ indicio, transferri. Si verò interpretibus tanta tranſlationis licentia permittatur, nihil ſolidi, nihil certi, ſed incerta & lapſantia omnia nobis Spiritus ſanctus loquetur.

Itaque Philoſophi Chriſtiani non ita figere ſibi in anteceſſum opiniones debent, vt deinde Spiritum ſanctum, vbi repugnare videbitur, non tantùm in balbutiem ſuam, ſed in mendacium trahant. ſed ante omnia, verus Scripturarum ſenſus ex vſitatâ eius phraſi, ex Eccleſiæ ſenſu, & SS. Patrum conſenſu rimandus eſt, ac deinde cymbam ſuam onerariæ eorum alligent, vt tutò in hoc errorum mari nauigare valeant.

Copernicani verò contrà, primùm ex imaginatione ſuâ mundi ſyſtema ſibi deformauerunt, poſtremam de Scripturæ ſacræ ſententiâ curam habuerunt. ſimillimi, & verè maiorum ſuorum Pythagoreorum filij, qui, vt olim narrat Ariſtoteles, priùs de ratione, quàm de ſenſu (in hoc ipſo terræ motu & cæli ſtatu) ſolliciti fuerunt. Οὐ πρὸς τὰ φαινόμενα τοὺς λόγους καὶ τὰς αἰτίας ζητοῦντες, ἀλλὰ πρός τινας δόξας καὶ λόγους αὐτῶν τὰ φαινόμενα προσέλκοντες, καὶ πειρώμενοι συγκοσμεῖν. *Non ad tuenda apparentia, rationes & cauſſas quærentes, ſed ad quaſdam ſuas rationes opinioneſque trahentes apparentia, atque conantes adornare.* Nónne videtur tibi noſtros hodie Copernicanos in oculis & ſtilo habuiſſe? Lib. 2. c. 13. Cæli.

Sed aliquid etiam in aurem mihi ſuſurrat Lanſbergius. hinc abeo, vt exaudiam.

CAPVT VII.

Malè quidam, nihil certi pro diſciplinis Mathematicis & naturalibus è Scripturâ ſacrâ erui poſſe exiſtimant.

LAnſbergius, tamquam ſacræ Scripturæ conſultus & Miniſter,
2. Tim. 3. Fatetur *Scripturam vtilem eſſe ad docendum, ad arguendum, ad*
Comment. *corripiendum, ad erudiendum in iuſtitiâ*; verùm *nego autem*, inquit,
de Motu terræ Con- *vtilem eſſe ad inſtitutionem quæ eſt in Geometriâ & Aſtronomiâ.*
trouerſ. 1. *Neutiquam enim harum artium fundamenta tradere voluit Spiritus ſanctus Scripturarum auctor, ſed eæ ſuis principijs nixæ, non ex libris ſacræ Scripturæ, ſed eorum qui in illis fuere verſati, rectè diſcuntur.*
Act. 7. *Hinc Moyſes non ſacrâ Scripturâ, ſed ab Aegyptijs eas didiciſſe legitur,*
Dan. 1. *& Daniel cum ſocijs eaſdem accepiſſe ex inſtitutione Chaldæorum. Aberrant igitur à ſcopo ſacræ Scripturæ, quicumque Geometricas & Aſtronomicas quæſtiones ad eius normam expangunt, vt planiùs percipies ſequentibus exemplis.*

Exempla verò iſta ſunt. Primum, proportio diametri & circumferentiæ balnei, ſiue maris æ nei, quam ἀγεωμετρήτως & impe-
2. Paral. 4. ritè deſcribit Auctor librorum Paralipomenωn. *Mare fuſile*, in-
3. Reg. 7. quit, *decem cubitis à labio vſque ad labium, rotundum per circuitum. quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius*. Si enim circumferentia & gyrus fuit 30. cubitorum, impoſſibile eſt, diametrum *à labio vſque ad labium* fuiſſe 10. cubitorum: ſic enim circumferentia circuli contineret præcisè diametrum ter; cùm tamen addat inſuper ſeptimam ferè dia-
Archimed. metri partem. Certum enim hoc & Archimedeum eſt: Παντὸς
de Circuli dimenſ. κύκλου ἡ περίμετρος τῆς διαμέτρου τριπλάσιόν ἐστι, καὶ ἔτι ὑπερέχει ἐλάσ-
prop. 3. σονι μὲν ἢ ἑβδόμῳ μέρει τῆς διαμέτρου, μείζονι δὲ ἢ δέκα ἑβδομηκοστομόνοις: *Cuiuſlibet circuli circumferentia tripla eſt diametri, & adhuc excedit minori quidem quàm ſeptimâ parte diametri, maiori verò quàm decem ſeptuageſimis primis.* Vnde diameter ad circulum habet ſe vt 7. ad 22. proximè. id eſt, paullò minor eſt quàm tertia pars eius. Si ergo peripheria maris æ nei in templo Salomonis habuit 30. cubita, diameter eius breuior fuit 10. cubitis. aut ſi

hæc

hæc 10. cubita habebat, illa maiori quàm 30. cubitorum gyro ambiri debuit.

Alterum exemplum Lanſbergij eſt in errore D. Auguſtini, qui ex Scripturâ ſacrâ, nullos eſſe antipodas, qui *aduerſa pedibus noſtris calcarent veſtigia*, perperàm collegit. quia enim Scriptura ex vno homine totum genus humanum ſatum eſſe affirmat, non videbat, quâ viâ *aliqui ex hac in illam* (antipodum) *partem, oceani immenſitate traiectâ, nauigare ac peruenire potuiſſent; vt etiam illic ex vno illo primo homine genus inſtitueretur humanum.* Auguſt. lib. 16. c. 9. Ciuit.

Sed parabile & promptum quod Lanſbergio reponamus. Nam vt primùm de exemplis iſtis. Errauerit ſanè in re naturali, occaſione Scripturæ ſacræ D. Auguſtinus: an idcircò nihil quod ad quæſtiones naturæ diſſoluendas faciat, ex omnibus ſacris libris ſumi poteſt? Nam ecce, hæretici peruerſiſſima ſua dogmata è Scripturâ ſacrâ per tortas quaſdam conſequentias deducunt: an ideò inutilis eſt, vt inde quidquam Catholicæ veritatis eliciatur? Quamquam non propriè in theoremate aliquo naturali, ſed in facto ipſo verſetur allucinatio D. Auguſtini. Largiter enim error eius à Lactantij diſtat. Hic metuit ne antipodes in cælum capite prono decidant, negatque poſſe, niſi vnguibus inſtar felium, aut vncis globo terræ affigi; Auguſtinus verò non abnuit, poſſe ibi ſine labendi periculo conſiſtere (nec enim metuit, ne mare quo obrutam illam terram ſuſpicatur, in cælum ſuâ grauitate defluat) ſed plagam tamen illam ſine incolâ eſſe exiſtimat, quia non capit, quâ viâ progenies Adami, aut Noachi à diluuio ex Armeniâ eò penetrauerit. De diametri & peripheriæ ænei maris proportione, res etiam trita ac facilis. nam Scriptura alibi etiam minutias numero rotundo, vt vocant, ſuperexcreſcentes contemnit. Et vt magis credat Lanſbergius, legat Kepleri, Principis Copernicanorum, De Anno Chriſti Natali librum, qui contendit Chriſtum in baptiſmo tertium & trigeſimum ætatis annum exceſſiſſe, etiamſi S. Lucas de eo dicat, ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν: *quaſi annorum triginta incipiens.* Lucæ 3.

Sic ergo, cùm Scriptura dixiſſet, diametrum *à labio vſque ad labium* vaſis fuiſſe 10. cubitorum, cepit numerum rotundum funiculi, ſiue circuli cuiuſdam qui peripheriam labij circuibat, aitque 30. cubita habuiſſe: quod verum eſt, etſi paullò longior, id eſt 31. cubitorum circiter, eſſe debuerit.

Si verò peripheria 30. præciſè cubita amplectebatur, non magnâ particulâ diameter à 10. cubitorum longitudine abfuit.

Verum igitur eſt, ex eo Scripturæ loco colligi non poſſe præciſam & Archimedeam proportionem quæ eſt inter diametrum & circulum eius; ſed poteſt tamen mechanica quædam & rudis: vt proinde telum hoc in Lanſbergium regeri poſſit, qui omnem vtilitatem, geometricum quid ex eâ eliciendi, à Scripturâ ſacrâ ſpernit. poteſt enim ex hocce etiam loco, quo Scripturæ inutilitatem oſtendere nititur, ſi non præciſiſſimum aliquid, præciſioni tamen proximum fabricari.

Nihil autem, quod in rerum naturalium cognitionem quidquam referat, à Scripturâ doceri, manifeſtè falſum dicet, qui primos dies creationis mundi, Eccleſiaſten, & librum Iobi, ac alia quædam ſparſim, cum SS. Patrum commentarijs leget. Quid? nónne S. Ambroſius poſt Baſilium, ex Iſaiâ naturam cæli non ſolidam, ſed in-

Ambroſ. lib. 1. c. 6. Hexam. ſtar fumi ſubtilem eſſe collegit? *De qualitate & ſubſtantiâ cæli*, inquit, *ſatis eſt ea promere quæ in Iſaiæ ſcriptis reperimus, qui mediocribus & vſitatis ſermonibus qualitatem naturæ cæleſtis expreſſit, di-*

Iſaiæ 51. *cens, quòd* firmauerit cælum ſicut fumum: *ſubtilem eius naturam nec ſolidam cupiens declarare.*

In c. 3. ad Epheſ. Nónne D. Hieronymus ait, *A pleriſque, iuxta Eccleſiaſten, cælum affirmari rotundum, & in ſphæræ modum volui?* Ecce iſti non ab Ariſtotele, ſed è Scripturâ ſacrâ, cæli naturã & figuram didicerunt.

D. Auguſtinus tam palàm Philoſophis in re naturali Scripturam

Lib. 2. c. 9. Gen. ad litt. anteponit, vt cùm ſibi obieciſſet: *Quomodo non eſt contrarium ijs qui figuram ſphæræ cælo tribuunt, quod ſcriptum eſt in litteris noſtris,*

Pſal. 103. Qui extendit cælum ſicut pellem? reſpondeat: *Sit ſanè contrarium, ſi falſum eſt quod illi dicunt. hoc enim verum eſt quod diuina dicit auctoritas, potiùs quàm illud quod humana infirmitas conijcit.* Audiſne Lanſbergi, quomodo in rebus etiam iſtis firmitas Scripturæ potior eſſe debeat infirmitate Copernicanorum? Alibi etiam æquè

Lib. 1. c. vlt. Gen. ad litt. diſertè, *Quidquid*, ait, *de quibuſlibet ſuis voluminibus his noſtris litteris, id eſt, Catholicæ fidei contrarium protulerint* (Philoſophi) *aut aliquâ etiam facultate oſtendamus, aut nullâ dubitatione credamus eſſe falſiſſimum.*

Lib. 10. c. 4. Gen. ad litt. Et cùm alicubi de naturâ animæ diſputaret, *Tutius eſt*, inquit, *de huiuſmodi rebus, non humanis agere coniecturis, ſed diuina teſtimonia perſcrutari.*

Diuina

Diuina autem teſtimonia, non quomodo Philoſophi, non quomodo Copernicani, ſed, *Quomodo intellexerunt Sancti, ſic vtique intelligenda ſunt.* Auguſt. Ser. 18. de Verb. Domini.

Illi enim, *Si fortè ad Scripturas ſanctas*, inquit alter, *poſt ſæculares litteras venerint, ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam, Scripturam trahere repugnantem.* Hieron. Epiſt. ad Paullinum.

Repugnat verò iſta Copernicanis ſatis manifeſtè, quæ toties & tam disertè ſolem ait gyrare & moueri, ſine vllo vſpiam indicio, vnde appareat, talem loquendi formulam à proprio & vſitatiſſimo ſignificatu ad improprium & inſolentem debere inflecti.

Neque enim ſimile eſt, quod de Deo affert Lanſbergius, qui dicitur quandoque in Scripturâ ſacrâ, *aſcendere*, aut *deſcendere*; quod tamen, cùm immobilis ſit, κατὰ τὸ ἀκριβὲς & in rigore nequit intelligi. Nam ſpectatâ paullisper naturâ ſubiecti, cui tribuitur hîc motus, illicò nudat ſe metaphora, & apertè intelligimus, in rem immenſam, & quæ vniuerſa ſpatia occupat, verum localem motum non poſſe cadere. Simile & gemellum etiam planè eſt, cùm Deus iraſci dicitur, aut dolore tangi; vti omnes vniuerſi SS. Patres interpretantur. Nulli verò vmquam venit in mentem ſubtilis illa de motu terræ & ſtatu ſolis, interpretatio Copernici; imò vbique fatentur, ſidera omnia in motu eſſe, terram iugi quiete in vniuerſi centro deſidere. Dicat enim pro Græcis D. Nazianzenus. Θεὸς λόγῳ ἥδρασε γῆν, ἐτόρνευσεν οὐρανὸν, ἀστέρας ἔταξεν. *Deus verbo terram in ſede ſtabiliuit, cælum tornauit, ſtellas in ordinem redegit.* Orat. 4.

Pro Latinis vnicus (& quid opus in re confeſſâ teſtium multitudine?) Auguſtinus ſolem fateatur circuire. *Vereor*, inquit, *ne deridear, & ab ijs qui certiſſimè cognouerunt, & ab ijs qui poſſunt facillimè aduertere, quòd eo tempore quo nox apud nos eſt, eas partes mundi præſentiâ ſuâ illuſtret, per quas ſol ab occaſu in ortum redit, ac per hoc omnibus 24. horis non deeſſe per circuitum gyri totius, alibi diem, alibi noctem.* Lib. 1. c. 10. Gen. ad litt.

Verùm, vt nos etiam hoc fauori demus Copernicanorum, fortaſſe ſancti iſti Patres, *vtentes mundo quaſi non vtentes, ſed in ſimplicitate cordis ſui quærentes Deum, ne illud quidem magnopere veſtigarunt, Quonam modo mundialis hæc machina volueretur*, vt cum mellifluo iſto dicam. Bernard. Ser. 3. de Pentecoſt. Et ſanè rogatus quondam à Fratribus S. Auguſtinus, An per firmamentum immobile ſidera traijcerentur, an illud

Lib.2.c.10. Gen.ad litt. illud volueretur cum ipſis in orbem, *Reſpondeo*, inquit, *multùm ſubtilibus & laborioſis rationibus iſta perquiri, vt verè percipiatur, vtrùm ita an non ita ſit: quibus ineundis atque tractandis, nec mihi tempus eſt, nec illis eſſe debet, quos ad ſalutem ſuam & ſanctæ Eccleſiæ neceſſariam vtilitatem cupimus informari.*

Imò Ambroſius, qui tam multas naturæ res ex Baſilio, vt ſolet, in Hexameron ſuum congerit, cùm ex illo Iobi, *Suſpendens terram in nihilo*, intuliſſet, *Includitur ergo orbe cæleſti, & ideò ſol noctibus non videtur, quia gyrando in inferiore inuenitur orbis parte cæleſtis;* *Sed non eſt*, inquit, *cura ſanctis, axem cæli, & elementorum ſpatia Philoſophico more, numeroſq; deſcribere. Quid enim hoc prodeſt ſaluti? Quia ſancti ſpiritualibus ſemper intendunt, & vitæ æternæ profutura vel cognoſcere geſtiunt, vel docere.*

Iob 26. Ambroſ. in Pſal. 118. Serm. 12.

Si igitur SS. Patres tam rerum naturalium incurioſi fuerunt, ſententiæ eorum neglectim conceptæ meditationibus Philoſophorum accuratiſſimis nequaquam anteponendæ videntur. Sed nihil amplius inde, & aliis id genus Sanctorum dictis conficere poteſt Lanſbergius, quàm rerum naturalium tractationem habuiſſe ἐν παρέργῳ, non in opere & curâ principali. nihilominùs dum in eas Spiritus ſanctus quaſi incidit, aut etiam longiùs quandoque, ad diuinæ ſapientiæ & omnipotentiæ laudationem, perſequitur, Sancti interpretes eas commentantur, & ſtrictim aut diffusè, pro cuiuſque ingenio aut eruditione, explicant, & certiora omnia ex ſacris, quàm Philoſophorum libris depromi confitentur.

Audiuimus id antè ex Auguſtino, audi iam etiam Ruffino loquentem Hieronymum. *Vrges*, inquit, *vt reſpondeam de naturâ rerum. Si eſſet locus, poſſem tibi vel Lucretij opiniones iuxta Epicurum, vel Ariſtotelis iuxta Peripateticos, vel Platonis atque Zenonis ſecundùm Academicos & Stoicos dicere. Et vt ad Eccleſiam tranſeam, vbi eſt norma veritatis, multa & Geneſis, & Prophetarum libri, ac Eccleſiaſtes nobis de huiuſmodi quæſtionibus ſuggerunt.* Ecce, vt etiam in iſtis, normam veritatis dicit eſſe penes Eccleſiam & Auctores ſacrarum Scripturarum.

Apolog. aduerſus Ruffin.

Addamus Græcæ elegantiæ, & omnifariæ eruditionis delicium Nazianzenum. Qui cùm quæſiuiſſet, Πῶς ψάμμος ὅρον αὐτῇ, τηλικέτῳ ϛοιχείῳ; *Quomodo tantum* (aquæ) *elementum arenam pro termino haberet?* Subdit: *Poſſúntne hoc expedire Phyſici atque inanis eruditionis laude celebres, ac verè cyatho mare, id eſt res magnas ingeniolo*

Orat. 34.

niolo ſuo metientes? Ἦ συντόμως ἐγὼ παρὰ τῆς Γραφῆς τοῦτο φιλοσοφήσω, ἢ τῶν μακρῶν λόγων πιθανώτερόν τε καὶ ἀληθέστερον; *An ego*, inquit, *breuiſſimè id è Scripturâ ſacrâ probabiliùs & veriùs, quàm ipſi longis ſuis diſputationibus, philoſophabor?* Et illicò nodum iſtum diſſoluit ex S. Iobo. Iob 38.

A ſenſu igitur SS. Patrum & vero longè aberrant, qui humanas diſciplinas à diuinis litteris corrigi, aut hinc diſci aliquid poſſe negant. Sed Moyſes tamen ab Ægyptiis, & Daniel à Chaldæis eas accepit, inquit Lanſbergius, non autem è Scripturis ſacris.

Miror ſanè, è quibus bibliis ſcientiam naturæ & Mathematicas haurire potuerit Moyſes, quem Pentateuchi, & inter Sacros omnium vetuſtiſſimum Auctorem plerique omnes faciunt: niſi ſi à Iobo tamen aliquid accipere potuit; etſi etiam plurimi eius libri ſcriptionem ad Moyſen quoque referant. Scientiam ergo ſuam ab Ægyptijs partim, aut traditione Hebræorum, partim à Spiritu ſancto habuit infuſam. Daniel verò licet Scripturæ ſacræ aliquam viderit partem, Chaldæis tamen prætereà Doctoribus vacauit, quomodo nos pluribus quàm ipſe ſacris libris inſtructi, limina tamen terimus Chriſtianorum Peripateticorum. Organum enim aut Acroamatica Ariſtotelis, vel Elementa Euclidis, aut Ptolemæi Almageſtum in nullo libro ſacro, methodo certâ & ordine ad facilem diſciplinam & comprehenſionem digeſta reperies; ſed ſparſa hinc inde obiter ex diſciplinis illis quædam, vbi occaſio tulit, aut ſiquando diutiùs immorari, Spiritus ſanctus vtile iudicauit, ad prædicandam in fabricâ huius mundi & naturæ totius adminiſtratione ſapientiſſimi Opificis laudem. Hæc autem non ſufficere ad doctrinæ plenitudinem, nimiſquàm eſt manifeſtum.

Nimis ergo procul extra Scripturæ ſacræ & tuas oleas exerraſti Lanſbergi, vbi eam negaſti, *ad inſtitutionem quæ eſt in Geometriâ & Aſtronomiâ*, ad firmandam terram, mouendum ſolem (quò præcipue tendis & dirigis arcum) *eſſe vtilem:* & inter eos planè cecidiſti de quibus D. Auguſtinus, *Vbi aliter*, inquit, *ea* (ſacræ Lib. de oper. Monach. c. 9. Scripturæ verba) *ſecundùm ſuam ſententiam interpretari non poſſunt, etiam clara & manifeſta, obſcura & incerta eſſe reſpondent, quia & praua & peruerſa dicere non audent.*

CAPVT VIII.

Senſus etiam & ratio naturalis Philoſophiam Samiam reſpuit. Ariſtoteles pondera non relapſura in terram ad perpendiculum olim ei obiecit: nec quiſquam hactenus vim argumenti potuit eludere.

FAllor, aut in vltimum hunc angulum ſe tandem abdent Copernicani. Abſurditatem intolerabilem in ſententiâ quæ ſolem mouet & terram quieſcere iubet, ineſſe dicent, imò palàm & exertè id iam clamant: oportet autem ita Scripturæ ſacræ interpretationem moderari, monente S. Auguſtino, *vt quidquid ipſi* (Philoſophi, aut Aſtrologi Copernicani) *de naturâ rerum veracibus documentis demonſtrare potuerint, oſtendamus noſtris litteris non eſſe contrarium.* Itaque in hanc naturæ cum ijs arenam deſcendere, quò vocant, nos oportet. Et primùm oſtendemus, rationi & omnibus experimentis conſentire ſententiam quæ motum terræ adimit, & reddit ſoli; deinde argumenta diſſoluemus quibus ſuum ſyſtema conſtruere, & aduerſariorum deſtruere conantur Copernicani.

Lib. 1. c. vlt. Gen. ad litt.

Ante omnia igitur motum terræ diurnum ſiſtere tentemus argumento Ariſtotelis, quod olim omnes auidè, & tamquam demonſtrationem arripuerunt. Auctoritatibus verò agere ſuperfluum eſt: ſi enim ad calculos res deducatur, victi ſunt à pluribus & melioribus Copernicani. Nam præter Scriptores ſacros, Academia, Lyceum, Stoa, Viridarium Epicuri, Hipparchus, Ptolemæus, ac vniuerſa Philoſophorum ac Aſtronomorum natio, exceptis paucis Pythagoricis, & ijs patriâ ferè Samijs (vt videantur potiùs id dediſſe conterraneo ſuo Pythagoræ, aut Ariſtarcho, quàm quòd reuerà & ex intimo ſuo ſenſu ſic exiſtimarent) omnes à caluo ad caluum terræ quietem, cælo motum tribuerunt.

Lib. 2. c. 13. Cæli.

Probat igitur Ariſtoteles terræ *ἀσφάλειαν*: quia *τὰ βίᾳ ῥιπτούμενα ἄνω βάρη καὶ στάθμην πάλιν φέρεται εἰς τὸ αὐτὸ, pondera quæ ſurſum eijciuntur, ad perpendiculum rurſus in eamdem terræ partem recidunt.*

Tycho Epiſt. ad Rothman.

Si autem verum eſt quod aſſeuerant Pythagorico-Copernicani, terram intra 24. horarum ſpatium, integrâ periodo circa centrum reuolui ab occaſu, in ortum, ipſa calculo Tychonis, *intra vnum temporis minutum, quod circiter centum pauſas continet, vltra 18750. paſſus maiores, ſeu* 3 $\frac{3}{4}$ *milliaria Germ. conficiet, aſſumendo*

mendo pro quolibet milliari 5000. paſſuum, & terræ circumferentiam 5400. *milliarium Teuthonicorum vulgarium præſupponendo.* Vnde ſequitur, punctum vnum terræ ſub Æquatore,& hominem quempiam Americanum qui fortè illud calcat, 24. horis totum terræ ambitum 5400. milliarium Germ. & ſingulâ quâque horâ 225. milliaria Germ. veluti rapidiſſimo trocho inſidentem,circumcurrere. Hinc ergo putauit Ariſtoteles lapidem, aut ſagittam rectà ſurſum & per axem horizontis emiſſam,non redituram (terrâ velociſſimâ gyratione ſe verſus ortum ſubducente) in idem telluris punctum, ſed 4. ferè milliaribus Germ. (licet vnicum horæ minutum in itu redituque conſumeret) inde verſus occidentem recaſuram. In parallelo verò Germaniæ & Belgij, qui minor eſt Æquinoctiali, nec tantâ rapiditate circumagitur, duo circiter milliaria Germ. decurremus vno horæ minuto; vt proinde totidem milliaribus ſagitta illa relapſura ſit verſus occaſum.

Idem Tycho, & Clariſſimus Academiæ noſtræ Archiater Thomas Fienus in Epiſtolâ ad nobiles Anglos,oſtendunt,in pondere ex altiſſimâ turri demiſſo, quod negant ad pedem turris, ſed procul inde ad partem occidentalem, caſurum. Fien.Epiſt. ad nob. Anglos.


Gemellum etiam eſt,quod aiunt volucres ad paſtum euolantes, non reperturas nidos,vertigine terræ interim turres, domos, arbores ad multa paſſuum millia inde in ortum abripiente.

Buchan.

Ipſe etiam volucres tranantes aëra leni
Remigio alarum, celeri vertigine terræ
Abreptas gemerent ſiluas, nidoſq́ tenellâ
Cum ſobole.

Hos tamen argumentorum laqueos ſatis à Copernico tribus pænè verbis excuſſos putat Rothmannus. *Non ſolùm terra enim,*ait Copernicus, *cum aqueo elemento ſibi coniuncto ſic mouetur, ſed non modica quoque pars aëris, & quæcumque eodem modo terræ cognationem habent. Siue quòd propinquus aër terreâ aqueâve materiâ permixtus eamdem ſequatur naturam quam terra, ſiue quòd acquiſititius ſit motus aëris, quem à terrâ per contiguitatem perpetuâ reuolutione ac abſque reſiſtentiâ participat.* Et hunc aëris citra ſupremam eius regionem protendi exiſtimat, in quâ ideò ſuſpenſæ pogoniarum & cometarum formæ inſtar ſiderum oriri & occidere cottidie videntur, quia aër in quo fluctuant, deſtituitur, nec ſequitur terram ab occaſu in ortum. Copernic. lib.1.c.8.

Lib. 6. c. 5. Bellè Gilbertus: *Terra diurnâ reuolutione non mouetur ſeparatione ſolidioris circumferentiæ eius à circumfuſis corporibus, ſed circumfuſa effluuia omnia, & in illis grauia, quouis modo vi pulſa, ſimul cum tellure, generali cohærentiâ vniformiter procedunt.* Κομψῶς μὲν, οὐκ ἀληθῶς δέ. *Eleganter quidem, ſed non verè*, vt olim Ariſtoteles Anaximandro. Putat tamen Gilbertus ita ſatis reſponſum Ptolemæo, qui olim Pythagoricis obiecit, nubes, volucres, & vniuerſa quæ in aëre pendent, perpetuò in ſpeciem abitura verſus occaſum, eodem modo quo in ſtellis & cometis experimur. Nam
Lib. 1. Epit. terra velut funibus quibuſdam & neruis, ait Keplerus, ſecum circumfuſum aërem, nubes, volucres, & proiecta per eum cadentia torquet in orbem; vt proinde non videantur in occaſum refugere, ſed eidem perpetuò terræ puncto impendêre, quod pari paſſu & celeritate ſequuntur. Vt in ſubiecto ſchemate



BCDE.

BCDE. ſit ambitus Orbis terræ, IFGH. ſit terminus atmoſphęræ, ſiue regionis aëris quouſque aſcendunt altiſſimi vapores & terræ effluuia. Cùm igitur circuli IFGH. circumferentia cũ areâ ſuâ vſque ad circulum terræ BCDE. æquali velocitate cum terrâ rapiatur ab occaſu in ortum, nubes in F. ſuſpenſa videbitur (niſi ventus aſpellat) ſupra punctum terræ C. quieſcere, quia pari ipſum celeritate in orbem comitatur, adeò vt quando C. peruenerit in D. eodem momento F. ſit peruenturum in G. quia C. punctum terræ, per virtutem attractiuam, vt inquiunt, tenet F. nubem in eodem perpendiculo FCA. & eam motu telluris circumducit.

Verumtamen hæc mihi magis aures quàm mentem implent. nam triplex maximè probabilis cauſſa fingi poteſt, cur aër circa terram vaporilentus cum terrâ in orbem vertatur. Vel quia propter ſolam contiguitatem attrahitur, vel quia terra magnus quidam magnes eſt, qui vniuerſa circa ſe, terræ aut aquæ cognationem habentia, rotat, vel denique quia omnibus corporibus grauibus & eorum effluuijs in aëre ſuſpenſis, vis magnetica ineſt, quâ ſeipſa ſponte incitent & moueant in terræ ſequelam.

Primus modus facilè reijcitur, quia aër per meram contiguitatem non valdè altè à terrâ traheretur: vnde nubes excelſiores, & præſertim altiſſimi illi halitus, qui lampades manè & veſperi crepuſculorum ſunt, nullo, aut tardiſſimo paſſu ſequerentur terram, & refugos omnes palàm in occidentem videremus; & id maximè in locis planis; vbi terra nullis montibus aut collibus exaſperatur, qui eam iuuent ad impellendum aërem ab occidente verſus orientem. Cùm enim aër ſit naturâ ſuâ fluxum ac lubricum corpus, & à globo terreſtri diſcontinuum, ne quidem vbi montium, turrium, ædificiorum, arborum altitudinibus propelletur, ſatis obedienter aut pari celeritate motum terræ aſſequetur, ſed diffluet hàc illàc, & retrò relinquetur. Deinde lapides & cetera proiecta pendentia in aëre, tardata ſuâ grauitate, ſegniùs ducerentur quàm aër & leuiora; veluti nauis ſecundo flumine tardiùs defluit quàm aqua.

Alterum modum amplexus eſt Keplerus, ſed profectò non multò ſolidiorem. Nam ſi terra vi magneticâ nubes & vniuerſa in aëre pendula abripit, ſegniùs in ſpatio diſtanti operabitur (nam magnes ferrum longiùs remotum languidiùs attrahit: & Keplerus fatetur, propter longinquitatem tardiùs Saturnum, quàm ceteros planetas, à ſole circa centrum ſuum ſe verſante, trahi ab occaſu in Lib. 4. Epit.

 ortum)

ortum) atque ita nubes quoque pigriùs terræ vertiginem ſequentur, quàm alia terræ propinquiora; cùm tamen, ne videantur ad occaſum retrocedere, celeriùs rapi debeant, quia circulum maiorem deſcribunt, quàm aues & cetera viciniora ſuperficiei terræ.

Deinde, veluti lapis magnes non omnia ſine delectu, aut æquè auidè trahit; ita vis illa terræ magnetica violentiùs corpora quædam, vt fortaſſe ferrum, quàm alia metalla, aut quàm libratas in aëre auium carnes & plumas, in orbem rapiet; quod tamen experimentis repugnat.

Denique, ſi ex cælo lunæ, exempli cauſſâ (quouſque aut ſe omnino non effundit; aut valdè tenuiter vis telluris magnetica) demittatur lapis molaris, non per lineam rectam & perpendicularem, ſed per curuam ac diſtortam neceſſariò ad terram perueniet.

Vt in præcedenti ſchemate ſit F. cæli lunæ punctum ex quo verſus centrum terræ A. cadere incipiat lapis, dico non caſurum per lineam perpendicularem F C A. quia quamdiu in extremâ parte ſphæræ actiuitatis terræ verſatur, tardiùs in orbem incedit quàm linea perpendicularis F C A. vnde retrò relinquitur, nec vllâ ratione poteſt ita terræ motum conſectari, vt rectà decidere poſſit in punctum C. ſed paullatim ad terram accedendo, & in denſiorem fortioremque vim terræ magneticam ſe induendo, propiùs vertiginem telluris aſſequitur, donec tandem in punctum terræ N. vel in K. decidat. quod tandem etiam concedit Keplerus. Lib. 1. Epit.

Sed licet experientiâ non facilè id refelli poſſit, cùm nemo ad lunam aſcenſurus ſit, vt lapidem inde nobis demittat; tamen in glande bombardariâ, rectà & per axem horizontis altiſſimè excuſſâ, item in lapide, iugo prærupti & excelſiſſimi montis demiſſo, differentia aliqua notari poſſet, nec tam directè in ſubiectum terræ punctum caderet, quàm ſi ex loco terræ propinquiore delapſus eſſet. quia, inquam, in ſpatio terræ vicino vis eius magnetica eſt robuſtior, languidior in remoto; vnde quamdiu graue in magnâ diſtantiâ delabitur, languidiùs trahitur, tardiuſque terræ gyrationem aſſequitur, quàm vbi in vicinum & terræ ferè contactum peruenerit.

Lib. 6. c. 5. Itaque tertium modum elegit Gilbertus, & credit non tam nubes, proiecta, aues trahi à terrâ, quàm illa propriâ ſponte cum terrâ circuire. Terra enim, opinione Gilberti, & corpora grauia, eorumque halitus & effluuia, magnetes quidam, aut corpora ma-

gnetica ſunt: hæc autem vim quamdam ſe mouendi habent; vt in magnete periclitari licet, qui in vaſculo innatans aquæ, tam diu vacillat & vertiginat, donec polos ſuos ſecundùm mundi polos direxerit ſub eodem cæli meridiano. Sed etiámne aquei nubium vapores magnetici ſunt, Gilberte? Vix credo affirmaturum: alibi enim ais, ideò in mari acum nauticam ad propinquiora littora paullisper deflectere à polo, quia in terrâ, non in aquâ eſt vis magnetica, quæ illam acum ſollicitat. Quâ igitur virtute aqueæ nubes magnetico & ſpontaneo impetu ſequentur terram? Sed etiámne auium carnibus & plumis vim ſe mouendi circulariter magneticam donas? Sine dubio facere debes. Sed ecce, non omnia corpora mixta æquè largiter de virtute magneticâ habent, nam ipſe fateris (& certum eſt) ferrum plus magnetis, quàm reliqua metalla, quàm ſilices, quàm ligna, quàm animalium carnes participare: igitur non omnia in altum proiecta & pendentia in ſublimi pari impetu terram in ortum ſectabuntur, ſed ferrum animoſiùs, reliqua ſegniùs & manifeſtè deſerentur, videbunturque ſemper reflectere ad partem mundi occiduam. Et vt omittam pluribus oppugnare virtutem illam magneticam, quam per tellurem totam, & vniuerſa corpora mixta terreſtria diffundit Gilbertus, non video, quomodo corpora illa paſſim non ſe ſollicitarent & traherent, quomodo ædificiorum lapides non ſe inuicem ad ruinam conuellerent, quomodo nauis è medio flumine, aut mari non perpetuò ad littus ſponte declinaret, inuitata à terrâ magneticâ littorali. Reſpondebit, ſcio, Gilbertus, non eſſe in terrâ & vulgaribus ſaxis tam acrem vim tractoriam, quàm in magnete, ideoque nos non experiri lignum trahi à lapide, aut calceos noſtros ſaxis platearum magnetico glutine affigi. Lib. 4. c. 11

Sed λέγει γε τι, οὐ μέν τοι ἀληθές γε, *aliquid quidem dicit, non tamen certè verum*, vt cum Niciâ illo Platonico dicam. Si enim tantum virtutis magneticæ habent, vt ſuſpenſa in aëre terram pari paſſu, & impotentiſſimo curſu comitentur ab occaſu in ortum, ſatis etiam, ſine dubio, habebunt, vt ſe inuicem trahant, cùm Philoſophi iſti magnetici exiſtiment, eamdem eſſe virtutem, quâ magnes in orbem ſe torquet, & alia trahit ſecum. Plat. in Lachet.

Itaque, quando aliud nil reliquum eſt, ſi me audiant Copernicani, aliquot Angelorum & Geniorum myriadas per inferiorem aërem, quouſque philoſophiæ Copernicanæ expedit, diſponent, qui

qui nubes, volucres, tela, & omnia in altum proiecta illicò excipiant, & verſus orientem pari cum terrâ celeritate ferant, id eſt, maximas nugas agent.

Argumentum igitur Ariſtotelis nullâ hactenus tergiuerſatione eludere valuerunt Pythagorico-Copernicani. Veluti nec iſtud ei planè affine, facilè poſſunt. Ex altiſſimâ turri pondus demiſſum non decidet ad pedem turris, in punctum perpendiculariter ei ſuppoſitum, ſed longè ſatis inde verſus occidentem; quandoquidem tempore quo pondus delabitur, terra gyratione ſuâ ſe ſubducat verſus ortum.

Hunc enim nodum eodem modo quo præcedentem ſoluere debent, id eſt reuerà non diſſoluent. Scio tamen fugam eos hîc aliquam in nauticâ quadam experientiâ inueniſſe. Pondus, inquiunt, ex ſummâ trabe aluei nauis in punctum carinæ perpendiculariter ſuppoſitum directè cadit, etiamſi ipſa celerrimè agatur tumentibus velis: igitur & lapis è turri deciduus, ad perpendiculum cadere poteſt, licet terra, tamquam nauis, in ortum ſe gyret.

Sed exemplum iſtud non me valdè terret. nam tecti & carinæ nauis interuallum nimis breue eſt ad deprehendendum manifeſtè receſſum ponderis verſus puppim, ſiue partem poſteriorem nauis. breuiſſimo quippe tempore à tabulato ad fundum carinæ peruenit, nec ſat ſpatij ei datur, vt euidenter à perpendiculo deliret, & aliquantulum retrò cadat.

Deinde aër aluo nauis comprehenſus nec liberè diffluens, ſimulque in naui, velut in vtre, nauigans, aliquantulum vrget decidens per ipſum pondus, ne ita retrò agatur atque ſi per laxum & patentem aëra rueret. Hoc enim nuper experientia Io. Gallęi Leodienſis Mathematici celebris me docuit.

Quippe narrabat ſe in mari Adriatico huius rei periculum feciſſe, ac plumbeum pondus ex altiſſimo malo Venetæ triremis demiſſum, non decidiſſe ad mali pedem, quò perpendiculum collineabat, ſed aliquantum (motu ſubducente nauem & promouente verſus proræ ſpatium) retroceſſiſſe ad puppim.


Audiant, quæſo, hoc experimentum Copernicani, & cogitent idem euenturum ponderi in terram deciduo, ſi in eâ, tamquam naui, ab occaſu in ortum circumuehamur.

CAPVT

CAPVT IX.

Tormenti ictu aſſerta terræ quies, quem declinare fruſtrà conantur Copernicani. Inter ambulandum etiam verſus occidentem, aërem ab occaſu in ortum reflantem experiremur.

DEprehendi etiam terræ quies hoc argumento poteſt. Tormentum eodem puluere, eodem globo, eâdem eleuatione, ſub eodem parallelo, ſemel verſus ortum, deinde verſus occaſum, aëre tranquillo explodatur. Si terra in ortum gyretur, dico longè breuiorem in orientem quàm in occidentem futurum ictum, ſi ſpatium eius in ſuperficie terræ metiamur; cùm tamen experientia inueniat vtrumque parem. Schema enim præcedentis Cap. huc retrahamus.



G Sit

Sit igitur iterùm Orbis terræ B C D E. & ex puncto C. explodatur tormentum verſus orientem, impetu qui terrâ quieſcente poſſit traiicere pilam in punctum ſuperficiei terræ M. Dico, ſi terra iam rotetur verſus eamdem partem, pilam caſuram non in M. ſed citeriùs, vt puta, in L. Nam intereà temporis quo pila volat per aërem, punctum C. rapitur verſus L. & L. verſus M. & M. verſus D. Atque ita, quando pila finito ſpatio immobili imaginario, quod impetu ſuo tranſmittere poteſt (hoc autem à puncto C. imaginario ad punctum imaginarium M. extenditur) in terram cadet, non tanget punctum terræ M. quod inde per motum terræ verſus orientem abſcurrerit, ſed decidet in punctum terræ L. quod ad locum puncti M. peruenerit. Itaque longitudo ictûs ab occaſu verſus ortum inter C. & L. in ſuperficie terræ continetur. Et hoc quidem, ſi pilæ motum velociorem motu terræ conſtituamus. aliàs ſi terra velocior (vti reuerà eſt) aliud maius paradoxum eueniet, vt mox dicemus. Contrà verò, ſi tormentum ex puncto C. vertas in occaſum, pila nec in N. nec in K. decidet, ſed longiùs, puta vſque in O. excutietur. Spatium enim imaginarium quò impetus pilam ferre poteſt, extenditur à C. vſque ad K. quod interuallum eſt æquale interuallo C M. Cùm igitur, dum pila tormenti volat, punctum terræ mobile K. ei obuiàm occurrat, & ad ſpatium imaginarium puncti N. perueniat, conſequenter etiam punctum terræ O. intereà temporis ad ſpatium puncti K. pertinget, & pila in ipſum cadet, quæ aliàs in K. caſura erat, ſi terra immota manſiſſet.

Quandoquidem verò, VVilhelmi Lantgrauij Haſſiæ & Rothmanni Mathematici eius experimento, pila ferrea tormenti maioris, vno horæ minuto (qualia vna hora 60. continet) dimidium milliare Germ. id eſt 2500. paſſ. conficiat, quo tempore punctum terræ ſub Æquatore 3 $\frac{1}{4}$ hoc eſt, ferè 4. milliaria Germ. præteruolat (ſi totum terræ ambitum, vt ferè iam Geometræ ſolent, 5400. milliaria Germ. complecti conſtituas:) duobus igitur minutis, quibus pila tormenti vnicum milliare Germ. perambulat, punctum terræ æquinoctialis milliaria Germ. ferè 8. tranſcurret, quod etiam fatetur Keplerus. Hinc ergo fiet, vt dum *globus magnus*, ait, *duobus horæ vnius minutis perdurans in volatu per aërem, traiicit in occidentem per vnum milliare Germanicum in terrâ, interim terra ſubiecta Aequatori obuiet per octo milliaria.* Vnde hoc

Lib. 1. Epit.

admi-

admirabile ſequi videtur, quidquid detrectet Keplerus, Quòd globus, inquam, 9. milliaria in occidentem, intra duo illa horæ minuta conficiat: vnum videlicet motu ſuo quo per aërem volat, alia octo per terræ vertiginem, quæ intereà temporis ab occidente in orientem globo obuiàm venit. nam ſi globus in cælum directè exploſus fuiſſet, & poſt duo horæ minuta recidiſſet, in punctum terræ octo milliaribus verſus occidentem inde diſtans relapſus eſſet, vt ex Cap. præcedenti intelligis. nam punctus terræ 8. milliaribus occidentalior quàm ſit locus tormenti vnde excutitur globus, duobus horæ minutis ad ſpatium imaginarium, in quo erat tormentum, motu terræ appellit. Cùm igitur ipſe prætereà globus volatu ſuo vnum milliare verſus occaſum emetiatur, in nono milliari, in ſuperficie ipsâ terræ numerando, à loco exploſionis deficiet & cadet.

Veluti autem hic ictus occidentalis eſt iuſto longior, ita contrà, orientalis eſt breuior, imò omnino nullus, & ridiculum planè quid hîc accidet. Nam globus ex C. verſus orientem excuſſus, non cadet in punctum terræ M. vel L. ſed retrò planè verſus occidentem, vt puta in K. ſeptem totis milliaribus à loco exploſionis. Si enim globus pari cum terrâ celeritate volaret, in fine duorum horæ minutorum cùm euaneſcit impetus, adhuc in puncto C. & in ipſo tormenti tubo hæreret, quandoquidem terra, & tormentum quod ei inſidet, motu ſuo verſus ortum, globi in eamdem partem velocitatem adæquaret; vnde neceſſe foret, neutrum ab altero relinqui, ſed pari omnino paſſu incedere. nunc verò, punctum terræ C. milliaria 8. in orientem, cùm globus tantùm vnum percurrit: igitur vbi poſt duo horæ minuta ictus deficit, punctum C. cum tormento, rotis, & incenſore pulueris, 7. milliaribus anteceſſerit. Veluti ſi Louanio verſus Coloniam, quæ nobis ad ortum, eodem momento temporis diſcedant nuntius pedeſter & veredarius, & hic vnâ horâ (ſi poteſt) 8. milliaria, ille vnicum tantùm conficiat, in exitu horæ, nuntius 7. milliaribus retrò, veredarius antè erit.

Sed hæc tamen in maximo & æquinoctiali terræ parallelo tantùm euenient, vbi rapidiſſimus eſt terræ motus, in Germaniæ verò & Belgij minore parallelo 4. circiter milliaria Germ. peruolamus nos, dum globus tormenti vnum abſoluit. Vnde globus Louanio verſus oppidum Thenenſe, id eſt, in orientem exploſus, non 7. milliaribus retrò verſus occaſum, ſed 3. ſolùm, hoc eſt, in vr-

bem Bruxellenſem circiter recidet. Quæ omnia ridicula ſunt, & digna helleboro.

Lib. 1. Epit. Nondum tamen animis cadunt, neque tormentorum iſtis ictibus terrentur Copernicani. *Non rectè fit*, inquit Keplerus, *quòd comparantur ſpatia mundi, quaſi terrâ longiſſimè abſente ab emiſſo globo.* Quippe agimus de globo iuxta terram, & intra vincula virtutis eius attractoriæ volante. *Nam ſi globus bombardicus*, ait poſteà, *exploderetur eâdem vi pulueris, poſitus extra virtutem telluris attractoriam* (vt, ſupra ſphæram Lunæ, aut Martis) *tranſuolaret is non tantùm per vnum aut per octo milliaria ſpatij mundani, ſed planè per incredibilem eorum numerum.* Sic ergo argumenti noſtri vincula iactat, & excutere nititur Keplerus. *Equidem globus magnus*, ait, *duobus minutis horæ vnius perdurans in volatu per aërem, traijcit in occidentem per vnum milliare Germ. in terrâ, interimq́ue terra ſubiecta Aequatori obuiat per octo milliaria: quare reſpectu ſpatij mundani* (ſpatium imaginarium & immobile appellant Philoſophi) *rapitur globus in contrariam motûs violenti plagam (ſcilicet in orientem) ſeptem milliaribus, nihilq́ue prodeſt ei aliud exploſio in contrariam plagam, niſi quòd octauum milliare abſumit, facitq́ue vt globus tardiùs in orientem ſequatur. Excutere enim non poteſt puluis globum penitus veluti de manibus telluris, & ſemper ille in virtute trahente hæret irretitus: ſi rupit prehenſionem indicis, hæret in prehenſione ſuccedentis minimi digiti. E contrà, globus in orientem emiſſus, eiuſdem temporis interuallo promouetur raptu ipſius terræ per octo milliaria, additq́ue nonum ipſe, violenter quippe exploſus itidē in ortum. Ita ſiue in orientem, ſiue in occidentem explodatur, ſemper in orientem fertur* (motu ſcilicet terræ quo abripitur) *tantum paullò plus hic, quàm ille. At hoc compoſitum ſpatium mundanum nil attinet ad ſpatium in terrâ, quod homines metiri poſſant. Hoc autem vtrimque ferè idem eſt, quia vis eadem, quia vincula magnetica vtrimque eadem, ex quibus globus velut eripitur, inq́ue vlteriora tranſponitur.* Rem etiam iſtam exemplo pomi, quod nauta quiſpiam e prorâ nauis in puppim, & rurſus è puppi in proram excutit, obſcurè ſatis Keplerus declarat: quod mox in eum, quando μηλομάχεσθαι iuuat, retorquebimus. Hoc autem paullò antè dicere voluit Keplerus, Globum tormenti exploſum in occaſum duplici motu moueri, vno violento & à puluere incuſſo verſus occaſum, altero à virtute attractrice telluris; quo cum toto aëre, auibus, nubibus abripitur verſus ortum. Si globus iſte in ſuper-

ſuperficie terræ immotus iacêret, motu terræ ſub Æquinoctiali intra duo horæ minuta octo milliaria Germ. in ortum decurreret; verùm, quia iam puluere tormenti in occaſum per vnum milliare retorquetur, idcircò in ſuperficie terræ vno milliari reciprocat, & in ſpatio imaginario, propter concurſum vtriuſque motûs, tantùm 7. milliaria verſus ortum pererrat; cùm tamen punctum terræ, vnde exploſus fuit, octo intereà milliaria (quia non retorquetur cum globo in occaſum) percurrat.

Igitur in ſchemate ſuperiori globus ex C. verſus occidentem excuſſus, cadet in punctum terræ N. quod milliari vno Germ. à puncto C. diſtare iam ponamus. eò enim vſque vis pulueris eum tulit, atque ita octo milliarium iter, quod confeciſſet ſi in C. manſiſſet, vno milliari curtauit, reciprocando vſque ad N. verſus occaſum. Si verò in orientem tormentum conuertamus, globus nouem milliaria Germ. in eam partem motu terræ & pulueris ſimul circumcurret: nam à terrâ octo, à puluere vnum milliare habet. nec tamen longiùs quàm in L. vnico ſcilicet milliari à puncto C. decidet, quia cùm tota terra vnà cum globo, vno agmine in ortum abeat, notari non poteſt, quantum ſpatij imaginarij globus motu terræ decurrat, ſed ſolummodò quouſque vi pulueris in ſuperficie terræ ſe promoueat, & motum terræ verſus eamdem partem tendentem anticipet.

Breuiter, imaginatur Keplerus globum quaſi in ſuperficie terræ, à quâ ſuſtentetur, volui; quandoquidem vis illa terræ magnetica diffuſa per aërem, vincula globo inijciat, & cum terrâ haud ſecùs abducat, atque ſi terræ ſuperficiem contingeret. Aut ſi verum exemplum mauis: volue globum aut Kepleri pomum, primùm à prorâ ad puppim contra curſum nauis, & rurſus deinde à puppi ad proram ſecundo curſu: iam videbis, ſi impetus par fuerit, totidem reuolutiones pomi in foris ſiue tabulato nauis, in vnam & alteram partem, ac vtroque motu æquale ſpatium comparatione nauis peragi, licet non comparatione ſpatij imaginarij, aut immobilis aluei fluminis.

Verùm, perperàm comparatur volatus globi cum pomo ſic volutato, aut cum homine in naui ambulante, quandoquidem tam pomum quàm homo à naui ſuſtententur, globus verò per aëra volet, non attiguâ naue. Vtendum igitur potiùs ſimilitudine pomi, quod nauta à prorâ ſecundùm longitudinem nauis, proijcit gu-

 berna-

bernatori qui retrò ſedet ad clauum. ſic enim pomum, inſtar globi tormentarij, aërem ſecat nec tangit nauim. Si autem pomi impetus à prorâ ad puppim, & rurſum à puppi ad proram æqualis ſit, & tam validus, vt per longitudinem nauis quieſcentis præciſè ferre pomum poſſit, dico, naue plenis velis currente, iactum pomi à prorâ ad puppim contra motum nauis, vltra puppim in flumen caſurum, ac proinde reſpectu nauis fore longiorem reciproco iactu, à puppi ad proram qui comitatur nauis motum. Huius enim rei certa & facilis eſt experientia. Ratio eſt, quia quando pomum ad puppim proiectum moram trahit in aëre, puppis motu nauigij deſcendit verſus ſpatium proræ ſiue in quo prora erat, cùm pomum cœpit iaci: vnde puppis ſub iactum intrat, & locum aluei fluminis deſerit, in quem cadere pomum debet; cadetque proinde in flumen ipſum vltra puppim. Contrà verò, quando verſus proram, ſecundùm nauis curſum, pomum iacitur, prora ante ipſum fugit, ideoque in nauem ipſam decidit citra proram.

Simile quid igitur globo tormenti eueniet, nunc contra, nunc ſecundùm terræ motum excuſſo, longiorque in occaſum quàm in ortum futurus eſt ictus, ſi vtriuſque longitudinem in ſuperficie terræ, non in ſpatio imaginario metiaris.

Quid aduerſus iſta regerent Copernicani? Pomum, inquient, à prorâ ad puppim traiectum, non retrahitur motu nauis, veluti globus motu terræ reducitur ab occaſu verſus ortum, vnde hic non longiùs, reſpectu ſuperficiei terræ, expellitur, quàm terrâ quieſcente. Sed fruſtrà ſunt. Nam inprimis Gilbertus omnibus corporibus è terrâ mixtis, quale etiam eſt lignea nauis, vim magneticam & attractricem ineſſe credit. Igitur nauis pomum verſus proram retrahet, non ſecùs ac terra globum verſus orientem.

Sed demus tamen ligno non ineſſe, ineſſe verò terræ vim attractricem; non longè tamen hac fugâ euadent. Nam nauim terrâ & ſaburrâ impleamus, & res eodem modo accident. Vel, ſi mauis, pro naue ſaburratâ accipiamus inſulam natantem, qualium apud Audomaropolim in noſtrâ Arteſiâ habemus copiam: &, ne fortè vertigo terræ ab occaſu in ortum perturbet hoc experimentum, agatur inſtar nauigij inſula à meridie in ſeptemtrionem.

Ecce iam, pomum, tormenti globus, aut quodcumque graue ſupra inſulam contra eius motum, à ſeptemtrione in meridiem volans,

volans, non magis à terrâ inſulari in ſeptemtrionem, quàm ſi inſula nauis lignea eſſet, retrahetur. aliàs enim quæcumque aues inſulam talem à ſeptemtrione in meridiem ſuperuolarent, reuocari ſe experirentur, & moroſior eſſet ille volatus, quàm alter à meridie in ſeptemtrionem, qui fit ſecundùm inſulæ motum. Vnde non immeritò etiam miratur Tycho, quomodo in eodem tormenti globo verſus occaſum excuſſo *alter motus alterum nihil prorſus impediat, quò minùs omnia ita exquiſitè eueniant in tam concitatâ motione terræ, ac ſi ipſa prorſus quieſceret*. nam aër ſaltem, qui omni vento rapidiſſimo celerior in orientem cum terrâ volat, globum in aduerſum nitentem retardabit, quamquam vis terræ magnetica eum nihil reuocaret. Lib. 1. Epiſt.

Hinc etiam nos tranquillo aëre, ſegniùs & veluti reflante vento, in occaſum ambulabimus: & diſcrimen euidentius erit, quò propiùs ad Zonâ torridam & terræ Æquatorem acceſſerimus, vbi maximâ rapiditate quodque punctum aëris terræ contigui, ſingulo quoque minuto horæ, 4. ferè milliaria Germ. in ortum aufugit.

Nec multum refert, quòd idem etiam terræ motus nos abripiat, & veluti in eâdem naui cum aëre nauigemus: quia ſaltem motus quo contra fluxum aëris in occaſum tendimus, non eſt aëri communis, ſed obnitendo ſubmouere ipſum & ad partem terræ occidentalem repellere debemus; vbi contrà, in ortum, quò aër eſt torrens, ambulando, ſecundo veluti flatu adiuuabimur. Et huius diſcriminis experientia erit clarior, ſi quis in lacu ſtagnante verſus occaſum & ortum inambulet; nam aquæ denſitas manifeſtiùs ſuſtinebit, aut incitabit ambulationem. Candelarum etiam & lampadum noſtrarum flammulæ, ſi verſus occaſum, contra aëris torrentis fluxum, transferantur, magis in ortum annuent & reflectentur quàm in occaſum, quando ſecundùm aëris lapſum, verſus ortum deferentur.

Sed hoc etiam ferè effugerat Keplerus, dum pro motu terræ ſatagit, & vndique verſat acumen, reperit, iactum pomi ſecundùm & contra motum nauis proximè, inquit, eſſe æqualem; quia à puppi verſus proram proijciens meliùs firmat pedem, nauem, quantum valet, pede repellendo ſurſum; vbi quando à prorâ verſus puppim remittit iſtud tam celebratum pomum, nauis fallit pedem, nec ei (vt firmiter ad iactum defigatur) reſiſtit contrario motu. Idem ergo transferri vult ad tormenti ictum. Nam in re polemicâ Lib. 1. Epit.

exper-

expertum eſt, receſſu faciliori tormenti debilitari ictum. Igitur in ictu occidentali, terra verſus ortum decurrens non obnititur tormento recedenti, cùm receſſus ſit etiam verſus ortum; vt proinde neceſſe ſit ictum verſus occaſum eſſe debiliorem, nec oportere tantoperè mirari, ſi, quantumuis terra in occurſum eius veniat, longior non ſit ictu orientali.

Sed tenuia hæc ſunt, & aranearum telæ quas muſca valeat perrumpere. Nam ad breuem per nauim pomi iactum, non opus tantoperè niti & pedem defigere, vt ideò impetus ſit tantò debilior. Tormentum etiam ita collocari poteſt, vt rotæ & cetera quibus innititur, radant terræ ſuperficiem, nec duriùs impingant recedendo verſus occaſum contra terræ motum, quàm verſus ortum. Deinde receſſus verſus ortum facilior, non tantum debilitare & curtare longitudinem ictûs poteſt, quantum eam producit motus, quo terra ei occurrit ab occaſu in ortum, vt ex antè dictis facilè intelligitur. Denique ſubtilitatem iſtam Kepleri retundit quilibet lapidis ab ortu & occaſu leuis iactus, qui ſine magno conatu fiat & defixo in terram pede. Poſtremò, argumenta quibus proximo Cap. oſtendimus, aërem & grauia in eo pendula non poſſe cum terrâ in orbem conuerti, ſatis refellunt ea quæ reſponſitant hîc Copernicani, & motum illum elidunt, quo dicunt globum tormenti perpetuò à tellure raptari ab occaſu in ortum.

Sed alio etiam telo, & è veteri Ptolemæi armamentario eos oppugnemus. Antè tamen libet Lanſbergij hîc μετεωρίαν & inconſiderantiam admirari, an ridere. Ipſe enim globum æneo tormento exploſum celeritate æquat Copernicanorum telluri; cùm tamen ex Tychone & Keplero (& ipſe Lanſbergius confitetur) oſtenderimus, punctum telluris ſub Æquatore, minuto vno horæ, 4. paullominùs milliaria Germ. percurrere, quo tempore, Lantgrauij & Rothmanni experimento, quibus Tycho & Keplerus crediderunt, dimidiatum circiter milliare Germ. id eſt 2500. paſſ. tantùm tormenti globus pererrat; aut certè, vt alij, meliori fortè puluere & tormento expertos ſe narrant, 3000. paſſ. hoc eſt, milliare vnum mediocre Belgicum. Verùm globi celeritatem eouſque, opinor, exaggerauit & ad octuplum incitauit Lanſbergius, vt minùs terræ vertiginem vereremur, ſi velocior non eſſet, quàm volatus pilæ tormenti ænei. Quamquam, ſi quis eiuſmodi pilæ inſideat, quæ vno horæ minuto non vltra etiam milliare Belgicum præter-

præteruolet, non valdè tutum præſtare audeam à capitis vertigine, cùm 60. milliaria Belgica horæ vnius ſpatio traijciat.

CAPVT X.

Ædificia, & terra ipſa diſſiliret tam rapido motu. Et quomodo tamen hoc periculum auertere conantur Copernicani.

OBiecit olim Pythagoricis Ptolemæus, ædificia omnia ruitura, arbores eradicandas rapidiſſimo illo terræ motu ab occaſu in ortum. Si etiam gleba terreſtris tam languido iactu diſſilit, cur terræ etiam globus in puluerem tam inſanâ vertigine non diſpergitur? Mirum ſanè, quomodo ſub tectis ſæpè malè nixis, & mapalibus argillaceis durare audeant Copernicani.

Audi etiam bilem & ſimul riſum Bodini. *Terram*, inquit, *grauitate ſuâ ac pondere brutam ac ſolidam, ſurſum, deorſum, circa ſuum centrum, & circa ſolem ſimul, ac titubante motu raptari, nemo ſanus* (ergo ſententiâ eius inſaniunt, & ad agnatos duci debent Copernicani) *aut leuiſſimè Phyſicis diſciplinis imbutus vmquam exiſtimabit: cùm leuiſſimâ terræ concuſſione vrbes, arces, oppida, montes ſubrui videamus? Ac profectò vrbanè quidam aulicus, cùm in cœnâ coram Alberto Pruſſiæ Duce, Copernici opinionem Aſtrologus aliquis tueretur, conuerſus ad falerni miniſtrum,* Caue, *inquit*, ne lagena effundatur. Sed nihil timet Copernicus. Imò, *fruſtrà timet*, inquit, *Ptolemæus, ne terra diſſipetur, & terreſtria omnia, in reuolutione factâ per efficaciam naturæ, quæ longè alia eſt quàm artis, vel quæ aſſequi poſſit humano ingenio.* Et addit: *Sed cur non illud etiam magis de mundo ſuſpicatur, cuius tantò velociorem eſſe motum oportet, quantò maius eſt cælum terrâ?* Et hancce magiſtri rationem egregiè proſequitur & amplificat Gilbertus. *Illi ſtupidi*, inquit, *qui turres, templa, ædificia, ex telluris motu concuti & dirui neceſſariò exiſtimant, homines antipodes timere poſſent, ne in aduerſum Orbem labantur, aut naues cùm vniuerſum Orbem terrarum circumeunt, ne (vt à noſtri horizontis plano inclinauerint) in contrariam cæli partem ruant.* Et accendit etiam calorem. *Sed iſtæ muliercularum aniles ineptiæ, & philoſophantium quorumdam ſtupor, qui cùm de maximis, & de mundi fabricâ diſſerere nituntur & audent aliquid, vix vltra crepidam ſapere quidquam poſſunt.*

[Marginal notes: Lib. 5. Theat. — Lib. 1. c. 8. — Lib. 6. c. 5.]

Lib.6.c.3. Et alibi, poſtquam Ptolemaicam cæli rapiditatem ſatis exaggerauit, tot ſcilicet partibus vertigine terræ incitatiorem, *Terreſtris verò globus totus*, ait, *cum omnibus ſuis appendicibus placidè nullo reſiſtente commouetur. Quare vanè, ſuperſtitiosè concuſsionem corporum timent puſillanimi quidam, L. Lactantij more, qui antipodes & globoſum vndique terræ ornatum, indoctiſsimi vulgi & importuniſſimorum hominum more deridet.*

Lib.2.c.23 Ac vt nos omni timore euacuet, alicubi addit, *terrarum fundamenta magneticè connecti, coniungi, ferruminari. Quò minùs*, inquit, *Ptolemæus Alexandrinus eiuſq; ſectatores, & Philoſophi noſtri, ſi terra circulariter moueretur, diſſolutionem eius vrgeant, aut inhorreſcant.*

Lib. 1. Epit. Keplerus etiam, terræ motu, inquit, *ædificia non quaſſantur, quia motus eſt æquabilis, nec impingit. Omnia enim iſta in intimo ſinu ac complexu virtutis attractricis, aëriſq; & montium vnà euntium collocata & ſic circumlata, ſummâ nihilominùs quiete fruuntur. adeoq; ne in nauigijs quidem per rapidiſsimos fluuios æqualiter delatis vlla ſentitur inquietudo, nec euertuntur pocula vino plena.* Hoc ergo vult: Cùm vniuerſa eodem communi agmine in orientalem mundi plagam ſine colliſione mutuâ incedant, nulla eſt cauſſa, cur confringantur, aut diſſiliant. Non colliduntur autem, quia motus ille terræ & terreſtrium eſt naturalis, ideoque compoſitus, non inconditus, aut more nauigij tempeſtate agitati, hàc illàc vacillans. Deinde, ſi iſtud non ſufficit, adijcit Gilbertus vim magneticam, quæ partibus terræ velut pro calce ſit, quibus alligentur ne diffluant. Denique, ſi terræ diſſolutio à motu iſto metuenda eſt, maius cælo erit periculum, cuius raptus tantò eſt incitatior, quantò amplior eſt circumferentia cæli ambitu terreſtri. Igitur *fractus* potiùs *illabetur Orbis, & pauidos ferient ruinæ.*

Verùm hæc non ſufficiunt (tam timidi ſumus) ad propulſandum à nobis periculum.

Odyſſ. O. Iob 37. Nam vt à nouiſſimo iſto incipiam: cæli vitrei non ſunt, vt tam facilè diſſiliant, ſed σιδήρεοι, *ferrei*, ſi Homero credimus, id eſt, *ſolidiſſimi quaſi ære fuſi*, & ita à diuino Opifice fabricati, vt illam, & longè fortaſſe maiorem rapiditatem valeant perferre. Terra verò plurimis locis, & maximè circa ſuperficiem, vbi rapidiſſimus eſſet motus, puluerulenta, friabilis, & materiæ ad perferendum tantum impetum, peſſimè cohærentis eſt. Nec refert (quod à Maurolyco

rolyco tam auidè arripit Gilbertus) inteſtina Orbis terræ fortaſſis eſſe ſaxea, & velut in corpore humano oſſa quæ ſuſtineant terram molliorem ceu carnem. Nam licet ſaxea illa oſſa magnæ matris forſitan raptu terræ non confringantur, quomodo caro, id eſt, terra mollior & fluxa, ferre poterit tantum impetum? Maurolyc. Dial. 1. Coſmogr.

Sed virtute magneticâ partes alligantur, & inuicem ſe continent ne diffluant, ait tandem Gilbertus. Nugæ. nimiſquàm enim compertum eſt, minimâ vi à ſe diuelli, & molliſſimâ etiam venti aurâ diſpergi terræ puluerem. cur igitur torrentiſſimus ille terræ motus non faciet ſaltem tantumdem? Et accipiamus exemplum trochi puerorum, cuius vertigini Keplerus comparare ſolet terræ rotationem. Ille autem puluerem, aquam, & quidquid capiti eius infuderis, excutit, niſi adhæreat tenaciſſimè: cur ergo terra, tantò quàm trochus citatior, non ſuum puluerem, maria, lacus, flumina, nos ipſos, & quidquid dorſo eius non pertinaciſſimè cohæret, diſcutit & exſpergit in auram?

Sed motus terræ eſt æquabilis, non inconſtans & fluctuans, inquit Keplerus. Sit ita ſanè. verumtamen trochus non tantùm adhærentem puluerem excutit quando axis eius vacillat, vt ſolet cùm langueſcere & emori incipit vertigo; ſed etiam, & quidem maximè, cùm polo ſuo rectiſſimè inſidens, intra axem ipſum horizontis, velut immobilis circumagitur. Idem igitur terræ eueniet, etiamſi circa ſuum axem tam tranquilla, quàm trochus gyretur. Et rem iſtam vehementer adiuuabit annua terræ periodus in Zodiaco; quando quidem duorum motuum in eodem mobili rixa (vt omittam tertiam illam librationem anticipationis æquinoctiorum) acriùs mobile exagitet & ſuccutit, vt excutiat quæ non tenaciter ei adhærent. Sic enim trochus (ne ab iſto exemplo abeamus) duplici vertigine, & circa proprium axem, & vnà circum aream aliquam flagello actus, magis tergitur & ſe excutit, geminato ad aërem affrictu: quidni igitur terra idem, & magis faciat? Duplex enim iſta trochi vertigo, vera & concinniſſima imago eſt duplicis motûs telluris Copernicanæ. nam diurnam circa axem ſuum reuolutionem habet; & ſimul circa aream Zodiaci annuam. Et ne putes hanc poſteriorem, eſſe languidum & elumbem quemdam motum, qui muſcam non poſſit excitare terræ inſidentem, Keplerus, amplitudinem gyri, quem terra quotannis emetiri debet, contemplatus, affirmat, centrum terræ vnicâ horâ illo motu mil- Lib. 4. Epit.

 liaria

liaria Germ. 740. percurrere, vnde tot partibus cottidianâ terræ reuolutione rapidiorem eſſe, quâ rapidiſſima terræ ſuperficies ſub Æquatore, eodem tempore horario tantùm 225. milliaria Germanica Kepleri calculo, emetitur.

Sed motus ille terræ & terreſtrium eſt naturalis, ideoque non frangit, aut perturbat ſuum mobile, veluti motus violenti ſolent, inquit Keplerus.

Verumtamen, vtrumque motum eſſe terræ naturalem nemo facilè dederit. Ille ergo qui contra vel præter naturam mobilis erit, frangere, aut diſſoluere ipſum poterit. Deinde, ſit ſanè vterque naturalis: motus tamen localis naturalis nónne aliquando mobile diſſoluit? nónne gleba terræ, inquam, motu naturali deorſum præcipitans diſſoluitur & diſſilit in ipſo lapſu? nónne deinde motus animalium progreſſiuus naturalis eſt, & tamen membra noſtra laxat, luxat, & diſſoluit? Terra autem, ſi Keplero credimus, magnum quoddam animal eſt, & motus diurnus circa centrum ab animâ eius excitatur. *Qui Copernicum ſequitur*, ait alicubi, *volutionem globi telluris diurnam, perpetuam & æquabiliſſimam inter huius animæ* (telluris) *munia rectiſſimè accenſebit*. Quomodo igitur non frangitur, aut fatigatur iſtud animal tam volucri & inſano raptu?

Lib. 4. c. 7. Harmonic.

Quòd nauis ocyſſimo volatu velificans non diſſoluatur, non miror: quia ſummum eſt, ſi 2. milliaria parua Germ. id eſt, 8000. paſſus vnâ horâ conficiat (vt Brodæus à nautis mediterranei ſe accepiſſe narrat, & noſtri in Oceano Flandrico vix augent, nam 3. milliaria Belgica, hoc eſt 9000. paſſus donare ſolent) quo tempore globus terræ ſub Æquinoctiali 225. milliaria Germ. maiora, 5000. paſſuum, peruolat, vt proximè dicebamus. Deinde nauigij partes firmiter inuicem connexæ ſunt, & molliſſimo aquæ elemento portantur: partes verò globi terreſtris vbique diſſutæ. Ad hæc, maria, flumina, & quantum aquarum eſt, liquentis ac fluxæ naturæ ſunt, vt proinde tantam terræ rapiditatem ſine fluctu & perturbatione nequeant perferre. Nam quando corpus heterogeneum motu etiam maximè naturali fertur, non omnes eius partes parem impetum recipere poſſunt, ſed aliæ alijs magis feſtinant, & quæ mobiliores ſunt, motu citatiore à ceteris ſe diuellunt. Ita enim gleba terræ quæ partes aliquas ceteris ponderoſiores habet, diſpergitur in lapſu; & id etiam, opinor, eueniret, etiamſi ſine vllâ

ad

ad aërem alliſione rueret per vacuum. Simili igitur modo, terræ & aquæ globus ex partibus heterogeneis & tam malè hærentibus compactus, quarum vna capacior eſt motûs quàm altera, diſſiliet duplici illâ vertigine, & ædificia, præſertim infirmiora, arbores non benè nixæ, animalia omnia, ac totum aquæ elementum relinquentur retrò, & à montibus, & durioribus terræ partibus præuertentur verſus orientem. Huc etiam conferet, quòd aër terræ contiguus, quia lubrici & fluxi corporis eſt, nequeat pari celeritate comitari terræ raptum; vnde montes, ædes, arbores, & vniuerſa in ſuperficie terræ eminula, in aërem orientis impingent, & impellentur, aut certè laxabuntur ad ruinam.

Sed quomodo igitur pocula vino plena, imò cyathi in naui ventorum alis volante, non euertuntur? inquiet Keplerus. Quia, inquam, intra aluum nauigij fortè ſtrata fuit menſa, & ſine iactatione aut ſuccuſſione eſt nauigatio. tunc enim aër vndique naui vtcumque concluſus non fluctuat, ſed placidè transfertur eodem nauigij motu. Secùs verò eueniet, ſi ſub dio ponatur menſa; niſi læuitas & rotunditas poculorum cyathorumque mollem aëris impulſum fallat, & declinet ſine lapſu. Ex his igitur, opinor, intelligis Ptolemaicos non eſſe δειλοὺς, *ignauos*, qui ædificijs ſuis & ſibi malè metuunt à tam inſanâ terræ vertigine, ſed Copernicanos potiùs μαινομένους, *inſanos*, vti Ariſtoteles appellat, qui nimis intrepidi ſunt, quales, inquit, Celtæ qui σεισμὸν, καὶ τὰ κύματα, Lib. 3. c. 10. Ethic.
terræ motum, & fluctus non metuunt.

CAPVT XI.

Sonitus perpetuus ſiluarum proderet terræ vertiginem. Auram ab oriente perpetuò afflantem, locis editioribus perciperemus. Campanæ & omnia à parte orientali ſonantia difficiliùs exaudirentur.

EX ſonitu etiam ſiluarum, montium, ædificiorum deprehendi poſſe terræ, ſi quæ eſſet, vertiginem, quidam non de nihilo exiſtimant.

——ſi paruo etenim momento Buchan. in Sphær.
Cum ſonitu impulſus fremat, atque remugiat aër,
Quem fore ſperamus ſonitum? quæ murmura tellus

Concita præcipitem dum ſe contorquet in orbem,
Totáq; ſimul ſiluæ, præruptaq; culmina montium
Auram indignantem ſcindant, lacerentq;, forentq;?

Si pueri noſtri concauo & in latus pertuſo, maiori illo trocho tantos edunt mugitus, quid tot montium cauitates facient, vbi aërem vertigine telluris raptum diſcerpunt, &, vt cum Epicuréo iſto dicam —— *magno clamore trucidant?* Quæ marium deinde, lacuum, fluminumque tempeſtates, murmura & fragores? (Lucret.)

Negabunt tamen, & in vtramque aurem dormire nos iubebunt Copernicani. nempe quia ædificia, ſiluæ, &c. non ſcindunt & perforant aëra, ſed aër inter iſta mixtim ac in eodem comitatu tacitus circumagitur; quomodo arbor in flumen fortè delapſa, ſecundo aquarum agmine, ſilentio defluit, neque cum circumfuſâ aquâ rixatur.

Sed fuga iſta facilè præcluditur, ſi cogites quod præcedentibus Cap. diſſerüimus, aërem pari celeritate non poſſe comitari terræ raptum, niſi ab Angelo aliquo, aut Deo immediatè impelli dicant, id eſt, niſi nugas Copernicani maximas nugentur. Mons igitur aliquis in aërem lentè, aut ſaltem non æquali paſſu, ante ſe fugientem impinget & franget in ſonum. idem turres, ædificia, ſiluæ omnes facient, eritque ſonitus ille vocalior, quò omnia iſta excelſiora erunt: quandoquidem motus aëris iuxta terram velociſſimus ſit, & ſcanſim ſurſum ita paullatim elangueſcat, fatente Copernico, donec in ſupremâ aëris regione planè euaneſcat: hæc enim cauſſa eſt, inquit Copernicus, cur cometæ videantur refugere in occaſum; quia, inquam, aër in quo pendent non ſequitur raptum terræ verſus orientem. Iuga igitur montium aërem ibi pigriorem rapidiſſimo impetu ſecabunt, ſibilos & mugitus ciebunt, & cælum ac terram implebunt tumultu.

Hinc etiam patet, non vanum eſſe quòd Fienus & alij Copernico obijciunt, ventum ſcilicet perpetuò nobis à cardine orientis afflaturum, aut certè venti imaginem: quia nempe, aër qui curſum terræ aſſectari non poterit, videbitur reflare in occaſum. (Epiſt. ad Nob. Anglos.) Quod nec Keplerus planè diffitetur. *Poſſet*, ait, *talis ventus orientalis in ſummis montium faſtigijs concedi, & ex hac refrigeratione cauſâ quæri perennium niuium etiam ſub Zonâ torridâ: item refrigerationis ventorum orientalium, amœnitatis matutinæ, & ſimilium. Attamen*, inquit, *non eſt neceſſe vt concedamus quod obijcitur.* (Lib. 1. Epit.)

Aura enim ætheria tot vicibus tenuior eſt noſtro aëre quem hauriunt animantes, vt tranquillior & ſic inſenſibilior ſit attritus ad auram ætheriam mille milliarium in vnâ horâ, quàm attritus faciei hominis ad aërem in vnâ horâ per dimidium milliare illum perambulantis.

Sed fruſtrà Keplerus ſic extenuat auram illam ætheriam; nam in Alpibus & ceteris montibus, qui cacumina intra nubes condunt, aër tam ſubtilis non eſt, quin ventus ibi ſpirans facilè percipiatur: imò in altiſſimis illis Peruuiæ montium catenis, quibus Alpes compoſiti, humiles colliculorum verrucæ pænè videri poſſint, flatus quidam, etſi tenues, frigore tam penetrabili viatores excipiunt, vt etiam pleroſque necent, & vix periculum ſe incolumem euaſiſſe Ioſeph Acoſta teſtetur. Non eſt igitur tam inſenſibilis ætheria illa in ſummis montium cacuminibus aura, quàm vellet Keplerus, & quin perpetui venti orientalis imaginem facillimè is experiatur, qui adeò volucri telluris vertigine in eâ rotetur. Lib. 3. c. 9. Hiſtor. natur.

Adde iam alterum terræ motum in Zodiaco, quo terra omni tormenti globo infinitò pænè rapidior, ſingulâ quâque horâ 740. milliaria Germ. circumuolat in orbe annuo: quî fieri poteſt, vt tam violento raptu aër circà non fluctuet, aut quænam cauſa eſſe poteſt, quæ ipſum cum orbe lunæ, & totâ regione elementari pari cum terrâ velocitate circumferat? Sit ſane terra animata, quando tam pertinaciter id placet Keplero, & dentur ei etiam alę, quibus volet per orbem annuum: an aër tamen quoque animal eſt, & anima eius pares omnino cum animâ terreſtri vires habet, paria motûs inſtrumenta, vt pari vndique ſemper volatûs celeritate cum terrâ poſſit contendere? ægroti veteris ſunt hæc ſomnia.

Quemadmodum igitur, ſi quis globo tormenti in orientem exploſi inſideret, venti continuam ſpeciem ex aduerſo reflantem experiretur, idq; à duplici globi motu, vno circulari circa centrum, & altero recto in orientem; ita nos globo terreſtri, duplici eiuſdem prorſus imaginis motu agitato, inequitantes, ſimili ab ortu aurâ afflaremur: nam licet aër cum terrâ verſus orientem globi motum comitetur, iuxta mentem Copernicanorum; quia tamen globus ab impetu flammæ incitatus, velocior eſt quàm aër, ideò venti ab ortu flantis ſentit quamdam imaginem: igitur & nos in terrâ volantes ſenſum aliquem eius venti habebimus, quia terram itidem aëre velociorem eſſe oportet.

Hoc etiam iam incidit in mentem. Soni omnes ab ortu in occaſum

caſum venientes longè difficiliùs exaudientur, quàm retrò ab occaſu in ortum diſperſi. Sic enim experimur in fluminibus, in quæ lapis proiectus circulos breuiores ſurſum contra fluxum aquæ facit, quàm deorſum; lapſu videlicet aquæ adiuuante & impellente circulos inferiores in maiorum circumferentiarum amplitudinem. Soni verò in aëre eodem prorſus modo, circulatim & ſucceſſiuè in orbem, cum fluctu aut molli vibratione aëris, propagantur. Hæc enim vnica vera ratio eſt, cur aurâ reflante ſoni difficiliùs & ex breuiori interuallo, contra aëris curſum, ad aures noſtras appellant. Si igitur aër cum terrâ perpetuò in ortum fugiat, fac ſonet à parte ciuitatis orientali campana: circuli aëris, & ſpecies ſoni quæ eos comitantur, aduerſus aëris fluxum non tam longè in occidentem diſpergi poterunt, quàm ſi campana ſonuiſſet à latere occidentali. Hoc tamen manifeſtâ experientiâ refutatur: nam ceſſante vento, ab omni parte ciuitatis, ex æquali interuallo ſonus vnâ eademque facilitate & velocitate ad aures venit. Signum ergo non obſcurum eſt, aërem in nullam partem fluere, ſed immobilem & libratum vndique conſiſtere.

Plures rationes & experimenta congeri in diurnum terræ motum poſſunt, ſed ex ijs quæ iam attulimus nata, aut certè ſimillima ſunt, quibus proinde Libellum nolim ex ſuperuacuo onerare. Quamquam autem initiò à me monitum ſit, ſublatâ diurnâ telluris vertigine, ſponte vtrumque alium corruere, nec infitentur Copernicani; quædam tamen ſunt quibus motus annuus diſtinctè etiam poteſt oppugnari.

CAPVT XII.

Motus telluris annuus circa ſolem reiectus, propter immane & ἄναστρον, quod inter Saturnum & fixas neceſſariò Copernicani interijcere debent interuallum. Inferi etiam non in terrâ, ſed in ſole collocandi eſſent.

Lib. 2. c. 14. Cæli.

MOtum telluris annuum Philolai & Pythagoricorum, refellit olim Ariſtoteles, quia, Τούτου συμβαίνοντος, ἀναγκαῖον γίγνεσθαι παρόδους, καὶ τροπὰς τῶν ἐνδεδεμένων ἄστρων. τοῦτο δ᾽ οὐ φαίνεται γινόμενον· ἀλλ᾽ ἀεὶ τὰ αὐτὰ κατὰ τοὺς αὐτοὺς ἀνατέλλει τε καὶ δύεται τόπους, *Si hoc eſſet, mutationes, & conuerſiones ſtellarum fixarum fieri, foret neceſſe.*

neceſſe. hoc autem fieri nõ videtur: ſed eadẽ iiſdem ſemper locis oriuntur & occidunt. Cùm enim oculus noſter tellure vectus, propiùs accederet & eleuaretur ad ſtellam aliquam fixam motu illo annuo quo ſurſum deorſum ambit ſolem, ſidus illud maius & plenius appareret; eodem planè modo, quo Planetarum ſuperficies ad ſenſum dilatari Copernicani docent, cùm tellus motu illo eodem propiùs admota ipſis fuerit. Illa enim, inquiunt, eſt cauſa, cur Mars acronychus, (id eſt, veſperi ſurgens cùm ſol occidit) tam magnus appareat: quia nempe tellus inter ipſum & ſolem interpoſita, longe propinquior ei eſt, quàm vbi ſol inter tellurem & Martem eſt medius, vt ex ſchemate Cap. 1. perſpicuè intelligis.

Deinde etiam, ſtellæ fixæ retrogradæ, directæ, & ſtationariæ erunt, non minùs quàm Planetæ, & ab iiſdem cauſis: quia videlicet terra curſu ſuo in Zodiaco eas aliquando præterit, ſequitur, aut antecedit, quâ de causâ, ex doctrinâ Copernici, imaginariæ iſtæ mutationes accidunt in tribus ſuperioribus Planetis, qui inter circulum annuum telluris & ſtellas fixas ſunt interiecti.

Denique acceſſu & receſſu terræ ad fixas, iſtæ inconſtantem habere videbuntur ortum & occaſum, ait Ariſtoteles, ac in variis punctis horizontis intra non multos dies apparebunt ſurgere, & occidere, Planetarum in tali inconſtantiâ omnino æmulæ: quæ abſurda ſunt, & omnium oculis refelluntur.

Quid tamen ad hæc Copernicani? Sanè non tacent, etſi, ne diu loquantur, vnico verbo, veteri illo Ariſtarcho præeunte, ſe expediant, ſphæram fixarum infinito propemodum interuallo à terrâ ſummouendo; ita vt totus orbis annuus in quo terra circumagitur, quiq; ſphæræ ſolis Ptolemaicę eſt æqualis, comparatione ſphæræ fixarum ſit inſtar puncti indiuiſibilis. Vnde phyſicâ & ſenſibili æſtimatione, *tria hæc corpora, ſol, terra, & luna*, inquit Mulerius, *perpetuò ſunt in centro mundi, quamuis centri iſtius diameter non minor ſit duobus millionibus milliarium Germ. Hoc eſt*, ait, *ſi ex iſto centro aſcendant duæ lineæ parallelæ in cælum* (firmamentũ) *vſque porrectæ, quamuis lineæ iſtæ inter ſe diſtent* 2000000. *milliaria Germ. tamen in cælo conniuère & in idem punctum concurrere nobis videbuntur.* Itaque, opinione Copernici, ſi aggregatum ex omnibus elementis, cælo Lunæ, Mercurii, Veneris, Solis (in ſyſtemate Ptolemæi) euehatur inter ſtellas fixas, videri à nobis non poterit, ſed puncti rationem obtinebit; tanta ac tam immanis eſt diſtantia inter fixas & orbem telluris. Imò Lanſbergius eouſque exaggerat, In Notis ad Lib. 1. c. 10. Coper.

vt non vereatur dicere, totum mundum planetarium, id eſt, ſphæram Saturni cum vniuerſis corporibus intra eam incluſis, reſpectu ſphæræ fixarum, *puncto haud multò eſſe maiorem.* Hinc inter Saturnum & proximas fixas adeò incredibile interuallum immittit, vt

Controu. 2. De motu terræ ann.

neget lumen fixarũ vltra Saturni orbem poſſe euibrari. Vnde *finis,* inquit, *cui à Deo ordinatæ ſunt* (fixæ) *non tam eſt vt illuſtrent terram (lux enim earũ huc vſque ſe non extendit) quàm vt fulgore ſuo in cælo conſpicuæ homini ſint in ſigna tempeſtatum anni, & plagarum cæli.*

Quod effusè ridiculum mihi videtur: nam niſi fixæ lumen huc vſque iacularentur, numquam à nobis internoctu poſſent conſpici; quia vel lumen eſt ipſa ſpecies viſibilis (quod mihi omnino ferè certum) vel ſine eo comite, ſpecies nequit ad nos tranſmitti.

Ne tamen nimis incredibile & infame ſpatium, omni ſidere vacuum, inter fixas & Saturnum relinquant, omnibus machinis ſphæras Planetarum longè altiùs quàm Ptolemæus aut Tycho, à centro mundi remouent. Lanſbergius ſolem tam procul à terrâ reijcit, vt inter vtrumque (cùm media diſtantia eſt) ſemidiametros terræ $1498\frac{1}{7}$ interponat, idque *in Vranometriâ ſuâ euidentiſſimè demonſtraturum* ſe iactat: vnde & ſolem $433\frac{1}{4}$ terrâ maiorem, eâdẽ

Lib. 4 Epit.

euidentiâ oſtenſurum affirmat. Keplerus longè liberalior, ſolis & terræ interuallum 3469. terræ ſemidiametrorum, & toties etiam ſolem terrâ ampliorẽ nobis fecit. Deinde Saturnum decies quàm ſolem, fixas bis millies quàm Saturnum, longiùs ſummouet.

Ex quibus liquet, quàm procul extra veterum & Copernici ſui oleas iſti euagentur. nam Ptolemæus diſtantiam ſolis apogæi, ſiue remotiſſimi à terrâ, ſolum 1210. ſemid. terræ, Albategnius 1146. ſemid. Copernicus 1179. ſemid. facit, eſtque parcior quàm Tycho, qui 1182. ſemidiametros donat. Sed Keplerum & Lanſbergium, vt dixi, infamia ſpatij inter Saturnum & fixas tam enormis deterruit, ne Copernicum hanc in partem ſequerentur, ſed ſolem ceteroſque Planetas tam altè à terrâ in illud ſpatium vacuum extollerent, quàm imaginatio vtcumque veriſimilis ferre potuit.

Sed quid infinitum iſtud inter terram & fixas interuallum Copernicanos iuuat? inquies. Plurimum ſanè, & niſi hoc ipſi, & Ariſtarchus olim in anteceſſum, finxiſſent, deprehenſi erant, nec euadere poterant laqueos quos olim Ariſtoteles tetendit illis Samijs. Nunc verò vtcumque ſe expediunt, quia id quod per ſpatium ad ſenſum indiuiſibile vagatur, videtur in eodem perpetuò puncto immobile hærere: vnde oculus inter fixas, terram deſpiciens, pu-

taret

taret eam immotam toto anno permanere, quia orbis annuus (etſi reuerà maximus) quem circumcurrit, ex illâ fixarum diſtantiâ punctum indiuiſibile apparet. Similiter, ſi terram cum Lunâ & totâ regione elementorum in firmamentum ſubuehi, & per ſpatium orbi annuo æquale (id eſt, cuius diameter 2000000. milliaria Germ. contineat) ire & redire imagineris, oculus tamen hinc ſuſpiciens exiſtimaret omnia in vno puncto firmamenti fixa conſiſtere, quia linea 2000000. milliarium Germ. in firmamento, ob immanem à terrâ diſtantiam, videtur magnitudinem nullam habere, ſed inſtar puncti eſſe. Itaque ſiue terra fuerit in Cancro, ſiue in Capricorno, ſiue in Ariete, ſiue in Librâ, id eſt, ſiue in hac ſiue in aliâ extremitate diametri orbis annui, ſemper ſub eodem firmamenti puncto verſari apparebit, ac proinde comparatione ſtellarum fixarum inſtar corporis perpetuò immobilis erit, perindeq; omnia ſecundùm ſenſum euenient ac ſi reuerà eſſet immobilis. Non dilatabitur ergo ſpecies fixarum, etiamſi 2000000. milliaribus Germ. terra propinquior fiat; quia talis aſcenſus reſpectu altitudinis fixarum pro nullo reputatur, cùm tanta linea ad ſemidiametrum ſphæræ fixarum inſtar puncti ſit. Eâdem de causâ nec veloces nec tardæ ſtellæ fixæ apparere poterunt, cùm terra de loco in locum reſpectu firmamenti non videatur transferri, vt ſuo motu nunc ſequi, nunc præterire, nunc præcedere ad ſenſum fixas valeat. Hinc etiam ortus & occaſus fixarum tam conſtans apparet, quia iterùm, terra earum adſpectu apparet immobilis. Euaneſcit deinde ob eamdem rationem telum, quo Regiomontanus credidit olim ſe Pythagoricos iugulaſſe: quòd eadem ciuitas ſingulis annis eleuationem poli mutaret, ſi terra in orbem annuum circa ſolem gyraret.

Itaque, vt telluri motum iſtum eripiamus, qui intra ſpatij illius inter terram & fixas immenſitatem ſe abſcondit, neceſſariò tanti interualli abſurditas in auxilium aduocanda erit.

Inprimis igitur, ſi tanta eſt intercapedo firmamenti, nulla ſtella fixa, etiam minima & vltimæ magnitudinis, erit, quæ, non dico corpus ſolare, ſed totam eius ſphæram, ſiue orbem terræ annuum, magnitudine non ſuperet. nam orbis iſte, vt fatentur, in firmamento inſtar puncti indiuiſibilis & inuiſibilis eſſet; cùm tamen quæuis ſtella ſextæ magnit. longè amplior puncto in oculos omnium incurrat. Hoc autem ſtatim nimiſquàm paradoxum & adoxum apparet: ſolem ſiderum regem, & mundi inferioris, in quo homo

princeps animal degit, moderatorem, tot partibus à viliſſimo firmamenti ſidere ſuperari.

Epiſt. ad Rothman

Deinde in vniuerſo *nihil vacui, nihil fruſtranei, nihil non ſibi inuicem certâ harmoniâ & proportione reſpondens,* ait Tycho. *Scilicet à Saturno ad ſtellas fixas non quidpiam in vſus terricolarum deſtinatum continebitur, per interuallum pluſquàm 7000000. ſemid. terræ, ſtellis fixis quæ longè ſuperiùs elatæ ſunt, his tamen non minimùm inſeruientibus.* Et poſteà: *Qualis, quæſo, mundi viſibilis ſymmetria ſic prodibit, ſi maxima pars creaturis viſibilibus deſtituta erit? Quædam corpora cæleſtia in immenſum fermè augeantur, quædam verò, vtut per ſe vaſta, cum his tamen vix conferri poſſint? faceſſat iſta ageometrica, & aſymmetra inordinataq́; philoſophandi ratio, à ſapientiâ prouidentiaq́; diuinâ alieniſſima.* Iucundum etiam erit audire confeſſionem ad quam Rothmannum Copernicanum Tycho compulit: *Quam* (rationem philoſophandi) *etiam ipſe Rothmannus, cùm eſſet mecum,* ait, *vlteriùs tueri non audebat, ſed magnam abſurditatem pari incredibilitati coniunctam hiſce ſubeſſe, inter conferendum non inuitè tandem fatebatur. Memini enim, ipſum ſemel inter alia mihi dixiſſe, ſi Copernicæa aſſumptio in rei veritate conſtaret, neceſſarium fore, vt pleræque affixæ ſtellæ totum annuum orbem, ſeu ſphæram ſolis ſuâ verâ quantitate exuperarent, antequam tam inexhauſta diſtantia, qualem illis neceſſariò Copernici attribuit ratiocinatio, eam, quam è terrâ cernimus, viſibilem ijs concederet quantitatem: quemodmodum ipſi à me obiectum erat. At hoc omnem fidem ſuperare, prorſuſq́; abſurdum videri non inficiabatur, neque per omnipotentiam diuinam id vlteriùs excuſare nitebatur, & magnam quoque aſymmetriam ex his induci non illibenter admittebat. Mundus quidem finitus,* pergit Tycho, *quoad Creatorem infinitum nullam habet proportionem; ſed quoad ſeipſum, ſuaſq́; partes maximè proportionalis exiſtit. Quod & in ſingulis animantibus terreſtribus (vt de alijs eius partibus ſileam) videre eſt. Sunt enim omnium animalium partes & membra ita proportionaliter ad inuicem ordinata & diſpoſita, vt quodlibet horum certam rationem ad totum, tum quoque ad reliquas ſuas partes obtineat.*

Vidit hæc Keplerus, & cùm Planetarum interualla quinque corporibus regularibus comparauiſſet (interuallum enim Saturni & Iouis cubo, Iouis & Martis tetrahedro, Martis & telluris dodecahedro, telluris & Veneris icoſihedro, Veneris & Mercurij octohedro ſimile imaginatur) nec ſextum corpus regulare pro interual-

lo

lo Saturni & fixarum poſſibile eſſet, tandem poſt varios cogitationum æſtus, concludit, *nihil eſſe veriſimilius, quàm vt etiam Geometricè ſemidiameter regionis mobilium ſit medium proportionale inter ſemidiametrum corporis ſolis & ſemidiametrum ſphæræ fixarum: vt ſicut ſe habet globus ſolis ad ſphæricum ſyſtema Planetarum omnium, ſic hoc ſe habeat ad ſphæricum totius mundi corpus, fixarum regione terminatũ.* Id eſt, quantò maior eſt diſtantia Saturni à centro mundi, quàm ſemidiameter corporis ſolaris quod in centro collocat, tantò præciſè etiam maior eſt diſtantia fixarum à centro, quàm diſtantia Saturni ab eodem. Vnde ex principijs & hypotheſibus ſuis conficit, ſemidiametrum ſphæræ fixarum continere in ſe ſemidiametrum ſphæræ Saturni bis millies. Ex quo intelligis, quàm incredibilis inter Saturnum & fixas relinquatur vacuitas, quidquid eam vtcumque, ſublatis in altum Planetarum ſuperiorum ſphæris, replere conati ſint. Nam hanc aut ſimilem Copernicani ſyſtematis imaginem animo ſibi deformare oportet. Lib. 4. Epit.



In quo A. ſit Sol in centro vniuerſi. C D E F. ſit orbis annuus, in quo terrâ cum lunâ ac totâ regione elementari reuoluitur quotannis circa ſolem. Orbis Saturni, extimus Planetarum ſit G H I K. qui à ſphærâ fixarum B L M N. diſtat interuallo G B. vacuo. Semidiameter A B. ſiue diſtantia centri mundi in quo quieſcit ſol, & ſphæræ fixarum, bis millies, imaginatione Kepleri, longior eſt, quàm diſtantia A G. quæ eſt ſemidiameter ſphæræ Saturni. adeò vt A G. ſit ſolùm bis milleſima pars A B. Totus deinde orbis terræ annuus C D E F. imò etiam orbis Saturni G H I K. ſi Lanſbergio credere velis, comparatione B L M N. inſtar puncti eſt indiuiſibilis. Et hîc cernis quod paullò antè dicebamus: quòd ſi oculus ex ſphærâ fixarum B. terram deſpicere poſſet, viſurum eam, tamquam immobilem, etiamſi circulum C D E F. circumcurreret: nam ſiue in D. (quod exiſtima eſſe principium Arietis) ſiue in F. oppoſito Libræ puncto verſaretur, ſemper in eodem puncto hærere appareret, quandoquidem diameter orbis annui D F. ſit linea ad ſenſum indiuiſibilis.

Hoc ergo illud ἄναςρον eſt & ſine corpore cæleſti hominibus vtili, inter Saturnum & fixas interuallare ingens ſpatium, quod Keplero adeò veriſimile videtur, non Tychoni, non mihi.

Sed proportio illa tam concinna, ait Keplerus, probabile ipſum facit. Vt videlicet, quantò corpus ſolare A. minus eſt quàm G H I K. id eſt, quàm tota compages conflata ex ſphæris omnium Planetarum & elementis, tantò G H I K. minus ſit quàm BLMN.

Verùm tam quæſita, & imbecilli pede nixa proportio non eſt ſatis valida, vt tantæ rei molem ſuſtineat. Nam Solis magnitudo tam ampla à diuino Opifice facta eſt, quanta ad illuminandas non ſolùm Planetarum ſphæras, ſed fixas etiam ipſas (ſi Copernico creduli ſimus) ſatis fuit: aut certè (quoniam longitudine interualli inter Saturnum & fixas iam deterreri ſolent Copernicani) quantum ad elementa & Planetas (id eſt, orbem G H I K.) perfundendos neceſſe erat. Hîc enim circiter extremos radiorum ſolarium mucrones euaneſcere Keplerus, Lanſbergius, alijque exiſtimant, ideoque fixas ſuam non alienam lucem vibrare.

Proportio igitur quam Opifex inter ſolare corpus, & vltimam ſphæram Saturni, ſiue totum ſyſtema planetarium, interiecit, ex actione, quâ ſol vniuerſum illud ſpatium illuminare debebat, ſumpta fuit: vnde ſimilem proportionem inter orbem Saturni, & fixarum ob eumdem finem ſeruare non oportuit, cum planetarius

orbis

orbis ad agendum in fixas à naturâ & Opifice deſtinatus non ſit.

Quandoquidem igitur omnia illa corpora cæleſtia ad influxum & actionem in terram & orbem elementarem creata ſint (*poſuit* Gen.1. enim *ſtellas Deus in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram*) ſine dubio, fixarum & Saturni interuallum tam ſpatioſum factum eſt, quàm ad modulandos ac temperandos fixarum radios, antequam ad terram pertingerent, ſufficiebat: minimè verò tam immane eſſe debuit, vt fixarum lumen per longitudinem eius delaſſatum, in ſphærâ Saturni emoreretur, nec ad terram perueniret, vt ridiculè philoſophatur Lanſbergius.

Abſurdum etiam eſt, aiebat proximè Tycho, longè maximam viſibilis mundi partem otioſam eſſe, & ſideribus deſtitui quæ actione ſuâ proſint his inferioribus. Sed videte tamen, quomodo hanc lacunam Lanſbergius impleat. Fallitur Tycho, inquit: non eſt vacuum illud ſpatium, ſed plenum, non ſolùm nouis aſtris, *ſed creaturis inuiſibilibus vndique obſidetur.* & explicat deinde, hos eſſe *ſpiritus bonos & malos, aſcendentes & deſcendentes* à tertio cælo in terram, & Dei mandata perferentes. Quaſi verò ſpiritus ſpatia repleant, & accenſeri debeant partibus mundi viſibilis. Quod deinde addit de nouis aſtris, res incertiſſima eſt. nam etiam Copernicani paſſim cum Tychone ea inter ipſas fixas, non ſub ipſis naſci arbitrantur: &, vt demus in ſpatio illo medio quandoque aut ſtellas nouas, aut cæleſtes Cometas, ex perennium fortaſſe ſiderum halitibus oriri, non operæ tamen pretium fuit ad finem tam exilem adeò ingens ætheris interuallum condi. Sola igitur imaginatio Copernicana, quoniam rebus ſuis ita expediebat, nobis illud fabricauit.

Quod etiam negant ſtellam fixam in B. non apparituram maiorem terrâ & oculo conſiſtente in C. quàm conſiſtente in E. vix ferri poteſt: ſic enim longitudo tota diametri orbis annui (quæ iuxta Copernicum, 2000000. milliaria Germ. continet) ſiue intercapedo terræ & ſolis duplicata, ad ampliandam, aut minuendam ſtellæ fixæ ſpeciem, nihil omnino conferre poſſet; cùm tamen Batauica noſtra arundo, plurimas in viâ lacteâ, & per totum firmamenti fornicem fixas, oculis extra tubum ſpectantibus inuiſibiles, nobis ampliando detegat, & ceterarum viſibilium diſcos omnes dilatet. tubus autem non tantum præſtare in dilatando ſpeciem ſideris poteſt, quantum vicinitas oculi, qui duplo eleuatior à terrâ, & propinquior fixis eſſet quàm corpus ſolis. quod

exemplis

exemplis varijs in his inferioribus oſtendi poteſt, ſed lunæ potiùs vtamur. Vt enim luna tantæ molis extra tubum appareat, quantæ in tubo ex terræ ſuperficie apparet, non opus eſt aſcenſu tam multorum milliarium verſus cælum lunæ.

Argumentum tale quoddam aduerſum ſe ſtrui poſſe olfecerat, opinor, Keplerus, ideoque vt cogitationem noſtram hinc auerteret, teleſcopij vires in ampliandis ſideribus fixis valdè diminuit, imò planè interficit. *Periti artifices*, inquit alicubi, *negant vllam* ſtellarum fixarum *quantitatem, veluti rotundi corporis, detegi per inſpectionem teleſcopij; quin potiùs, quò perfectius inſtrumentum, hoc magis fixas repræſentari vt puncta mera, ex quibus radij lucidi in ſpeciem crinium exeant diſpergaturq́ue.* Sed fallitur profectò, & paruitatem fixarum vltra verum extenuat. artifex enim ille peritus, procul dubio, Galilæus eſt, cuius Epiſtolam vnam Keplerus Dioptricæ ſuæ inſerüit: in quâ, *Licet ſtellæ canis diſcus*, ait Galilæus, *non maior appareat* (per faberrimum illud eius teleſcopium) *quinquageſimâ particulâ diſci Iouis, nihilominùs radiatio eius eſt ingens & violenta admodum, adeò vt figura diſci crinibus proprijs ſe ita implicet & abſcondat, vt magnâ difficultate diſtingui & explicari valeat è circumfuſis crinibus.* Non ait igitur Galilæus corpus ſtellæ canis merum punctum eſſe, ſed modicum tamen, & partem quinquageſimam videri corporis Iouialis. Neque mirum id eſt, tam parum in ſpeciem à teleſcopio dilatari, quia teleſcopium circumfuſos capiti eius crines detergit, quos extra teleſcopium ſolos pænè videmus; nam capitulum illud eius ſi caluum eſſet, ſine teleſcopio oculus nullus cerneret; cùm niſi cryſtallo amplietur, inſtar puncti & inuiſibile planè ſit. Hoc igitur tubus facit: punctum illud lucis, crinibus ſuis implicatum, quod aliàs ſolum cerni non poſſet, ad quinquageſimam partem corporis Iouialis inflat, & diſtinctè in conſpectum adducit. Fallit igitur nos Keplerus, dum fixarum illa puncta in manifeſtos globulos, teleſcopij ope dilatari negat. Id enim etiam Galilæus alibi diſertè affirmat. *Eſt galaxia*, inquit, *nihil aliud quàm innumerarum ſtellarum coaceruatim conſitarum congeries. in quamcumque enim regionem illius perſpicillum dirigas, ſtatim ſtellarum ingens frequentia ſeſe in conſpectum profert, quarum complures ſatis magnæ, ac valdè conſpicuæ videntur; ſed exiguarum multitudo prorſus inexplorabilis eſt.* Et hæc aliaque id genus nemo hodie ignorat, niſi qui teleſcopij cæliq́ue ignarus.

Lib. 4. Epit.

Galilæ. Nunt. ſider.

Si ergo Batauicus iſte tubus fixarum imagines ſic dilatat, oculi vicinitas tam valdè aucta, tantumdem, vt minimum, efficiet, ac vbi terra tot milliaribus ſupra Solem nos motu annuo euexerit, quot iam infra ſumus, amplior ex propinquo fixarum ſpecies occurret, vt Copernicani vſu etiam venire credunt in tribus ſuperiobus Planetis. Terra igitur annuâ periodo circa Solem non gyrat, nec tam immenſo interuallo fixæ diſtant à nobis, vt differentia 2000000. milliarium Germ. pro nihilo reputari debeat. Vnde & ſtationariæ, retrogradæ, directæ quandoque fixæ non ſecùs ac Planetæ erunt, eueniéntque omnia quæ Ariſtoteles olim obiectauit Pythagoricis, nec effugere hactenus potuerunt, quidquid multâ tergiuerſatione conati Copernicani.

Sed ecce hoc è Theologiâ noſtrâ calamum etiam iam incidit. ne effluat, chartæ allinamus.

Theologi vniuerſim Inferni ignem in centro telluris collocant, & indicat Fides noſtra, dum ait, Chriſtum Dominum ad Inferos deſcendiſſe. & Apoſtolus diſertè: *Deſcendit primùm in inferiores partes terræ.* Et alibi de vindictâ Core, Dathan, & Abiron: *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis & vniuersâ ſubſtantiâ eorum, deſcenderuntq́; viui in Infernum operti humo.* Locus autem iſte carceris & pœnarum ideò in terræ centro, inquiunt Theologi, quia decebat longiſſimè ab empyreo & habitatione Beatorũ ſummoueri; veluti in palatijs Regum viliſſimus & infimus eſſe ſolet carceris locus. Empyreum verò, omnium conſenſu, in circumferentiâ mundi eſt, igitur Infernus in centro. terra ergo in quâ Infernus, vniuerſi centrum eſt, nõ Sol (aliàs enim Inferi includendi eſſent Sole;) vnde nec annuo curſu circa Solem tamquã mũdi centrum poteſt circumagi.

Ephеſ. 4. Num. 16.

Multa hactenus vndique rapta in Copernicanos iecimus, iam reijcere oportet quæ tam animosè ex aduerſo ſparſa in nos.

CAPVT XIII.

Nouem priora Copernicanorum argumenta reiecta, quibus motum terræ νυχθημέριον aſſerebant.

PRimum argumentum Cap. 11. quo motum terræ diurnum, qui ceterorum omnium fundamentum eſt, firmant Copernicani, ab ingenio & more naturæ ſumptum erat, quæ etſi in neceſ-

ſarijs minimè deſit, non tamen etiam ſuperfluit. Compendioſius verò eſt, terræ corpuſculum ad Solem cottidie conuertere, quàm ingentes Solis & ſtellarum ſphæras circumagere.

Sed in facili eſt reſponſio. Nam eodem argumento quiſpiam conficere poſſit, decentius eſſe, vt Rex aut dominus ſatellitum & famulorum coronam ſollicitè ad neceſſariam opem circumcurrat, quàm vt iſti circa dominum in ſede ſuâ immobilem ad miniſterium circumagantur. Sidera enim in terræ, ſiue mortalium in terrâ degentium, famulitium creata ſunt, ideoque ad opem & influentias ei diſpertiendas eam ambire debuerunt. Audi paulliſper Scripturam ſacram. *Ne fortè*, inquit, *eleuatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt*. Moueantur igitur & diſcurrant miniſtri, dominæ gentes cum ſede ſuâ terrâ quieſcant. Non amant natura & Deus ſuperflua, inquiunt, & verum eſt; ſed tamen etiam magnificentiam in pleriſque diligunt: quia *confeſſio & magnificentia opus eius*. Hanc enim in tot cælorum & ſiderum conditione admirabiliter oſtendit, quibus etiam motum circa terram imperare debuit, vt prolixior nobis eſſet confeſſionis & laudis erga benigniſſimum Opificem materia. Quas enim dignas ei laudes & admirationem reddere poſſumus, qui non tantùm olim ſemel condidit, ſed cottidie in vnius animalculi miniſterium tam ingentia incitat & verſat corpora?

Deut. 4.

Pſal. 110.

Sed fieri non poteſt quin tantâ & tam inſanâ velocitate dirumpantur cæleſtes ſphæræ, & omnia ſidera diſſiliant, clamant Copernicani. *Vtrum probabilius videbitur*, ait ille encomiaſtes Gilberti, Edvvardus VVrightus, *globi terreſtris æquinoctialem circulum, vnico horæ ſcrupulo ſecundo (id eſt, eo circiter tempore, quo quis celeriter incedendo, vnico tantùm paſſu progredi poterit) vnius milliaris Britannici (quorum 60. vni gradui maximi in terrâ æquantur) quadrantem conficere poſſe: an primi mobilis Aequatorem eodem tempore quinque millia milliaria, ineffabili celeritate percurrere, & in ictu oculi quingenta circiter milliaria Britannica, fulminis ocyùs alis, præteruolare?*

Paræn. ad Gilbert.

Probabilius eſt, primum mobile tot millia præteruolare, VVrighte: nam ſi terra intra moram quâ vnum paſſum in ſuperficie eius facis, ad quadrantem totum milliaris Britannici verſus

orien-

orientem auolat, ſalta ſemel, animi gratiâ, in altum: ecce vno ſolido quadrante Britannici milliaris inde ad occidentem recides. dum enim tantillo tempore in aëre pendulus hæſitaſti, terra quam calcabas, tam procul in orientem aufugit, vt ex Cap. VIII. intelligis. Nec periculum eſt, ne cælum rapiditate iſtâ tantò maiori diſſiliat; quia partes non colliduntur, nec vna quàm altera magis feſtinat, vt ab eâ ſe abrumpere valeat. In globo verò terræ & aquæ tam fluxo & malè cohæſo, omnia ſecùs ſe habent. nam pars vna mobilior, altera pigrior eſt, ideoque illa iſtam præuertet & retrò relinquet, & dehinc diſſolutio inuadet & diſcidium inter partes. Nolite proinde Copernicani cælo noſtro, ſed telluri veſtræ vehementer & malè metuite. Nimis intrepidi eſtis. nam tormenti globus, ſi ligneus, aut non benè firmus ſit, diſſilit tam rapido motu; terra verò veſtra longè rapidiùs omni globo tormentario, duplici motu volat, vno per orbem annuum ſingulis horis 740. milliaria Germ. vt Keplerus veſter nos docuit, altero circa centrum ſuum 225. milliaria Germ. conficit, quo tempore maioris tormenti globus per 30. ſolùm eiuſdem menſuræ milliaria euadit. Deinde ne cælorum ruinam metueremus, Deus materiam huic fini idoneam elegit, & omni ære, omni adamante duriores eos fudit. Itaque nemo hîc timet, niſi qui de potentiâ Opificis ambigit.

Sed celeritas ipſa eſt incomprehenſibilis, fabuloſa, & addenda metamorphoſibus Ouidij, ait Gilbertus. Attamen quid, quæſo te Gilberte, in totâ naturâ rerum magnopere comprehendis? Numquam Sapientis iſtius philoſophiam audiuiſti? *Qui facit magna & incomprehenſibilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus.* Caue de Iob 9.
genere iſtorum ſis, οἱ κυάθῳ μετροῦντες ὄντως τὴν θάλασσαν, τὰ τηλικοῦτα τῆς ἑαυτῶν ἐπινοίαις, *qui cyatho mare, id eſt, res tam magnas ingeniolo ſuo metiuntur.* Modò diuini ingenij infinitus, vt ſic dicã, alueus mare ſuum, id eſt, immenſam illam ſapientiam comprehendat, parum refert, quid Gilberti cyathus capere poſſit. Audi etiam Tychonem ſanctiùs hîc philoſophantem omnibus Copernicanis. *Indecens æſtimari queat*, inquit, *id per plura & maiora fieri, quod per pauciora & minori negotio pariter & commodiùs præſtari poßit. At hîc elucet incomprehenſibilis Dei Opificis inperſcrutabilis ſapientia & poteſtas, qui cæli corporibus tam vaſtis, omni cogitatione celeriorem motum, eumdemq; ſimul & vniformem & diuiſum duplicemq; attribuere & voluit & potuit.*

Nazianz. Oratione 34.

Epiſt. ad Rothman.

Denique, quiſquis Ariſtoteli, & omnibus, præter vnum Epicurum, ſcholis accredet, magnitudinem & tempus contextum eſſe ex partibus proportionalibus infinitis, non pertinaciter abnuet, cõprehendi poſſe, quomodo motus ſine fine accelerari valeat, adeoq; Deum ſphæram primo mobili centuplo maiorem intra 24. horarum, imò vnius horæ ſpatium, poſſe reuoluere. Difficilis æſtimatu, fateor, & ipſam quodammodò cogitationem noſtram ſuâ velocitate præuertit iſte motus; quin tamen diuinâ virtute corpus aliquod eouſque & vltrà incitari poſſit, nemo Mathematicus, nemo verè Philoſophus ambigere poteſt.

Verumtamen terræ, non cælo, inquiunt, vtilis eſt ille motus. Moueat igitur ſe terra potiùs, & benefico Soli terga illuminanda & calefacienda in orbem obuertat, & hanc operam principi ſideri remittat.

Sed non intelligunt Copernicani, bruto & ignobili terræ elemento operam illam & ſe mouendi ſedulitatem à Sole non impendi, ſed hominibus in ſuperficie terræ degentibus, qui cælos, qui ſidera, qui omnia, vt cum Tertulliano dicam, ſibi famulant elementa.

Nihil igitur refert quòd in Kepleri culinâ coquus veru ad ignem vertat, non autem prunas circa carnem immobilem aſſandam circumagat: hoc enim ei minus operę & difficultatis concinnat; famuli autem pigri ſunt, & corripere laborem ſolent, producere menſas. Deus verò Keplerianus coquus non eſt, nec tellurem, velut gallinam, transfixo veru ad Solis ignem aſſat; quia tam rapidâ vertigine rei malè compactæ & cohærentis, aſſatum iſtud (vt Keplero colludam) diſſolueretur, & in ignem aut cineres excideret. maluit igitur ἀμίαντον & indiſſolubilem Solis ignem minori periculo circumducere.

Nec valdè etiam premit, quod quinto loco ingerit Origanus. Terra, inquiebat, contra pigritiem & ne putreſcat, indiget agitatione; cælum verò minimè, quia eſt incorruptibile.

Verùm ne terra vniuerſa putreſcat, penes tot ventorum flatus, & infinitas alias in terræ viſceribus cauſas, eſt iſta cura. Eam verò hîc aut ibi in parte tabeſcere & corrumpi, vtile, imò neceſſarium eſt ad mixtorum generationem. Maius fortaſſe vniuerſæ putredinis, ac mortis totius corporis periculũ ſit, ſi terra animal foret, quod motu ad perſpirationem & vitalium euentilationem indigeat.

Sed

Sed in homine *μικρῳκόσμῳ* mobiliſſima pars eſt deorſum, inquiunt: pedibus enim, non capite ambulamus. in magno igitur mũdo pars etiam infima, maximè mobilis & inquies eſſe debebat.

Hîc Copernicanorum *ἀβλεψίαν* & obliuionem mirari ſubit. Terram enim inter medios Planetas longè extra centrum mundi palari exiſtimant, & tamen moueri iam inde arbitrantur, quòd in Vniuerſo infimum centri locum obtineat. Solem igitur, quem in centrum & ſentinam Vniuerſi detruſerunt, mobiliſſimam & exercitatiſſimam mundi partem eſſe, hoc argumento potiùs efficient; cùm tamen omnes immobilem faciant, præter vnum ferè Keplerum, cui ſeni iam primùm in mentem venit, circumagi ſaltem circa ſuum centrum.

Verùm, neque ſi tellus Vniuerſi pars ima ſit, oportet eam pedum officio fungi: nam aliàs ipſa cęlum, tamquam caput, deberet etiam ſuſtentare, & motu velociori (quod valdè nolint Copernicani) quàm ipſa incedat, illud mouere. caput enim hominis in ſuperficie terræ celeriùs quàm pedes inambulat, quia motus eſt circularis, & maiorem circulum caput eodem tempore conficit, cùm à centro terræ diſtet longiùs. Nam quibus rei huius cura, & otium calculi fuit, affirmant in vnâ Orbis terræ circumambulatione, caput hominis ſex pedes alti, id eſt, ſtaturæ mediocris, quatuor ferè milliaria Belgica (quorum ſingula contineant 3000. paſſ.) ampliùs quàm pedes emetiri. Sed id genus argumenta magis valent ad mouendum riſum, quàm terrarum Orbem.

Nec ſeptimum iſtud multò validiùs. Quies, aiunt, nobilior & diuinior eſt quàm motus: illa ergo danda Soli & ſtellis fixis tamquam nobilioribus, iſte verò tribuendus eſt brutæ telluri.

At enim ſi ratio iſta vires haberet, Lunam etiam, & omnes Planetas iuberet conquieſcere; qui tamen, etiam iuxta Copernicanos, ſunt in perpetuo motu. Falſum igitur eſt, quietem vbique eſſe potiorem motu. Id enim ſolùm verum eſt, in motu quo mobile naturalem aliquam perfectionem, quâ carebat, acquirit, comparato ad quietem quâ ſub illâ perfectione quieſcit. Sic quies terræ in centro potior eſt motu deorſum, quo lapis ad illam quietem ſe pręcipitat: ſicuti cuiuſuis boni poſſeſſio amabilior eſt, quàm actualis acquiſitio eius. Verumtamen Sol, aut aſtra ad naturalem perfectionem motu illo ſuo non properant (nec enim iis melius & naturalius eſt in puncto occasûs eſſe, quàm in puncto ortûs) ſed

ob finem ſolùm extrinſecum mouentur, id eſt, ad beneficia ſua animantibus & toti mundo inferiori meliùs diſtribuenda. Quies verò tali motu melior non eſt, imò tantò deterior, quantò melius, & principibus illis corporibus dignius eſt, iuſtitiæ diſtributiuæ leges obſeruare, quàm eas contemnere. Deus tamen immobilis eſt, quia immenſus, & ſine motu poteſt benefacere, & ſecundùm iuſtitiæ leges beneficia ſua diſpertiri. Iuuat etiam Tychonem hîc audire.

Epiſt. ad Rothman. *Quia motus præſtantior & dignior eſt quiete, magiſq́; vitalis, ceßit is præſtantiori & digniori parti mundi, nempe regioni æthereæ. Cumq́; cælum vniuerſum loco & tempore finitum quidem ſit, ſed infinito, incredibili magnitudine & perennitate ſimile, adeò vt diuinitatē quamdam ob id ei attribuere non dubitarit Stagirita; conueniens etiam erat, motum ipſius cæli infinitatē quamdam præ ſe ferre, ideoq́; tantâ rapiditate naturaliter cieri, vt cogitatio noſtra eam vix aſſequi poßit, ipſis ſenſibus hîc omnino obſtupeſcentibus, & motum celerrimum à quiete, niſi poſt aliquod temporis interuallum, non diſcernentibus. Tanta nimirum diuini Numinis ſapiētia, vt intellectus humanus hîc obmuteat.*

Vis igitur mundi noſtri imaginem aliquam videre? Cænationum illarum, in mediâ luxuriâ Romanâ, laquearia verſatilia adſpice, quorum *ſubinde alia facies atque alia ſuccedebat, & toties tecta, quoties fercula mutabantur.* Sic enim laquearia mundi & cæleſtis ille fornix à naturâ, aut creaturâ rationali in orbem verſatur, dum interim in terrâ noſtrâ ad quietas & immobiles menſas cænamus. Senec. Ep. 90.

Octauò contendebant, Solem mundi lucernam, in centro, vt omnia vndique ex æquo illuſtret, debere collocari. Sed allucinantur, nam etiam ex lacunari ad illuminandum pauimentum lucernæ ſolent ſuſpendi. Ex alto igitur Sol & cæleſtes illæ faces illucent terram cui conditæ ſunt. Quia tamen non ſolùm terræ, ſed Planetis omnibus Sol lumen diſpergit, idcircò medio inter eos loco Conditor ipſum incedere iuſſit.

Nonum argumentum negat in Sole vlla eſſe inſtrumenta motûs localis, eſſe verò in terrâ, nempe fibras quaſdam rectas & circulares, quibus motus perinde in eâ adminiſtretur, atque in nobis & omnibus animalibus.

Sed ſcire velim, quandónam Copernicani Solem ſcrutati ſint, vt tam affirmatè decernant, nulla in eo ineſſe inſtrumenta localis

motûs,ineſſe verò ſuæ telluri.Interrogent deinde metallarios Germaniæ, & Leodienſes carbonarios, an viſcera terræ effodiendo, neruos,aut muſculos,aut vllas omnino fibras deprehenderint,quibus animalia motum ſolent exequi. Negabunt, imò effusè ridebunt, ſcio. & nos faciamus.

Itaque neque Sol, neque tellus animal quoddam magnum eſt, cuius gramina,ſentes,& rubi,crines,arborum trunci,pili paullò duriores ſint, vt Kepleri Harmonica tam ſeriò nobis inculcat. Non indiget igitur Sol animalibus inſtrumentis ad motum, ſed aliâ vi inanimatâ ſe mouet,aut certè ab intelligentiis agitur,vt Ariſtoteli, D. Auguſtino, & pleriſque Theologis olim placet. Lib.4. c.7.

Languidè igitur & ab inualidâ manu priora iſta Copernicanorum tela veniunt: videamus, an amentatiora ſint quæ ſequuntur.

CAPVT XIV.

Decimi argumenti diſsolutio. Terræ motum diurnum à Sole perigæo non incitari. Lunæ motum à terrâ non eſſe. Terram è cruſtâ mobili, & nucleo immobili non componi: nec inde Scaligerum in labore ortûs fluminum adiuuari.

NOuam & inauditam hactenus cauſam inęqualitatis dierum naturalium finxit, & in affirmationem motûs terræ Copernicani callidè deflexit Keplerus. Omnes enim alij Aſtronomi ex obliquitate Zodiaci, & excentricitate Solis aiunt hanc dierum diuerſitatem naſci: ipſe ex terræ reuolutione mauult,quæ citatior eſt, ideoque diei naturalis ambitum citiùs abſoluit, cùm Sol eſt terræ propinquus; quia hic vi ſuâ,vt credit,magneticâ, terræ vertiginem adiuuat & accelerat. Vnde circa Capricornum,quando Sol eſt perigæus & terræ proximus, dies naturales, breuiores ſunt, longiores verò circa Cancrum, vbi ſol apogæus & à terrâ remotiſſimus,languidiùs etiam eam impellit. Verùm vniuerſa hæc ſine fundo à Keplero fabricata ſunt, quò pluribus argumentis motum terræ oneraret: nam, vt ipſus confitetur, non ſolùm omnes Aſtronomi Solis motores, ſed etiam Copernicus, & Mæſtlinus; imò Copernicani,nullo præter Keplerum,vt opinor,excepto,omnes Æquinoctialis reuolutiones arbitrantur eſſe æquales. hoc verò falſitatis mani- Kepler. lib.3.Epit.

manifeſtiſſimum eſt, ſi Æquinoctialis terreſtris nunc citiùs, nunc ſegniùs, motu cottidiano circulum ſuum abſoluit.

Attamen demus iam ſanè, Sole perigæo velociores eſſe dies naturales, non idcircò ſequitur ſtatim, terram à Sole in orbem incitari, ſed Solem potiùs ipſum ab intelligentiâ, vel aliâ causâ velociùs agitari, cùm propiùs ad terram deſcenderit. Si finem huius accelerationis ignorare me dicam, verum dicam: ne tamen omnino obmuteſcamus, hæc illicò venit in mentem. Ne Sol terræ vicinior nimiùm plagam directè ſubiectam adurat, ideò feſtinat tunc magis; nam mora calefacientis multum ad intenſionem caloris valet. Lunam etiam à cottidianâ terræ gyratione moueri proprio motu ab occaſu in ortum, vt tam audacter aſſeuerat Keplerus, non rident alij, ſed decachinnant. Sic enim non per Zodiaci obliquitatē, ſed ſuper polos Æquatoris, quemadmodum terra Copernicana, directè in ortum deberet incedere. Negat tamen hoc Keplerus, quia

Lib. 4. Epit. *mouetur etiam*, inquit, *totum cælum Lunæ communi motu cum centro telluris circa Solem ſub Zodiaco, vt ceteri Planetæ: quâ ex compoſitione fit, vt Luna reſpectu centri Solis ſemper teneat directum curſum in ſequētia.* Id eſt, Luna vi magneticâ (quâ Sol ſecundùm longitudinem obliquam eclipticæ vertit ſe circa ſuum centrum) impellitur vnà cum terrâ annuo motu per Zodiacum, ideoque hic motus Solis fortior eſt, quàm alius quem Luna accipit à tellure: *cùm fluxus ſpeciei ſolaris* (hoc eſt, actio virtutis impulſiuæ magneticæ, quam putat fieri per ſpeciem è corpore Solis & terræ diffuſam) *ſub Zodiaco incedens ſit maior, fluxus verò ſpeciei terreſtris ſub Aequatore, minor.*

Incedet igitur, exiſtimat ipſe, Luna ſub longitudine Zodiaci obliquè, impulſa à Sole, motu illo quo tellus, Luna, & omnia elementa, horæ vnius ſpatio peruolant 740. milliaria Germ. quique celeritate ſuâ longè diurnum terræ motum Lunæ impreſſum vincit: vnde Luna à filo ſuo & lineâ obliquâ quam ſub Zodiaco legit, depelli à tellure nequit. Sed hæc non videntur mihi ſatis callide & cogitatè cōpoſita. Tellus enim & Luna eâdem quaſi naui, vt fatetur, vi Solis magneticâ impulſæ nauigant annuo curſu ſub Zodiaco. Ponamus igitur Lunam in Æquinoctiali, & tellurem non reuolui cottidianâ gyratione circa centrum: ecce iam Luna in Æquinoctiali terreſtri perpetuò manens comitabitur terram per Zodiacum, & quotannis, quemadmodum terra, ſemel tantùm omnia ſigna perambulabit.

ambulabit. Quòd ergo iam ita feſtinet, vt ſingulis menſibus totum illum ambitum Zodiaci conficiat, à cottidiano terræ motu omnino prouenire debet, nullo modo ab annuo, cùm hoc annuo motu tellus & Luna, velut in naui eâdem, incedant pari paſſu, nec Sol annuo motu Lunam ab Æquinoctiali terreſtri verſus Tropicũ expellere tentet, ſed tantùm eidem parti terræ imminentem, vnà cum terrâ transferre per Zodiacum. Expulſus igitur ille totus ab Æquatore terreſtri verſus Tropicum à diurnâ terræ vertigine erit. quod tamen fieri non poteſt, cùm non ſuper Zodiaci, ſed ſuper Æquatoris polos cottidie ſe tellus vertat; vnde Lunam directè ſub Æquatore in ortum, non obliquè vltra ſuos Tropicos, repellet.

Igitur fruſtrà Keplerus imaginationem ſuam fatigat, vt nobis expediat, quâ viâ tellus diurnis triginta reuolutionibus Lunam per omnia Zodiaci ſigna incedere compellat.

Pluribus argumentis oſtendi poſſet, Lunæ motum non eſſe à terrâ: ſed quid opus in re, quam nemo, niſi fallor, etiam Copernicanorum ferè ex animo credit, operam conſumere? Hoc verò inſuper habere nolo, & præcipuo riſu videtur dignum. Keplerus dum ingenium, ad defenſandum telluris motum, vndique verſat, in hunc tandem ſcopulum impegit: quomodo aphelium telluris (ſiue pars circuli quo tellus ambit Solem, maximè remota à Sole) vmquam deſereret principium Capricorni, cùm poli diurnæ conuerſionis telluris ſemper ſpectent polos mundi?

Reſpondet verò. *Equidem per cohærentiam fibræ* (partis magneticæ, vti exiſtimat, per quam terra à Sole attrahitur vel repellitur, & cuius gratiâ aphelium eius tranſit de ſigno in ſignum, quemadmodum apogæum Solis mutatur apud Ptolemæum) *cum axe motûs diurni conſolidatam, fieret quod dicitur, nec vmquam diſcederet apſis telluris à principio Capricorni. Cogimur igitur concedere globum intra cruſtam exteriorem: vt iſta rotetur motu diurno, ille fibras habens, non rotetur: pertineatq; vſitata virtus magnetica ad cruſtam externam, quia ſemper oſtendit polos conuerſionis diurnæ, non verò apſidem Solis vel telluris.* Lib. 4. Epit.

Si hæc cepiſti, fabricatur nobis Keplerus totum terræ globum ex duabus partibus compoſitum. Vnus eſt interior, ac veluti nucleus, totus fibroſus, qui tamen diurnâ reuolutione circa axem telluris non reuoluitur. altera pars eſt cruſta, & velut cortex huius nuclei, quam calcamus, & quæ vertigine diurnâ diem & noctem nobis

bis alternat. Vnde ex iſtâ bellâ telluris compoſitione euenire poſſet, vt, ſi homines, pertuſo & reiecto illo cortice, nucleum incolerent, nullam ampliùs cottidianam diei noctiſque viciſſitudinem haberent. Item metallarij, aut carbonarij noſtri Leodienſes tam altè humum quandoque effodere poſſent, vt cortice toto perfoſſo, nucleum aſpicerent manifeſtè immobilem, dum ipſi intereà cortici adhærentes, rapidiſſimo turbine volarent ab occaſu in ortum. Deus bone, quali etiam colliſione & ſtrepitu orbis ille terræ ſuperior nucleo ſuo affricaretur! Omnes profectò illi carbonarij & operæ ſubterraneæ omnibus molitoribus & catadupis ſurdiores eſſent.

Videtis iam, opinor, quouſque tandem ſubtilitas illa Copernicana obtundatur, & quomodo deſerat ſenſum, ne videatur deſerere rationem. Si motus enim terræ annuus, ſine cortice illo & nucleo terreſtri defendi nequit, quod fatetur Keplerus, non alio iam telo opus; iugulatus eſt tam manifeſtariâ abſurditate Copernicus. Non deſperat tamen huius rei fidem à nobis extorquere Keplerus, & magno beneficio Scaligerianos ſe deuinxiſſe putat, indicando viam quâ fontium fluminumque ſcaturiginem, & maris æſtum expediant. *Adiuuet hinc Phyſicus aliquis*, inquit, *Iul. Cæſar. Scaligerum, diſputantem de fluminum ortu, deq; maris fluxu & refluxu: videatq; ſi laboranti illi ſuccurrere poßint hæc telluris ſeparata viſcera. etſi mihi*, addit, *Luna & anima telluris ſufficiant*. Keplerus enim maria fluere & refluere credit reſpiratione terræ, & ingentium pulmonum quos abdidit in ſuis viſceribus, vt nuper in Meteorolog. noſtris diximus. Sed quid Scaligerum *ſeparata* illa *telluris viſcera* adiuuare poſſunt? Aut non intelligo, aut huc reſpexit Keplerus. Putat Scaliger abyſſi ſubterraneæ aquam ab aquâ marinâ ſuperueniente exprimi in altum, ac vi tali impulſam ſcaturiginibus fontium exſilire; quem in Meteorolog. etiam reiecimus. Adiuuabitur autem hic aquæ in ora fontium aſcenſus, ſi ex cruſtâ fortè ſuperiori terræ mobili, quæ ab occaſu in ortum vehit ſecum mare, defluat iſtâ agitatione copioſior marina in ſubterraneam abyſſum; item ſi lapides, metalla, partes etiam terræ è cruſtâ mobili excuſſæ abyſſum incidant, repletoq; partim eius alueo aquam ſurſum eleuent.

Lib. 5. c. 1. a. 8.

Exercit. 46.

Lib. 5. c. 2. a. 2.

At parum omnino præſidij in talibus non paradoxis, ſed adoxis, inueniet Scaliger. Et ſi cruſta illa fruſtatim excidat, maiores paullatim

tim fient ruinæ, ac tota tandem diſſoluetur. Sed *ἄλις σινδαρίων κατατετριμμένων, ſatis de ſcrutis iſtis detritis*, quomodo eiuſmodi philoſophias alicubi appellat Socrates : ſi tamen etiam hanc conſarcinemus laciniam. Non eſſe ex maculis illis ſolaribus tam exploratum, quàm Keplerus exiſtimat, Solem turbinari circa ſuum centrum. plerique enim alij, aut fumos corpore ſolari exhalantes, aut (quod probabilius; & cælo dignius eſt) ſecundariorum Planetarum greges quoſdam eſſe arbitrantur, quos Io. Tarde Gallus, Libello nuper de iſtis edito, in honorem Chriſtianiſſimi ſui Regis, aſtra Borbonia nuncupauit. Solis autem motu circa ſuum centrum compreſſo, ſilet illicò anxia illa & prolixa Kepleri Philoſophia, quâ Planetas omnes & terram ex fibris *ſolipetis* partim & *ſolifugis* contexit, quibus Sol circa centrum ſuum ſe reuoluens, eos attrahit, aut fugat; plurimaque alia cadunt, quæ hoc turbine Solis infirmiter ſuſtentabantur.

Plat in Alcib.

Lib. 4. Epit.

CAPVT XV.

Vndecimum & duodecimum argumentum reijcitur. Oceanum Indicum ab ortu in occaſum perpetuò non defluere. Animalia ex Aſiâ in terram Auſtralem, per continentem nunc in Maldiuas, Moluccas, Iauas dilaceratam videri tranſiuiſſe.

VNdecimo argumento, indicium diurni telluris motûs, ex perpetuo Oceani Indici verſus occaſum defluxu, ſumebant Keplerus & Origanus. Hiſtoriam huius fluxûs in Meteorolog. noſtris inuenies, qui primùm à Columbo, & aliis primis Indiarum repertoribus celebratus, in ſcholas Philoſophorum venit, & ingeniis illis exercitium dedit, aut ludibrium. Nam plurimi huc inclinarunt, vt, quia cæli motus inter Tropicos eſt rapidiſſimus, aquam maris ab ortu in occaſum abripi exiſtimarent. Hoc verò longiſſimè ſpreuimus, & poſteriorum nautarum teſtimonio, qui huius rei diligentiores fuerunt, iugem illum Oceani in occidentem defluxum ſuppreſſimus. Nullo enim alio indicio hunc maris raptum, vti vocant, deprehenderunt primi nautæ, quàm facilitate nauigationis ab ortu in occaſum intra limites Zonæ torridæ, ac difficultate regreſſûs ab occaſu in ortum. Id verò non in aquæ, ſed in aëris qui vela implet, motu habet cauſſam. Latinè nobis narret Hiſpanus

Lib. 5. c. 1. a. 6.

 iſte,

Ioſ. Acoſta lib. 3. c. 6. Hiſtor. Indic.

iſte, præter ceteros non incurioſus. *Qui nauigant*, inquit, *Oceanum Indicum ab ortu in occaſum, perpetuo à puppi afflãte ſubſolano vtuntur, & eò magis pertinace, quò propiùs Aequinoctialem adnauigauerint: ſi verò in ortum reflectant, aduerſum & reflantem ipſum ſemper experiuntur.* Cauſſam tamẽ eius rei in cælum coniicit, quod aërem ſaltem, ſi aquam non poteſt, ſecum perpetuò vehat ab ortu in occaſum. *Quia enim*, ait, *rapidiſſimus Aequinoctialis motus non tantùm ſecum ab ortu in occaſum ſphæras cælorum inferiores, ſed etiam aëra, vſque ad ſuperficiem maris, corripit. Pater Alphonſus Sanchius*, inquit, *Religioſus noſtræ Societatis, & per vtraſq; Indias aliquando peregrinus, homo ingenio pollens & naturæ conſultus, narrabat, cùm olim ſub Aequatore ab ortu in occaſum perpetuo & leni illo ſubſolano decurreret, ſe exiſtimaſſe, non fuiſſe à turbidâ aliquâ exhalatione, aut è terrâ marive natum, tam mollem & conſtantem flatum, ſed auram & aërem turbine cæli (qui in medio circa Aequinoctialem velociſſimus) in orbem circumductum. Niſi enim hoc eſſet, neque tam pertinax in occaſum, neque tam placidus & mollis perflueret, ſed vel intercideret quandoque, vel in ortum reflecteretur, inconſtans, exlex, ac ceterorum ventorum æmulus. Et ab hac cauſsâ eſt, vt toto illo decurſu numquam mutentur aut obliquentur nauium vela, ſed ab eodem ſemper cardine, & eodem ſinu excipiant auram aſpirantem.*

Cauſſam tamen iſtam in Meteorolog. confutauimus, quia vſque ad infimum aërem vertigo cæli non perueniat, & in proprios ventos à Sole excitatos reiecimus.

Nullus igitur ſub Zonâ torridâ Oceani raptus, propter quem defenſandum oporteat terræ diurnum motum comminiſci. Verum tamen eſt, Mediterraneum mare in occaſum perpetuò defluere, ſed cauſſâ hac manifeſtiſſimâ, perenni videlicet Euxini in Ægeum, & Ægæi in Mediterraneum, ac numquam reciprocãte, lapſu. Hinc enim, vt omnes teſtificantur, ingens aquarum moles, Ægypti ac Africæ littoribus impacta, verſus Hiſpanias & occidentem reflectitur, naueſque Alexandriâ in Italiam, Galliam, Hiſpaniam deuehit molli & ſecundo æſtu, rixante & difficili in ortum reditu.

Vnde etiam liquet, quòd etſi talis aliquis eſſet Oceani Indici in occaſum raptus, aliam, præter telluris turbinationem, cauſſam poſſe reperiri, illi videlicet affinem quæ Mediterraneum ab ortu ad occaſum perpetuò impellit: vt ſi quiſpiam Oceani orientalis fundum altius occidentali eſſe autumet. Nam reuerà ſi terræ motus,

tus,aquas Oceani illius non ſatis celeriter terram affectantes retrò relinquat,id etiam in Flandrico noſtro Oceano,id in Caſpio, id in omni omnino etiam lacu & palude eueniet. Aquæ enim ob lubricam illam & lapſantem naturam,pari paſſu terram comitari non poſſunt: deſtituentur ergo, & ingenti retrò congerie terram occidentalem obruent. Hic igitur Oceani Indici ad occaſum imaginarius raptus à Copernicanis quolibet obuio telo Copernicum defendentibus malè raptus eſt. Quod tamen ait Keplerus, vnam à Sumatrâ & aureâ Cherſonneſo vſque ad terram Auſtralem, continentem olim fuiſſe, cuius Maldiuæ, Moluccæ, Iauæ, & ceteræ Oceani Indici in eo tractu inſulæ fragmina quædam ac veluti veteris naufragij tabulæ ſint,non diſplicet. imò propè ſum vt opiner, hoc terreſtri itinere homines, & animalia ex Arcâ Noë in terram Beach Auſtralem, & inde in Americam paullatim, nullo tunc aut breuiſſimo freti traiectu perueniſſe. Hoc enim vero ſimilius,quàm per fabuloſam fortaſſis Atlantidem, aut per Septemtrionis niues, aut Angelorum deportatione, eò penetraſſe.

Duodecimo argumento conquerebatur Lanſbergius, velociſſimum motum maximæ ſphæræ,id eſt,cælo primo mobili à Ptolemæo tribui,tardiſſimum minimæ,hoc eſt,lunari.

At ſanè ita debuit. nam vtramque ſpatio 24.horarum circiter, diurno ab ortu in occaſum raptu,oportuit reuolui : igitur quæ amplior & maioris ambitûs erat, rapidiùs debuit circumagi. Quòd tamen firmamentum motum proprium habeat tardiorem lunari, nil refert; quia ſapiens Opifex ſic expedire exiſtimauit, ad diſtribuendas in certo numero & menſurâ cæleſtes influentias mundo elementari. Sed nequit idem corpus,ait Lanſbergius,motibus cõtrariis ſimul cieri; igitur duplex in oppoſitas mundi partes motus eſſe non poteſt in eodem cælo aut ſidere. Miramini hîc iterùm incogitantiam ſenis iſtius Copernicani. Non enim dubitat, quin globus tormenti in occaſum exploſus agitetur duplici (vno telluris ab occaſu, altero pulueris ab ortu oppoſito) motu : & tamen negat iam id in cælum poſſe cadere. Deinde mirum eſt,niſi inſulæ Goeſanæ ac in mediis aquis Miniſter, Zelandum nautam, contra motum ſuæ nauis viderit vmquam inambulantem. Si id poteſt,nihil vltrà poſtulamus pro duplici cæli motu.

CAPVT XVI.

Fruſtrà timeri, ne motus cæli terram in orbem corripiat. Superiorem æthera vero motu in occaſum abire, non videri tantùm propter vertiginem terræ Copernicanam.

IMpoſſibile eſt, ait Lansbergius iterùm, totum moueri immotâ eius parte: tellus verò ſphærarum cæleſtium pars eſt; igitur cum ſphæris debet mouēri.

Falleris, terra non magis cæleſtis ſphæræ pars eſt, quàm pes pars tui calcei, Lansbergi: nec enim locatum eſt pars ſui loci. Si verò ſphæram cæleſtē accipis pro aggregato ex ipſo orbe ambiente ac omni corpore contento, id non mouetur per ſe primò; terrâ videlicet, parte eius, quieſcente. Nec id magis impoſſibile, quàm Lanſbergium quietis pedibus caput inclinare aut circumferre.

Sed οὐ κόνιον ἐν, *non eiuſdem farinæ eſt*, nec tam facilè diſſipari poteſt, quod ex Mæſtlino congerit Keplerus. quomodo, inquam, tantulus telluris globulus non corripiatur in orbem tam rapido cælorum turbine. Et augeretur profectò inſigniter rei difficultas, ſi Lansbergio luberet credere, aſſerenti tellurem, *perinde ac ſi corpus eſſet leuiſsimum*, in aëre ſuſpenſam eſſe, ac minimo etiam digitulo impulſam, ſponte in orbem decurrere.

Lib. 1. c. 22 Progymnaſ.

Verùm nego tamen globulum iſtum à cælo quamuis vaſtiſſimo, ad motum ſollicitari: quandoquidem nubes viciniores, & tantò quàm terra obedientiores, non ſequantur tamen cæleſtem motùm. Imò, an æther (ſiue aër eſt) concauo cæli contiguus, trahatur eius motu, Galilæus & Sarſius diſſident, & corrixantur animoſiſſimè. Galilæus enim ætherem à fornice cæli Lunæ trahi negat: quia ſi æreum aut vitreum orbem circa axem ſuum quantâuis rapiditate circumagas, aër incluſus non ſequitur motum orbis; quod ex flammulâ candelæ facilè intelligitur, quæ concauo vaſis ferè attigua, ne tantillum quidem vibratur, aut in eam partem annuit quò fluit motus. Id enim ſe in catino æreo expertum dicit Galilęus.

Simbell. Exam. 40.

Sarſius tamen experimentum experimento reponit. *Motum aëris*, inquit, *ſed tardiorem, ſatis ſuperq́; meum probat experimentum. Si enim candela accenſa manu retineatur, cuius flamma non longè ab interiori catini ſuperficie abſit, hæc, vbi vas circumagi cæperit, in eamdem quoque partem ſuam euentilabit flammam. Hæc autem euentilatio aliunde oriri non poteſt, niſi ex aëris ſeſe in gyrum agentis incurſu.*

curſu. Hanc verò flammam candelæ, non catino affixæ, ſed manu retentæ, ad catini motum in eamdem quoque partem agi, non eſt cur neget Galilæus. Quod ſi experto ſibi id minùs feliciter accidit, ideò factum exiſtimem, quia nullâ ratione res adeò inuiſa feliciter ei accidere poterat. accidit tamen ijs, qui æquiore animo id me præſente experti, ipſimet candelam manu prehenſam tenere, catinumq; agere voluerunt, viri Illuſtriſſimi atque eruditiſſimi, quos inter Galilæo cariſſimi numerantur, Virginius Cæſarinus, & Io. Ciampolus.

Siue igitur ætherem à concauo cæli lunaris rapi in orbem, cum Galilæo negemus, ſiue cum Sarſio affirmemus, numquam tamen terram vnà corripi neceſſe erit; quæ tanti ſpatij, id eſt, 51. ſemid. ſuarum intercapedine à proximo cælo diſtat. Nam, Sarſij etiam confeſſione, pars ætheris à contactu cæli remotior languidiùs trahitur, nec impetus valdè profundè deſcendit verſus terram: igitur terram non impellit, nec ad ſequendum vllâ ratione ſollicitat. imò licet ad infimum aërem perueniret cæli raptus, terram tamen mouere non valeret, quia molles nimis & languidas ei manus iniiceret.

Itaque à motu cæli & ſubiecti ætheris non debent Mæſtlinus & Keplerus terreſtri globo metuere. Nec verus etiam Lansbergius, qui credit eum tam leuiter in aëre pendulum eſſe, vt minimo impulſu valeat in orbem agi. Nam ponderibus ſuis ita libratur, vt hemiſphærium vnum alteri reſiſtat, & contrario in centrum niſu, ac incubatione ſatis graui, inuicem ſe ſuſtentent. Falſum quoque, & contra experimentum eſt, terram ſuâ grauitate non reſiſtere motui circulari. aliàs enim pars terræ à ceteris auulſa, ſine reniſu & difficultate poſſet in orbem duci, nec caballi noſtri tanto anhelitu curulia onera circulari tractu mouerent in ſuperficie terræ. Hinc etiam prodit ſe vanitas eorum, qui aſſeuerant, *terram ſemel à naturâ impulſam non poſſe quieſcere, ſed irrequieto motu, ſine fine in orbem pondere ſuo verti atque obambulare*. Quia, inquam, terra pondere ſuo, & in centrum graui incubitu, motui etiam circulari obſiſtit. Nam aliàs pede vno in murum impacto, aut globo tormenti ſaltem in ſaxeum montem excuſſo, totum terræ orbem conuertere, & illicò ex die noctem, & retrò ex nocte diem creare poſſemus. Ne igitur ſimiles abſurditates prudentem mundi inferioris œconomiam quandoque perturbarent, debuerunt diuini digiti globum illum grauiùs & firmiori ſtatu ſuſpendere.

Origan. Epiſt. ad Elect. Brand.

Verùm ecce, dum defendo terram, ne abripiatur cæli motu, metuo

metuo ne proximum etiam& attiguum ętherē impellere nequeat, quod vult Galilæus,& valdè exoptent Copernicani. Si enim Lunæ ad aliquantam profunditatem ſubiectus aër (ſiue etiam aliquod ignis elementum ibi eſt) ab ortu in occaſum non poteſt à cælo vehi (quem tamen conſtat, experientiâ Cometarum ſublunarium in eo pendentium, tali motu incedere) igitur motus iſte ſupremæ regionis aëris non verus, ſed imaginarius eſt; nec aliunde imaginatio iſta venire poteſt, quàm quia Orbis terræ cum infimo aëre & nubibus ab occaſu in ortum abripitur, relicto ſupremæ regionis aëre, qui idcircò videtur in occaſum regredi. Itaque niſi cauſſam reperiamus probabilem quę aërem illum ab ortu in occaſum vero motu impellat, Copernicani imaginarium ſuum per vim nobis obtrudere poſſunt.

Et profectò vehementer ambigo an læuiſſimus cæli Lunæ fornix valeat vel tantillum, aërem contiguum mouere. Nam in eodem præciſiſſimè veſtigio manens, in orbem ſe verſat, nec ſpatium ſubiecti corporis contendit intrare, vt idcircò oporteat ipſum loco dimouere. Niſi ergo ingentibus rugis, imò montibus totis concauitas illa cæli ſit exaſperata, nõ acutè video, quomodo valeat ętherem ſecum ducere. quem enim vncum, quam manum ei iniicit, ſi concameratio tota glaberrima eſt? non enim inſtar picis, aut viſci, ſed tenerrimâ, laxâ & ſolutili vnione illi fluidus æther adhæreſcit; nec habet, cur motum eius ſequatur, niſi fortaſſe, quia vacuum metuit. Sed tamen, quodnam poteſt hîc eſſe vacui periculum? Nam pars ſuperficiei cæli quæ contiguam ætheris partem motu deſerit, in ſpatio ſequenti illicò ſimillimum alterius partis ætheris contactum inuenit, vt proinde prioris partis ſequela, ad ſuperficiem illam in ſequenti ſpatio replendam, neceſſaria non ſit. Igitur ſuperficies cæli glabra glabrum ætheris dorſum læuiſſimè deſtringit & mox deſerit, idemque parti ætheris ſequenti, & omnibus deincipiti ordine facit. Non faciet tamen, reſponſat Sarſius: *Quia nauicula vino oblita* (ſic expertus eſt ipſe Galilæus) *in mare propulſa, quingentis paſſibus emenſis, nec antè, abſterſo mero, abſtemiam ſe olfacientibus exhibet, & meras ſolùm redolet vndas. Sic ergo*, inquit, *à naui etiam planè diſcedet aqua, ſed vbi ſecuta diu fuerit, nec ſimul abſcedet tota, ſed partim ac minutatim; vt vel ſic teſtetur, non ſponte, ſed vi maiore coactam, nauis ſe ab amplexibus diſtrahi.* Simile igitur in cæli & ætheris contactu eueniet.

Sed

Sed à temulento Baccho ad ſobrias Nymphas malè videtur argumentari. Sequitur enim vinum tam diu nauiculæ cui adhæret carinam, quia ſpiritu ſuo penetrabile eſt, & altè ſatis in ligni meatus ſe inſinuat; vnde tam facile & citò ablui non poteſt. aqua verò tantâ pertinaciâ fundo nauis adhærere nequit, cùm ſummam ſolùm ſuperficiem eius oblinat, aut certè non niſi in latè dehiſcentes ligni poros vix ſe penetret. Itaque aqua quam fundus nauis allambit, illicò ab eo deſeretur, nec ſequetur, niſi quantum ſuperficies ligni poris combiberit, aut quantulum lentitudine quâdam ſuâ ei adhæſerit. Aquam enim modico lentore apprehendere ſuperficiem externam rei immerſæ, patet, quia res aquis extracta, aliquamdiu madorem retinet; niſi pingui vncta ſit, aut talem ſiccitatem habeat, quæ vinculum aquæ ſtatim reſpuat: quomodo auium, maximè aquatilium, pennæ nihil humoris ſeruant, illicò vbi aquis emerſêre.

Illa tamen vini, aut aquæ naui adhærentis experientia, non poteſt in cælum trahi. Nam in concauo Lunæ, nulli pori, nulla foramina hiant, intra quæ æther ſe illatebret, ſeque teneat, vt ab eo poſſit abduci; quomodo ſpiritus vini auehit ſecum nauis. Deinde æther magis ſolutilis eſt, nec parem habet lentitudinem cum aquâ, vt ſuperficiei cæli fugienti aliquantiſper inhæreſcere poſſit, quemadmodum aqua naui.

Hinc lubrico iſto cæli Lunæ quaſi diffidens Sarſius, ne res fortaſſe tota manibus extorqueretur, tandem illam totam cæli ſuperficiem quibuſdam rugis & inæqualitatibus exaſperat; nec vllam tamen inde ſiderum manifeſtam refractionem futuram contendit. Facilè iam autem intelligitur, quomodo æther ab angulis, item montibus fortaſſis etiam, & promontorijs intra profunditatem eius è concauo cæli dependentibus, in orbem impellatur.

Sed fictitia iſthæc, & ad fugam reperta ſunt. Verius enim longè eſt, nullum, vſque ad ſtellas fixas, occurrere ſolidum fornicem; quod altiſſimæ Cometarum traiectiones, & alia quædam ſatis oſtendunt. Itaque non à cælo Lunæ glabro vel aſpero, in orbem trahitur æther; verùm à corpore lunari aſpero & montoſo, ceteriſque Planetarum globis, qui maximo & irrequieto turbine liquentes illos ætheris campos traijciunt. Vnde ſanè exiſtimo, non longè infra Lunæ orbitam, hunc ætheris motum deſcendere, & omnes conſequenter illos Cometas qui cæli motum ab ortu in occaſum comitantur, longiſſimè à verticibus excelſiſſimorum

montium abeſſe, & Lunæ, altitudine pares aut ſuppares eſſe.

Cernis ergo iam, vt arbitror, non opus eſſe motu terræ Copernicano, vt ſuperior æther appareat ab ortu in occaſum recedere; quandoquidem cauſſa aliqua inuenta ſit, quæ vero potiùs eum motu in illam partem trahat. Aut ſi illa non ſufficit, & adhuc cauſſificentur Copernicani; virtutem cæli magneticam (quod tamen noſim) quæ ætherem ductet, fingamus, & pares ipſis erimus, qui ſimili virtute magni magnetis telluris, infimum aërem ac nubes ab occaſu in ortum agitari credunt.

Ne tamen etiam cauſſa Ptolemæi, & plurimorum hodie, qui ſine vi magneticâ (id eſt, lato illo & generali ignorantiæ in rebus iſtis mantelo) à glaberrimâ cæli Lunæ ſuperficie ætherem ſuperiorem raptari credunt, prorſus deſeratur, ecce in memoriam mihi redit imago globi per puluerem abiecti & in eo ſe voluentis. hic enim puluercam à tergo caudam trahit, puluere videlicet non illicò globi ſuperficiem deſerente, ſed in complexu eius aliquamdiu cum ipſo fugiente, quaſi aliquis eum vacui metus inceſſerit: eoque pertinaciùs & longiùs ſequitur, quò rapidior fuerit globi motus. Sic etiam, cùm piſces per aquam, homines, aues, & omnia quadrupedia per aërem rapiuntur, aquæ, vel aëris partem aliquam tergo adhærentem poſt ſe trahunt. Simile quidpiam igitur in æthere cælo Lunæ attiguo exiſtimandum. vnde & experimento Sarſij, quod paullò antè narrabamus, magis quàm Galilæi erit fidendum; præſertim, cùm & ipſe Galilæus tandem Sarſio concedat, *motu catini rapi fortaſſe aërem proximum, cuius craſſities digiti menſuram non excedat*. Quam aduerſarij indulgentiam largiter ampliat Sarſius. *Vt pars*, inquit, *lunari concauo proxima, vi ipſius cæli rapitur, ita alia remotior, vbi prioris partis vim ſui diſtentione vitare ampliùs non poteſt, quamuis tardiùs, illam aſſequetur. Neque minùs enim vna aëris pars alteri nectitur, quàm ipſi lunari concauo pars illud contingens. quòd ſi hæc illo nexu rapitur, rapientur etiam reliquæ.* Ad aliquantam tamen ſolùm profunditatem, vt hîc libet experiri. nam piſcis, aut nauis in lacu tranquillo natans, non mouet & trahit poſt ſe totum lacum. A quâ cauſſâ verò id fiat, non eſt tam promptum. exiſtimo, ob vacui metum. Nam licet pars ſuperficiei cæli non eſſet vacua, etiamſi pars ætheris contigua non ſequeretur, cùm illa aliam inueniret (vt antè dicebam) partem ætheris, quæ eam repleret; tamen natura veluti id ignorans, tam ſollicita eſt, vt partem

Simb. Exam. 40.

prio-

priorem aliquamdiu ſequi iubeat, donec quodammodò res planè ſit extra omne vacui periculum. hoc enim ſecurius, promptius etiam & facilius eſt ad propulſandum mali illius periculum: natura verò facilioribus, & quæ magis in manu ſunt, remedijs hîc ſolet vti. Tot ecce viæ ſunt, quibus Copernicanis poſſumus elabi.

CAPVT XVII.

Motum terræ annuum, neque ex ſimilitudine terreſtris opacitatis quam videmus in Planetis, neque ex motibus periodicis quibus Planetæ circumeunt Solem, poſſe probari.

NEruos quibus Copernicani terram diurno motu agebant, ſoluimus, aut fregimus, niſi fallor, alijs iam qui eam annuo motu per Zodiacum vexant, admoueamus vnguem.

Primo & altero Capitis III. argumento flagitant ſibi dari, corpora Planetarum, inſtar telluris, opaca & radijs ſolaribus imperuia eſſe. Lunam etiam montibus & vallibus exaſperari, ac terræ noſtræ gemellam videri. omnes denique Planetas Solem motu proprio circumcurrere. Verùm vniuerſa hæc & plura eiuſdem nouæ cæleſtis Philoſophiæ volentes concedimus. Sit Luna montoſa (quamquam alio fortaſſe filo facies illa enormis quæ in tubo apparet, deformari poſſit) & terræ ſimilis: an tamen ideò ſtatim inter Planetas terra ambulare debet?

Simia, quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis! Ennius.

an idcircò hominibus & ſimijs omnia communia eſſe oportet? Vocetur ſanè Luna terra cæleſtis, & terra Luna terreſtris aut elementaris, modò in ſuperficierum pari ferè enormitate, non in motu aut quiete ſit iſta ſimilitudo. aliàs enim ſi ex ſimilitudine facierum coniectare velis, terram etiam motu Lunam imitari, perinde feceris atque ſi dicas, ſtatuam ambulare, quia hominis ambulantis habet faciem. Neque, ſi omnia Planetarum corpora adiaphana & opaca ſunt inſtar globi terreſtris, ſequitur magis terram eſſe Planetam, quàm aquam eſſe vinum, quia illa inſtar vini diaphana eſt, & Solem tranſmittit.

Sed Mercurius, Venus, & reliqui Planetæ eâ ſerie ambiunt So-

lem quam olim ipſis ſtatuit Copernicus, inquiunt Keplerus, Galilæus, Lanſbergius. Sit ita planè. Non tamen neceſſe eſt, vt Sol in centro vniuerſi ſtare iubeatur immobilis. Aliud namque vniuerſi, & aliud Planetarij ſyſtematis centrum eſſe poteſt. Conuertant igitur Planetæ ceteri (exceptâ Lunâ, quæ manifeſtè motu proprio terram circuit) ad Solem periodicos ſuos motus, ſed tamen incedat etiam Sol in Zodiaco, motu annuo, & ab ortu in occaſum cottidiano, velut Rex inter ſatellites. Regem enim ambulantem non minùs, quàm in throno ſuo immobilem, ſatellitium & famuli circumludere poſſunt.

Itaque ſyſtema Tychonicum longè propiùs verum eſt Copernicano, quia terræ immobilitatem ſuam, & locum centralem reſtituit, Solemque, etſi mobilem, centrum tamen ad quod Mercurius, Venus, Mars, Iupiter, Saturnus in proprijs motibus reſpiciunt, conſtituit. Imaginem hîc eius vides.



In

In hac tellus inprimis eſt firmamenti & mundi immobile centrum, circa quod ſidera vniuerſa fixa, erratica circumaguntur; etſi ſola luminaria, Sol & Luna, eam vt motûs ſui proprij centrum adſpiciant: reliqui enim Planetæ circa Solem ſe conuertunt. proximè quidem Mercurius & Venus, qui proinde in paruis quibuſdam tantùm circellis, terram non cingentibus, ſeſe mouent. Vnde cauſſam oculis ipſis iam inſpicis, cur Plato, Ariſtoteles, & veteris æui illius Aſtronomi Solem proximè ſupra Lunam, infra Venerem & Mercurium collocauerint. reuerà enim motu proprio Venus & Mercurius aliquando ſupra Solem ſcandunt, cùm ipſum ſus deque circumeant. Vetuſti igitur illi diſtantias eorum à terrâ dimenſi ſunt, quando Mercurius & Venus circa ſummam orbis ſui apſidem ſiue apogæum, Sole eleuatiores erant, Ptolemæus verò & poſteriores, quando circa imam & perigæam apſidem, infra Solem deſcenderant. Errauerunt verò vniuerſi, arbitrantes eos aut perpetuò ſupra, aut perpetuò infra Solem verſari. Venus etiam, vt ex eodem ſchemate cernis, quandoque deſcendit infra Mercurium, nam orbita eius circa Solem includit intra ſe orbitam Mercurialem. igitur Venus perigæa, quàm Mercurius perigæus, terræ eſt neceſſariò propinquior.

Martis deinde orbita interſecat viam ſolarem, & aliquando demittit ſe infra Solem: quod poteſt facilè, cùm ſine ſolidis eccentricis & epicyclis, liquidum ſit totum illud ætheris æquor. Colligit verò hanc interſectionem Tycho, ex parallaxi Martis, quam ſæpè deprehendit maiorem ſolari. Scio multos, & in iſtis Keplerum, ob hanc maximè orbitarum Martis & Solis interſectionem, ſyſtema Tychonicum aſpernari: ſed reuerà perperàm, vt mihi videtur; nam Mercurius & Venus tantumdem, quantum Mars, faciunt. Debuit autem Mars alicubi ſe deijcere infra Solis orbitam, quia non poterat tanto gyro, quanto Iupiter & Saturnus, includere Solem & terram. In hoc ergo Mercurium & Venerem imitatur, poſt quos immediatè ambit Solem.

Hæc etiam contemplatio ad ſyſtema Tychonicum me vehementer ducit, quòd videam duo tantùm luminaria, quæ Opifici in creatione cæli præcipuè curæ fuerunt, *vt præeſſent diei & nocti,* Gen. 1. motus ſuos proprios circa terram vt centrum, ordinare, ceteros verò omnes Planetas ad Solem tamquam Principem ſe conuertere. Euidenti ſanè argumento, Solem & Lunam (quorum maximè inſignis in mundum elementarem eſt influentia) propter homines

& animantia proximè conditos eſſe, reliquos verò Planetas propter Solem immediatè, vt ſchemis & choreis inenarrabilibus eum circumludentes, radios eius ex varijs aſpectibus in terram reflectant, & omnes actuoſas illas influentias infringant, ac iuxta diuinæ ſapientiæ legem modulentur. Itaque Planetæ omnes, præter duo luminaria, ſecundarij, & in ſubſidium influentiæ ſolaris creati ſunt.

Idem de maculis, ſiue Planetis Borbonijs circa Solem, ac Mediceis circa Iouem cenſendum eſt. nam etſi hi Ioui proximè famulentur, remotè tamen, cum Ioue Regulo ſuo Regem Solem adſpiciunt. Hæc igitur cæli Tychonica imago, Scripturæ ſacræ, diuino & vero prototypo, propinquior mihi ſemper viſa, quàm Copernicana, aut etiam Ptolemaica, quæ omnium Planetarum orbitas proximè ordinat circa terram veluti proprij motûs centrum. Deinde Ptolemæus nimis prolixâ epicyclorum ſupellectile cælum onerat, quod non facit Tycho. Nam *Tychoni, Solis & totius ſyſtematis planetarij vnus & idem circuitus, communis omnibus partibus, omnes tollit epicyclos*, ait Keplerus.

Aſtron. Optic. c. 10.

Hoc ergo ſyſtemate, donec emendatius quiſpiam dederit, vtamur. emendari enim aliquid poſſe, non dubito, cùm Aſtronomiæ plurimum ad perfectionis culmen adhuc deeſſe, oculis nuper ipſis intellexerimus, quos Batauico tubo miſimus in cælum. Veteri igitur Socratis ſcito, oportet iſta *ἄνω καὶ κάτω στρέφειν, πρὸς ἄλληλα κολλεῖν τε καὶ ἀφαιρεῖν, ſurſum deorſum verſare, noua quædam agglutinare, demere vetera.*

Plat. in Phædr.

CAPVT XVIII.

Tres ſuperiores Planetas vero, non imaginario motu feſtinare quandoque in ortum, aut in occaſum retroagi. Solem inſtar citharœdi cum choro ſuo fugientis, in medio Planetarum verſari.

NVllo argumento in ſpeciem probabiliori motus terræ annuus à Copernicanis adſtruitur, quàm iſto ſtationis, directionis, regreſſionis Planetarum. Fateor enim ſanè, ſi tellus eclipticam è regione Solis inter Planetas perambulet, aliquid iſtis ſimile euenturum eius quod iam in ipſis cernimus. Stare, inquam, feſtinare, aut retroagi Planetæ quandoque videbuntur, etiamſi pergere

re numquam ceſſent: ſed effectus tamen iſte à pluribus cauſſis eſſe poteſt, & vnicam, quia concinna videtur, ita amplecti vt ceteras nolis in aſpectum venire, ingenij pertinacis eſt, & fatuelli.

Quiſpiam dum in flumine nauigat, ſi viderit omnes ripæ arbores in contrarium refugientes, non ſuo ſed nauis & oculi motu; quid cenſeas, ſi is poſthac nihil niſi ſimili imaginario motu circa ſe moueri exiſtimet? homines in foro neget ambulare, ſed ita ſolùm videri, & motum illum eſſe in ſuo oculo? nónne Anticyras mittas, & putes inſanire? Hoc igitur ad Philoſophiam Copernicanam transferamus. Poteſt fieri, inquiunt, vt per vnicum terræ & oculi noſtri in Zodiaco motum omnes illos Planetarum luſus expediamus: igitur res ita habet, & luſus iſti non motus veri, ſed ſolùm imaginarij ſunt. At ſanè neganda conſequentia eſt; nam etiam alio modo ac per veros, non oculi noſtri, ſed Planetarum motus & epicyclos res iſta poteſt extricari. imò Copernicus ipſe non fuit epicyclorum tam vbique reſpuens, quin duos etiam Lunæ conceſſerit. Sed ſimpliciùs tamen, inquit Keplerus, per vnicum telluris motum nos explicare poſſumus, vbi Ptolemæus tot epicyclorum ambagibus vtitur, & ſpiræ Tychonis, quas in ſpatijs illis ætheris Planetæ deſcribunt, ſunt perplexiſſimæ. Li.4.Epit.

Verùm tot incommodis, quæ in telluris motu antè oſtendimus, obnoxiam ſimplicitatem diuinus Opifex non quæſiuit, ſed vt in horologio, quod multiplici rotularum inſtrumento tempus regit, voluit ingenium potiùs oſtendere. Ciconiæ & aliæ quædam ἄσαρκαι & macilentiſſimæ aues vnicum & ſimpliciſſimum ile à roſtro ad caudam habent, an ideò meritò gloriari, & homini, cui tot flexuoſiſſimis ſpiris & orbibus ilia implicantur, obſtrepere poſſint? Non quod ſimpliciſſimum, ſemper etiam perfectiſſimum eſt. Paucioribus fortaſſe ſideribus, aut cæleſtium motibus potuit Deus neceſſitatibus inferioris mundi occurrere; noluit tamen, quia Principes affluentia, & liberales diuitiæ decent. Itaque vel Ptolemæi epicyclis vel ſpiris (quod magis opinor) quæ non longè à Tychonicis abludunt, & proprio Planetarum motu, in acceleratione illâ eorum & retardatione, vti maluit Deus, quàm paradoxo telluris motu. Et quamuis ſpiræ, quas in altum exſiliendo & deſiliendo deſcribunt Planetæ ludendo circa Solem, perplexæ ſint, extricari tamen vtcumque à nobis valent; & ſatis eſt Artifici ſuo, & Angelis fortaſſe rectoribus perſpectas eſſe. Et quid, quæſo, etiam apud Copernicanos non perplexum & intricatiſſimum

eſt?

eſt? Keplerum, Gilbertum, Origanum, Lanſbergium, alioſque lege, videbis quàm in multis diſſideant. Keplerus circuitus Planetarum circa Solem contendit eſſe ouales, alij circulares malunt. Idem in corpore ipſo ſolari centrum omnium circuituũ ponit, alij cum ipſo Copernico extra Solem, non tamen procul ab eo collocant. Lanſbergius centrum orbis Saturni in ſphærâ Veneris, centra Iouis & Martis in ſphærâ Mercurij conſtituit. Terra deinde, Venus, & Mercurius, omnia diuerſa centra apud ipſum habent. Keplerus & Galilæus Solem circa centrum ſuum rapido turbine verſant, ceteri ferè quietem quam Copernicus dedit, ei ſeruant. Keplerus turbine iſto Solis, vniuerſa Planetarum & telluris corpora ab occaſu in ortum circumagi putat, & cùm diutiſſimè in fibris iſtis magneticis, quibus alliciuntur (vt credit) vel repelluntur à Sole Planetæ, fatigauit ingenium, ſuccumbit tandem in quæſtione, *Quibus ex cauſſis limites excurſuum recedant in antecedentia.* Nam ingenuè confitetur: *Hactenus quidem cauſſarum plerarumque allatarum euidens erat veriſimilitudo: in hoc vltimo agmine rerum Aſtronomicarum ægrè ſuccedunt cauſſæ, laboratq; cùm mens, tum maximè fides eorum, quæ quis comminiſci poßit.* Patere igitur Ptolemæum & Tychonem etiam in ſuâ Aſtronomiâ aliquid ignorare, Keplere. Lib.4 Epit.

Sed impenſè mirantur omnes Copernicani, quomodo tres ſuperiores Planetæ, cùm Soli oppoſiti, & terræ viciniſſimi ſunt, ſemper retrogradi fiant, ſi per proprium ſuum motum verſus occaſum refugiant. cur enim in oppoſitione potiùs id ijs accidit, quàm in alio ad Solem adſpectu? Cur deinde, in iſtâ eadem oppoſitione, ſiue in acronychijs ſuis, ſemper maximi fiunt, & terræ propinquiſſimi? Cauſſam enim huius phænomeni concinnam reddent nobis Copernicani, quam Ptolemæi aut Tychonis Philoſophiæ non poſſunt.

Verùm, ſi Planetas vi aliquâ magneticâ Solis, circa centrum ſuum ſe reuoluentis, in orbem ab occaſu in ortum agi, Keplero accredamus, ratio fortaſſe huius vtriuſque miraculi ex diſtantiâ certâ & adſpectu Solis peti poterit. Si verò Angelorum miniſterio Deus aſtra agitat, res adhuc minùs impedita erit. Miniſter enim iſte Domini imperium adſpicit, & ad ſapientiſſimam eius legem, ſidus quod manibus, vt ſic dicam, geſtat, contorquet: & hoc quidem ſiue per eccentricorum & epicyclorum rotas & inſtrumenta, ſiue per ſimplices in vacuo æthere ſideris gyros, rem iſtam adminiſtret.

niſtret. Itaque admiratio tota ab ignorantiâ cauſſæ efficientis illius motûs venit, quam diuina mens admirabili ingenio ſic diſpoſuit, vt quibuſdam interuallis & ad Solem adſpectibus eleuaret, aut deprimeret ſideris corpus. Id etenim ad finem cui conditi ſunt Planetæ, neceſſe fuit. nam corporum ſuorum obiectu reflectunt & modulantur lumen & influentias, præcipuè Solis; quod non ex eâdem vbique diſtantiâ eodem modo poſſunt, vt ex crementis & decrementis lunaribus perſpicuè intelligimus. Igitur reflexio luminis, aut ſi quæ eſt alia influentia ſolaris, in certò ad Solem interuallo, poſtulat aut attolli aut demitti Planetæ reflectentis corpus, vt valeat reiectus ille luminis in terram redire, aut quocumque diuina ſapientia deſtinauit. Sic Mars, Iupiter, Saturnus cùm oppoſiti Soli, humillimi ſunt, & pleniori luce apparent, fortaſſe, (quia tunc acronychi) vt veſperi occidenti Soli in officium illuminandæ noctis ſuccedant: ob quem etiam finem Luna in oppoſitione plenitudinem habet, vt cùm à Sole remotiſſima eſt, nec perinde influentiam eius adiuuare poteſt, ipſa tunc per ſe plurimùm valeat, & occumbente Sole, ab ortu pleno ore aſſurgens, Sol quidam nocturnus, aut ἥλιος ἀσθενής, *Sol imbecillis*, vt vocat Theophraſtus, videri poſſit. Sic ergo etiam tres illi ſuperiores Planetæ (nam Venus & Mercurius nequeunt vmquam opponi Soli) è regione Solis occidentis ſurgentes, paruuli ſoles, aut certè lunulæ quædam imbecilles dici poſſunt, qui cùm longiſſimè à Sole receſſerunt, & influentiam ſuam minimè cum eo communicare valent, tunc à ſe validiores & grandiores effulgent, vt temperiei noctis plus afferre, & tenebras infringere poſſint. Retrogradi verò tunc etiam ſunt, quia quandoquidem motu veri, aut imaginarij epicycli, ab occaſu in ortum ſe vertentis, in imum perigæum deiecti ſint, debent aliquamdiu reuerti verſus occidentem, vt denuò in altum reſurgant: non enim per lineam rectam centrum Planetæ tollitur in altum & ſummittitur in terram, ſed per circularem, aut ſpiralem, cuius ſumma curuatura cadit ab occaſu in ortum, ſecundùm ſucceſſionem ſignorum.

Denique, quacumque viâ id eueniat, certum eſt, ad diſtribuendas ſiderum influentias id valdè conducere, & motus omnes illos, quos Ptolemæus eccentricis & epicyclis ingenioſè tribuit, in eum finem ab Auctore naturæ aſſumptos eſſe, & de cauſſis ipſis efficientibus idoneis prouidiſſe.

Et profectò, dum paulliſper hîc reſiſto & muginor, itus illi & reditus ſuperiorum Planetarũ ſatis videntur fieri proprio eorum, non telluris, motu, quia ſic in Venere & Mercurio fiunt. Hi enim breuiori, quàm illi ſuperiores, circulo, ſuo non alieno motu in altum ſe erigunt, & ruríum deuoluuntur, nunc præcedunt, aut ſequuntur Solem, nunc illicò ſe reijciunt in alteram eius partem. Quòd igitur duo iſti inferiores proprio motu ludunt, non eſt veriſimile à ſuperioribus tantùm ſimulari. Idem etiam ex aſtris maculoſis Borbonijs circa Solem, & Mediceis circa Iouem poteſt oſtendi. nam iſti minorum gentium Planetæ ſuo ſe motu ſupra principale ſuum ſidus attollunt, & infra reſidunt, feſtinantque quandoque, aut retardantur. Hoc ergo ipſum tres etiam ſuperiores facient, quia & ipſi ſecundarij ac famulares Solis Planetæ ſunt, & planè, inſtar Borboniorum, Mercurij ac Veneris (licet capaciori gyro) circa ipſum motu proprio & periodico choros ducunt.

Venit iam mihi in mentem, cur fortaſſe fabulæ veteres Apollini (quem conſtat Phœbum ſiue Solem eſſe) citharam in manum dederint, ad cuius menſuram Dij greſſum moueant & choreas ducant. quia circa Solem citharœdum, inquam, ceteri Planetæ, nutus omnes eius reſpectantes, & prout influentia eius flagitauerit, in varia ſchemata choreas ſuas figurant & torquent. Præter Dianam ſororem tamen, id eſt, Lunam, quæ ſiluas & terram, aut Endymionem ſuum magis quàm fratrem Phœbum amat; ideoque circulum ſuum à Sole auerſum ad terram ſola conuertit.

Cogitate igitur iterùm mecum, primam Dei in cæli machinatione curam fuiſſe, luminarium creationem, *vt diuiderent diem ac noctem, & eſſent in ſigna & tempora, & dies & annos: vt lucerent in firmamento cæli, & illuminarent terram.* Hæc ergo duo principalia (non mole corporis, ſed actione & vtilitate) aſtra, præter cottidianos circa terram circuitus, periodicos in Zodiaco ſuos motus proximè etiam ad terram tamquam centrum inclinant, vt *de pomis fructuum Solis & Lunæ*, ceteriſque terræ frugibus animalia, ac præſertim Principem eorum hominem beent. Vnde hac motûs proprij, quâ terram amplectuntur, inclinatione ſatis ſignificant, cuius immediatè miniſterio & vtilitati facti ſint. *Fecitq́ Deus*, ait Scriptura, *duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas.* Quæ ſcilicet

Gen. 1. (margin, beside "tione curam fuiſſe…")
Deut. 33. (margin, beside "pomis fructuum…")
Gen. 1. (margin, beside "Deus, ait Scriptura…")

licet in ſubſidium luminaribus poſtremò adiectæ: præſertim Planetæ, tamquam proximi & familiares vernæ circumpoſiti Soli ſunt, qui aut impetum & ardorem eius mitigarent, aut influentiam corpore ſuo, velut ſpeculo, exceptam, longiùs & quò directè peruenire non poterat, diſpergerent.

Imaginamini igitur tripudium aliquod aut choream, in quâ citharœdus eodem agmine cum turbâ circa ſe tripudiante fugit, & cæleſtis circa Solem tripudij formaſtis imaginem. Aut ſi mauultis, cogitate Corybantes, vnico in medio agmine pulſante cymbalum & vnà ſaltante, circumcurſare ſuam Berecynthiam. Corybas ille cymbalotriba, Sol eſt, ceteri circa ipſum choros agentes, quinque Planetæ ſunt: Berecynthia, ſiue Cybele Deûm mater, omnium fabulantium conſenſu, terra eſt; quæ idcircò turritum caput habebat, qualis terræ ſuperficies.

CAPVT XIX.

Quarto & quinto argumento Capitis III. *annuum telluris motum perperàm aſtrui. Ridicula theologia Copernicana Lansbergij.*

SOl maior eſt terrâ, inquiebat Keplerus; igitur non ipſe terram, ſed terra ipſum debet ambire. Nam ſolemne eſt, vt Planetæ maiores à minoribus ambiantur. Sic Planetæ Borbonij Solem, ſic Medicei Iouem, ſic Auſtriaci Saturnum circumludunt, ſic Lunam videmus terræ factam eſſe pediſſequam: minor quippe vbique maiori famulatur. Sed argumentum imaginem veri haberet, ſi terra, ſtella aliqua foret inter erraticas. nam reuerà minor ſemper eſt ille erro, qui centrum alterius circuit, quia famulus eius, & ad incitandam aut hebetandam influentiam eſt ei appoſitus. Verùm terra aſtrum non eſt, neque ad iuuandam aut leniendam Solis influentiam, velut miniſtra eius, eſt ei addita; ſed ipſa Domina potiùs Solis eſt, propter hominem qui in ſuperficie eius colit. Nam *Solem, & Lunam, & omnia aſtra cæli creauit Dominus Deus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt*. Non eſt autem inſolens, vt Domini mole corporis vincantur à ſuis famulis, & ingentes Heluetios ſæpè circa Principem pumilionem vidimus. Sol igitur maior ſit homine & totâ terrâ; famuletur ei nihilominus, quia tanta moles ei neceſſaria ad miniſterium fuit. Deut. 4.

 At

At non decuit, ait Keplerus, vt homo in centro mundi cum terrâ ſuâ immobili ſemper deſidêret; ſed per Zodiacum inter Planetas ambulare cum domicilio ſuo debuit, vt ad cæli & aſtrorum dimenſionem, varias ſtationes, vt Geometræ ſolent, caperet. Hoc etiam tam fragile argumentum inter arietes ſuos (ſed vitreis cornibus) habet, & mirificè prædicat Lanſbergius. Quaſi verò enim non omnes Aſtronomi, etiam Copernicani, confiteantur, ad certitudinem menſuræ cæli & ſtellarum ne hilum intereſſe, ſiue Sol ſiue terra moueatur: nam diſtantia eodem modo variatur, vtrumlibet extremum accedat, aut recedat. Motum etiam terræ annuum conferre quidquam menſuræ fixarum, ridiculum eſt; cùm terra, earum, vt aiunt, reſpectu, quaſi in eodem ſemper puncto, ob ingentem diſtantiam, permaneat. Et tamen agit infinitas Deo gratias Lanſbergius, quòd ei per Copernicum duas in orbe telluris annuo ſtationes (quas, inquit, Ptolemæus neſciuit) pro dimetiendis Planetis & fixis *clementer manifeſtauerit: vt tam certi ſimus de poſſeßione cæli* (videte, obſecro, admirabilem theologiam iſtius Copernicano-Caluiniſtæ) *poſt hanc vitam, quàm certò iam idem ad normam exigimus & menſuramus. Cui enim vſui iſta cæli dimenſio, niſi vt doceat hominem, quod tam aptè menſurare nouit, ſuo tempore quoque occupaturum? nam quanta eſt ſcientia, tantus quoque ſit ſcientiæ vſus neceſſe eſt.* Et firmat id exemplis præclaris, *aquilæ, cygnorum, anſerum, ſtruthionum, formicarum*, quæ omnes habent ſcientiam, & vnà ſcientiæ vſum. Et tandem, *Concludo igitur*, inquit, *cùm Deus homini ſcientiam menſurandi cælum dederit, vſum quoque poſt hanc vitam conceſſurum.* Cernis iam, opinor, quomodo naturalis rationis etiam luculam amittât, qui ſemel Fidei Chriſtianæ lucem abiecerunt. Quis enim ſani capitis ad tam perperam conſequentiam non obſtupeſcat? Copernicani artem iam habent certò menſurandi cælum; igitur ibunt omnes ad cælum: quia ſcientiæ illius vſus eſt, poſſidere cælum. Si enim poſſidere debeam omnia, quæ certò metiri poſſum, breuî futurus ſum locupletiſſimus omnium mortalium. Veniam primùm cum decempedâ in Zelandiam, dimetiar Lanſbergij agellum, & poſſeſſione eum depellam. Sed quid agent miſeri illi theologi, qui ex Apocalypſi nuper conati ſunt dimetiri inferorum diametrum & peripheriam? nam *ſtadia* illa *mille ſexcenta* putant eſſe longitudinem infernalis diametri. Hos igitur conſequentia illa Copernicano-Caluiniſtica

Controu. 2. de Mot. terræ.

Apoc. 14.

Lanſ-

Lanſbergij detrudet etiam in inferorum poſſeſſionem? Pergit tamen in hac theologiâ Lanſbergius. *Si formica*, inquit, *finem ſcientiæ ſuæ aſſequitur, qui eſt præparatio cibi per æſtatem, & collectio tempore meßis, Prouerb. 6. multò magis homo, præſtantißima creaturarum, finem ſcientiæ aſſecutus, cælum ipſum poſt hanc vitam poſſidebit.*

Verùm, ſi colligere meſſem, eſt finis ſcientiæ formicæ; igitur dimenſio cæli finis erit Aſtronomiæ Copernicanæ (quia ſcilicet actus, finis proximus ſui habitûs eſt) non poſſeſſio cæli. Dixiſſes ergo potiùs, Lanſbergi, frui aceruo & quæſitis per æſtatem, eſſe finem phantaſticæ ſcientiæ formicarum, ac proinde Aſtronomos cælo ſuo quandoque etiam fruituros; vt infrunita illa conſequentia plus frontis haberet. Sed ſcito tamen, ſubterraneos prædones ſæpè horrea formicarum tuarum depopulari, & miſellas iſtas fine & fructu laborum ſuorum abigi: vt meritò Copernicani metuere poſſint, ne non omnes perueniant ad cæli poſſeſſionem. Sed affanias etiam continuat Lanſbergius. Nempe ex iſtâ menſurâ cæli Copernicanâ adeò iam certâ & exploratâ vaticinatur, imò oculis ipſis euidenter proſpicit, extremum vniuerſi diem in ianuis iam iam eſſe. Nam veluti, inquit, dimenſio templi Ezechieli Ezech. 40.
oſtenſa, certò ſignificauit templum à Chaldæis incenſum mox inſtaurandum eſſe; ita *exactam quoque dimenſionem cæli, à Deo vltimis demum temporibus reuelatam, euidenter oſtendere* ait, *diem adeſſe, quo D. N. Ieſus Chriſtus, cum hortationis clamore, & voce Archangeli deſcendet è cælo, vt nos ad ſe tollat.* Neſcio rideréne velim, an miſereri. Vt enim malè hærentem illam iterùm conſequentiam, inter templi illius & mundi inſtaurationem, ac vtriuſque dimenſionem non attingam (quam facilè contemnes, ſi alteram dimenſionem nouæ Ieruſalem Apoc. 21. legas, & tamen mundum veterem, tot iam ab illâ dimenſione annis, adhuc hodie ſtare intelligas) cuiuſnam, obſecro, reuelatione accepit Lanſbergius tam *exactam cæli dimenſionem?* An à Copernico? an à Keplero? (vnde pleraque ſua habet, etſi obnixo ſilentio premat.) an à prophetâ non alio, quàm quadrante ſuo Aſtronomico? Certè à Copernico non poteſt, qui à Lanſbergio terrâ cæloque toto in menſurâ diſſidet. Nam Copernicus corpus Solis, conſentienter pænè Ptolemæo, ſolùm 1179. terræ ſemid. Lansbergius verò 1498½ ſemid. & ampliùs à terrâ remouet: Keplerus magis

prodigè huic diſtantiæ 3469. ſemid. cum triente decernit. Copernicus deinde corporis ſolaris molem minorem quàm Ptolemæus, id eſt, ſolùm 162. terrâ maiorem conſtituit, Keplerus iterùm in immenſum adaugens, 3469. circiter ampliorem facit, Lanſbergius medium quaſi inter vtrumque, præceptorem cædens, 433¼ vicibus eſt contentus. Et videte, quæſo, ridiculam certitudinem menſuræ cæleſtis, quam iſti homines mundo promittunt, & ob quam Deus omnes breuî Copernicanos (vnco fortaſſe, vt Claudium Cæſarem olim) in cælum ſit attracturus. Quantò ſatiùs cum filio Sirachi, incertitudinem Aſtronomiæ Copernicanæ con-

Eccli. 1. feſſus, diceres Lansbergi: *Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* Et cum altero iſto Sapiente:

Sap. 9. *Difficilè æſtimamus quæ in terrâ ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore: quæ autem in cœlis ſunt, quis inueſtigabit?* Nam Hipparchi, Ptolemæi, Albategni, Alfragani, Alphonſi, Regiomontani, Copernici, Tychonis, Kepleri, Clauij, Magini, id eſt, Principum Aſtrologiæ tam latum & enorme ſæpè diſſidium, diſciplinæ illius fluctum & incertitudinem ſatis publicat. Nec te Lanſbergij audacia magnopere moueat, qui demonſtrationes ſuas euidentes, & tamquam cælo allatas iactat: nam alij illi ingenio, ſtudio, inſtrumentorum ſupellectile longè inſtructiores, idem de ſuis tibi iurabunt, quotieſcumque voles. Sed quoniam hucuſque per deuia Lansbergium *teſtaq; lutoq;* ſecuti ſumus, gradus etiam aliquot addamus, quò bellatulum aliud theologiæ eius Copernicanæ dogma nos porrò inuitat.

Mundus, inquit, inſtar oui eſt, cuius teſta, ſtellarum fixarum ſphæra ſit, extra quam nulla pars mundi eſt reliqua. & tamen tertium cælum ad quod D. Paullus raptus (quod Catholici empyreum nuncupamus) ſtellis fixis ſuperponit; ſed tam ſpirituale, vt indicet nihil aliud eſſe, quàm ipſum Spiritum ſanctum. Probat verò ratione perſpicuâ, vt ait, tertium aliquod cælum orbi elementorum & ſidereo incubare, quia vt ouum producat pullum, gallinam incubantem habere debet: igitur *ſpiritus Dei viuificans* duobus etiam cælis inferioribus incubare debet. Nam *duo viſibiles cæli*, inquit, *occultas vires prodere nequeunt*, *niſi tertium pariter in eos operetur. Quàm euidens itaque, ouo productioni pulli intento deſuper aliquid incubare à quo fouetur, tam certum eſt, duobus viſibilibus cælis generationem quarumlibet rerum molientibus tertium quaſi inſidere,*

inſidere, vireſq́; addere, cùm ſine hoc non magis opus ſuum abſoluere poſſent, quàm ouum ſine incubatione gallinæ.

Parcite Galli, Hiſpani, Itali, Germani, ſolent Belgæ aliquantò plus ingenij & Mineruæ habere, ſed paucos tales hæreſis à mente ſic abduxit. Quaſi enim verò *ſpiritus Dei viuificans* non per totam & intimam mundi molem ſparſus ſit, & penitiſſima quæque penetret, ſed in conuexam octauæ ſphæræ ſuperficiem ſe retraxerit, vt eam, inſtar gallinæ incubet, & admirabile ibi, neſcio quod, cælum nobis concinnet. Nec enim ille Spiritus hoc modo extrinſecus tantùm incubauit (quod fortè putat Lanſbergius) primis mundi aquis, ſed toti abyſſo ad fundum vſquequaque infuſus, eam ad piſcium & volucrum genituram fecundabat. Non abſtineo etiam manum, quin aliud leuiter attingam, quod in præclarâ illâ, De tertio cælo inuiſibili, appendiculâ ſcribit Lanſbergius. *Bruta animalia, imò res inanimatæ,* inquit, *ad ligna & lapides vſque, præſentis ſuæ vanitatis conſciæ, in illum diem* (ſecundi Chriſti aduentûs) *perpetuò intentæ ſunt, ſub ſpe quòd & ipſæ tum vindicabuntur ex ſeruitute interitûs in libertatem gloriæ filiorum Dei. Rom.* 8. Igitur ſi illo die bruta etiam animalia vindicabuntur ex ſeruitute interitûs, para cælum aliquod, aut terreſtrem paradiſum pro anſeribus, equis, & mulis reſurgentibus, Lanſbergi, aut Scripturam ſacram diſce melius, à SS. Patribus, non è cerebello tuo intelligere. *Creatura* enim illa, inquiunt, quæ *liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei,* mundus iſte corruptibilis eſt, cuius figuram præterire alibi Apoſtolus dicit. Hic autem non in brutis animalibus, lignis, & lapidibus (vt pinguis tua theologia credere ſe oſtendit) ſed in cælo & elementis, id eſt, principalibus ſuis membris innouabitur, & particulâ gloriæ filiorum Dei ſe veſtiet. Vulgare enim eſt, nomine creaturæ & mundi, intelligi cæli & terræ compagem, quam in principio temporis ſtatim Deus creauit, & ſequentibus diebus exornauit. *Si mundum dixeris*, inquit ille Afer, *illic erit & cælum, & quæ in eo, Sol & Luna, & ſidera, & aſtra, & terra, & freta, & omnis cenſus elementorum.* Sed *à diuerticulo repetatur fabula.*

Rom. 8. 1. Cor. 7. Tertul. De Virgin. veland. c. 4.

Sextum Capitis III. argumentũ erat magnifica illa & ἐπιστημονικὴ demonſtratio Lansbergij, *cui, vtpote ſcientificæ,* inquiebat, *nullâ ratione contradici poſſit.* Summa erat. Motum Lunæ in longitudinem Zodiaci, iuxta Ptolemæi & Tychonis (addo, omnium

Aſtro-

Aſtronomorum) ſententiam, ex motu Lunæ in proprio orbe, & motu Solis ſub eclipticâ compoſitum eſſe. quod fieri non poteſt, ait Lansbergius, quia Sol motu ſuo Lunam non trahit. Igitur pro Sole reponenda eſt terra, quæ ex paradoxo Copernici, elementa omnia & Lunam motu annuo ſub eclipticâ ſecum rapit. ſic enim Lunæ motus ex motu quo ſingulis menſibus reuoluitur circa terram, & ex altero motu terræ portantis quaſi per Zodiacum Lunam, permixtus erit. Sed aliud longè eſt, Lunæ motum in longitudinem, ex motu proprio, & Solis ſub eclipticâ componi, quod dicit Ptolemæus, & paſſim Aſtronomi; aliud, Lunam eodem tempore, duplici motu; vno ſuo, altero Solis aut terræ vehentis Lunam, moueri, quod vult Lansbergius eos dicere. Solùm igitur aiunt, vt Luna menſem ſuum abſoluat, & ab vnâ cum Sole coniunctione ad alteram redeat, non ſatis eſſe, 360. gradus, id eſt, totam Zodiaci longitudinem proprio motu emenſam eſſe, ſed motum inſuper 29. graduum (& quod excurrit) adijciendum; quia Solem non inuenit in eodem Zodiaci loco, vbi eum in proximâ coniunctione reliquerat, ſed inde verſus Orientem ad gradus 29. motu proprio ſub eclipticâ promotum: vnde vt eum iterùm aſſequatur, debet etiam ſuo motu ſpatium illud conficere, & in ſupputatione temporis integræ lunationis, oportet 2. circiter dies, quibus hoc ſpatium emetitur, ad 28. quibus Zodiaci longitudinem circumcurrit, addere. Et hoc eſt, Lunæ integrum, ab vnâ coniunctione ad alteram, motum, ex propriâ circa totum Zodiacum periodo, & motu intereà Solis (id eſt, particulâ motûs Lunæ tantâ, quantus intereà temporis fuit motus Solis ſub eclipticâ) compoſitum eſſe, vt ex Ptolemæi loco, quem citat Lansbergius, ex Albategnio, Maurolyco, Tychone, & omnibus à caluo ad caluum eſt manifeſtum. Ad hoc autem tam neceſſe eſt, Lunam à Sole aut terrâ per Zodiacum raptari, quàm opus mihi naui, vt Louanio pedes Bruxellam vadam. Et niſi hæc viderit Lansbergius, non valdè bonos oculos; ſi viderit, optimam habuiſſe oportet frontem, quæ non erubuerit puerile ſophiſma pro ἐπιστημονικῇ *demonſtratione, cui nullâ ratione poſſit contradici*, tot eruditis hodie oculis obijcere. Decipit autem æquiuoco. Ptolemæus enim motum Lunæ menſtruum ex duabus partibus ſucceſſiuis compoſitum dicit: quomodo totus motus quo Louanio Antuerpiam imus, ex parte vnâ hinc Mechliniam vſque extensâ, & alterâ quæ Mechliniâ deinde Antuer-

Ptol. lib. 4. c. 3. Alm. Albateg. c. 30. Maurol. Dial. 3.

Antuerpiam decurrit, eſt contextus. Lansbergius verò videri vult eum à Ptolemęo compoſitum ex duobus integris motibus, quibus Luna & à ſe, & à Sole ſimul (vel à terrâ, ſecundùm Copernicanos) agitetur: quomodo nautæ à puppi ad proram inambulantis motus, ex motu quem ipſe nauta ſibi, & altero quem ei nauis imprimit, eſt permixtus.

CAPVT XX.

Vltimo argumento, præceßionem Æquinoctiorum ab inclinatione axis telluris eſſe, minimè probari. Terram phyſicam Lansbergij circa axem ſuum non ſponte reuolui. nec terram Hebræis à curſu quo ipſa currat, nomen accipere.

DEbellatum ferè iam eſt, & ad nouiſſima tela, quæ laſsâ & velut moribundâ manu Copernicani ſpargunt, peruenimus. Libratio, inquiunt, à ſeptemtrione in meridiē, quæ Æquinoctiorum anticipationem facit, faciliùs & minori molimine in axis terræ inclinationem, quàm in ingentis ſphæræ cæleſtis vacillationem conijci poteſt.

Sed nego, reſtituto ſemel Soli & ſtellis fixis motu, operoſum aut difficile eſſe, hoc leuis librationis auctariū, ad diſpenſandas mundo ſiderum influentias neceſſarium, iis adiicere: acceſſorium enim hîc ſequi debet ſuum principale. neque, ſi fixæ non grauantur cottidie ab ortu ad occaſum circa terram reuolui, graue etiam ipſis erit, tardiſſimo alio motu librari, & eclipticæ ac Æquatoris interſectiones mutare. Nec tamen idcircò nonam, decimam & vndecimam ſphæram mobilem, aſtris vacuam (vt hodie quidam faciūt) oportet ſtellis fixis ſuperſtruere. Vnica iſta aſtrifera ſufficit, quæ ſit prima mobilis, & varios immediatè motus recipiat, aut potiùs vnicum qui multorum imaginem habeat.

Defunctus mihi iam videbar omnibus argumentorum Phyſicorum moleſtiis, & aliò moliebar greſſum, ſed Lanſbergius etiam laciniam reducit.

Terra phyſica, inquit, ſingulis diebus vnam circa centrum ſuum reuolutionem ſponte abſoluit, idque conſtanter ab occaſu in ortum: quocircà, ait, *mihi dubium non eſt*, quin magna tellus eodem modo ſingulis diebus circumagatur.

Laborabam,fateor,vt mendacij tam callidi & per nefas ad ſollicitandam telluris quietem reperti, vanitatem deprehenderem. ſed operam mihi iſtam remiſit,& egregiè me adiuuit Gilbertus, in re iſtâ magneticâ Princeps,& inter pertinaciſſimos Copernicanus. Terra autem phyſica nil aliud quàm lapis magnes eſt, quem Gilbertus terrellam ſeu paruam terrá,veluti contrà,terram, magnum magnetem appellat. Quid igitur de iſtâ magnetis ab occaſu in ortum cottidianâ vertigine Gilbertus? *Omitto,* inquit (& nos igitur etiam omittere poſſumus) *quòd Petrus Peregrinus conſtanter affirmat, terrellam ſuper polos ſuos in Meridiano ſuſpenſam moueri circulariter integrâ reuolutione 24.horis, quod tamen adhuc videre non contigit. De quo motu etiam dubitamus, propter lapidis ipſius pondus,tum quia tellus tota,vti mouetur à ſe,ita etiam ab aliis aſtris promouetur: quod proportionaliter in parte quâuis (vt in terrellâ) non contingit.*

Lib.6. c.4.

Si igitur Gilbertus,tantus hîc & curioſiſſimus omnium artifex, nullum ſimilem terrellæ motum deprehenderit, quis non videat, quo fine hæc confiſta ſint à Copernicanis? Deinde, eſto rotet ſe ab occaſu in ortum ſuſpenſus magnes,cur tamen terra ſimiliter facere debet? multis enim aliis motibus admirandus eſt magnes,quibus terræ gleba euidenter caret. Falſum etiam omnino,& ex officinâ vnius Gilberti,telluris globum nihil aliud quàm magnum magnetem eſſe.

Experientiam quoque,quam in ſe narrat Cardanus (terræ aliquem tremorem ferè ſemper ſolitum percipere) in rem ſuam trahent fortè Copernicani. Sed nequidquam. nam Copernicanum terræ motum, quo illa fugit

Virgil. *Ocyor & iaculo,& ventos æquante ſagittâ,*

imò rapidiſſimas tormentorum pilas longè præuertit, non ſolus Cardanus,ſed & nos ſentiremus. Potiùs igitur leuis illa terræ libratio fuit,quâ terra altrinſecus onerata,centrum grauitatis ſuæ in medium vniuerſi perpetuò reſtituit,vt Archimedi & elementorum trutinatoribus placet. aut certè non corpus,ſed imaginatio Cardano mota fuit. aut denique,ſpirituum animalium (quos ſupra modum ſubtiles habuiſſe iactat) vibratio,non terræ tremor fuit,quem ſolitus ſentiſcere Cardanus.

Argutiolas quaſdam alias nectunt Copernicani, ſed quæ ne muſcam quidem capere valeant, ita ſunt tenues; & id genus omnia dif-

difflantur tam facilè iis quæ in anteceſſum diximus, quàm folia ventis. Quòd denique Spiritum ſanctum in partes trahant, nihil miror; hoc omnes etiam in fide Catholicâ errones, vt ſpecioſo mantelo ſe tegant, etiam facere ſolent. Quàm diſertè in eos loquatur ille Spiritus, antè oſtendimus, vt quid iam etiam eum volunt ſententiam mutare?

Sed *à facie Domini* dicitur *moueri terra*, inquiunt: igitur non quieſcit. Verùm magis id quàm blitum & omnes betæ betizat. Quis enim non intelligat, loqui de tremore, aut ſubſultu qui fit miniſterio ſpiritûs ſubterranei, quo *montes exultant vt arietes, & colles ſicut agni ouium*; non autem de motu Copernicano? de motu, quo, *reſpiciens terram, facit eam tremere*, non Pythagorico turbine rotari? vt enim hunc quieſcere iubeat, ait ibidem, Dominum *fundaſſe terram ſuper ſtabilitatem ſuam, nec inclinandam in ſæculum ſæculi.* Pſal.113. Pſal.103.

Idem, & nil vltrà dicit S. Iobus: *Qui commouet* (id eſt, tremefacit, vt patet ex Hebræo) *terram de loco ſuo, & columnæ eius* (hoc eſt, ſubterraneæ rupes, quæ terram ſuſtinent, velut columnæ aut oſſa) *concutiuntur.* Hæc alibi ſæpè appellantur fundamenta terræ. *In conſpectu illius commouebuntur montes ſimul & colles, & fundamenta terræ, & cùm conſpexerit illa Deus, tremore concutientur.* Terra etiam dicitur non rarò moueri, dum incolæ eius commouentur & turbant. Locus iſte euidens & amœnus eſt: *Per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere. Per ſeruum cùm regnauerit, per ſtultum cùm ſaturatus fuerit cibo, per odioſam mulierem, cùm in matrimonium fuerit aſſumpta, & per ancillam cùm fuerit heres Dominæ ſuæ.* Tria autem illa non arripient (ſi Deo placet) pro cauſſis efficientibus ſui terræmotûs, Copernicani. Iob 9. Eccli.16. Prou.30.

Denique nec Hebrei terram אֶרֶץ *erets* appellant à rad. רוץ *ruts*, id eſt, *cucurrit*, quia ipſa currat (quod vellent Copernicani) ſed quia in ſuperficie eius, à circumcolentibus eam animalibus, velut in curriculo & ἱπποδρόμῳ curritur. Sic enim etiam Circus aut ſtadium in quibus curſu certatur, *curriculum* Latinis, ἱππόδρομος, aut κατάδρομος Græcis, à curſu dicuntur. Paullò tamen aliter Pagninus. *Sunt qui dicant*, ait, *quòd radix nominis* אֶרֶץ *ſit* רוץ *quod eſt currere: quòd ſuper terram currat & circumdet eam iugiter ſphæra. & ſic Aleph non eſt radicalis littera.* Igitur, quia à cælo & Sole circumcurritur, à radice iſtâ nomen deriuat, non quia ipſa Solem, aut centrum ſuum circumcurrat.

EPILOGVS.

REdeat igitur in centri locum & quietem ſuam tellus, magna mater noſtra; quia ſic diuinæ, ſic humanæ volunt rationes. Scripturæ, inquam, ſacræ, & oculis noſtris faueamus, neque varæ rationis regulâ ſenſuum rectitudinem corrigamus: ſimiles vetuſto Anaxagoræ, qui (quidquid oculi reclamarent) niues eſſe nigras contendebat, quòd ex nigrâ concreuiſſent nube. Quid enim aliud Keplerus egit, dum Planetarum moles & interualla, ex quinque corporum regularium proportione potiùs nobis condidit, quàm ex certâ aut probabili parallaxi, vel oculorum experientiâ? Quid aliud omnes vbique Copernicani, dum clauſis oculorum luminibus, aciem totam in interiora conuertunt, & fatuellæ imaginationis luculam tam manifeſtæ veritatis luci anteponunt? cùm
Lib. de Lin. inſect. tamen Ariſtotelis, & veriſſimo in rebus iſtis naturæ, ſcito, *ἀφεῖναι τὴν αἴσθησιν, καὶ τῷ λόγῳ μόνῳ δουλεύειν, ἄτοπόν τε καὶ μάταιον, deſerere ſenſum, & ſolam rationem ſequi, abſurdum ſit & fatuum.*

Iniquiſſimè verò Copernicani clamitant, quædam in ſententiâ quæ Solem mobilem facit, difficilia eſſe, propter luſus & admirabiles choreas, quas circa Solem perpetuâ fugâ ſe proripientem, exercent ceteri Planetæ; cùm in ſententiâ etiam eorum (ſi paucula excipias) nihil non difficile ſit & perplexum: quod & ipſi, vbi paulliſper ad mentem redierint, non infitentur. Deinde choreæ illæ Planetarum, quas epicyclorum vertigine expedire conatus eſt Ptolemæus, non adeò difficiles ſunt & impeditæ, quin nobis Ke-
Lib. de Motu Mart. c. 1. plerus etiam ipſe, mente & ſtilo egregiam deformare valuerit earum imaginem.

Plat. in Phædr. Quo verò, diuinóne immediatè, an Angelico, an naturæ alterius ingenio illæ deſcribâtur, dicam cum Socrate, *ταῦτα μὲν οὖν Θεῷ μελήσει, hoc Deo curæ ſit:*
Orat. 17. *οὐ κυάθῳ τὴν θάλασσαν μετρῶ, ego cyatho mare metiri nolo.* Præclarè, vt ſolet, D. Nazianz. *Deus latêre nos multa voluit, vt typhum noſtrum & arrogantiã comprimeret, ἵν' εἰδῶμεν τὸ μηδὲν ὄντες πρὸς τὴν ἀληθινὴν σοφίαν καὶ πρώτην· ἀλλὰ πρὸς αὐτὴν νεύωμεν μόνον, καὶ ζητῶμεν ἀεὶ τῆς ἐκεῖθεν αὐγαῖς ἐναστράπτεσθαι, vt intelligamus nos nihil eſſe, ſi cum verâ illâ & primâ Sapientiâ conferamur, ideoq; ad ipſum ſolum tendamus, quæramusq; ſemper affluentibus inde radijs fulgurari.*
Pſalm. 8. Et alibi animaduertit, Prophetá olim Deo dixiſſe: *Videbo cælos tuos*

opera

opera digitorum tuorum, Lunam & ſtellas quæ tu fundaſti: quaſi in hac vitâ nulla vmquam aſtra vidiſſet, vbi non tam res ipſas, quàm earum (præſertim cæleſtium tam longè diſſitarum) *τὰς σκιὰς μόνον* Orat. 34. *ἔχομεν, vmbras ſolas tenemus*; quia corpore terreno nondum exuti, *οὐκ ἔχομεν γυμνῷ τῷ νῷ γυμνοῖς τοῖς πράγμασιν ἐντυγχάνοντες, nudâ mente cum nudis rebus conuerſari non poſſumus.*

Equidem nullus dubito, quin cæleſtis illa machinatio, & Planetarum, ceterarumque ſtellarum admirabilis per ſpiras aut circulos, circa Solem, aut cum ipſo, irrequietiſſimo tot iam annos motu diſcurrentium, ad immenſæ ſapientiæ & infiniti ingenij normam expactus modulatuſque concentus, Angelis, totique illic mundo Piorum maximæ ſit admirationi; vt nemo miretur, diuinum Pſalten in parte beatitudinis futuræ poſuiſſe, videre cælos, Lunam & ſtellas, opera digitorum Dei.

Requieſcat igitur, quæſo, ſuper ſtabilitatem ſuam olim à Deo benè fundata tellus, noſque cum ipsâ: redeantque in circulos ſuos Sol & fixæ, ne aliquid fortaſſe diſſonet in muſicâ illâ cæleſti. Non optima ſemper harmonia eſt, quæ pauciſſimis chordis abſoluitur, & plenior, vibratiorque per plures modulatio diſcurrit: nec igitur, quia ſimpliciùs per vnicum terræ motum, quàm denſioribus Planetarum circuitibus, explicari poteſt, ideò melior & Artifice ſuo dignior cæli concentus.

Hæc, ceteraque quæ toto libello ſparſimus, niſi æſtiment, & nos iſtâ terræ vertigine inquietare deſinant Copernicani, fateanturq; in illam Protarchi legem, * *μὴ κινεῖν εὖ κείμενον*, commiſiſſe, caueant, ne terrâ, velint nolint, quieſcente, tandem vertigo in ipſos tranſeat, & Hippocrate indigeant, qui nec Ariſtotele, nec Scripturâ ſacrâ voluerint ad ſanitatem redire.

* *Non mouendum quod benè ſitum eſt.* Plat. in Phileb.

INDEX CAPITVM.

CAP. I. *Qui auctores Philoſophiæ Samiæ. Et quàm ſeriò & affirmatè ſentiant terram in orbem gyrari hodie Copernicani.* 1.

CAP. II. *Tribus motibus terram mouent Copernicani. Quibus argumẽtis adſtruant ei νυχθημέρινον, ſiue cottidianum circa ſuum centrum.* 6.

CAP. III. *Quibus argumentis moueant Copernicani tellurem annuo circuitu circa Solem.* 12.

CAP. IV. *Cenſura S. Congregat. Cardinalium aduerſus Copernicanos. Et Hiſtoria Zachariæ Papæ & Virgilij Salæburgenſis Epiſcopi diffusè pertractata, quâ contendũt, in damnatione antipodum errauiſſe Pontificem.* 18.

CAP. V. *An hæretica hodie cenſeri debeat ſententia Copernici.* 26.

CAP. VI. *Scriptura ſacra oppugnat Copernicanos: quam fruſtrà conantur eludere.* 29.

CAP. VII. *Malè quidam, nihil certi pro diſciplinis Mathematicis & naturalibus è Scripturâ ſacrâ erui poſſe exiſtimant.* 36.

CAP. VIII. *Senſus etiam & ratio naturalis Philoſophiam Samiam reſpuit. Ariſtoteles pondera non relapſura in terram ad perpẽdiculum olim ei obiecit: nec quiſquam hactenus vim argumẽti potuit eludere.* 42.

CAP. IX. *Tormenti ictu aſſerta terræ quies, quem declinare fruſtrà conantur Copernicani. Inter ambulandum etiam verſus occidentem, aërem ab occaſu in ortum reflantem experiremur.* 49.

CAP. X. *Ædificia, & terra ipſa diſſiliret tam rapido motu. Et quomodo tamen hoc periculum auertere conantur Corpernicani.* 57.

CAP. XI. *Sonitus perpetuus ſiluarum proderet terræ vertiginem. Auram ab oriente perpetuò afflantem, locis editioribus perciperemus. Campanæ & omnia à parte orientali ſonantia difficiliùs exaudirentur.* 61.

CAP. XII. *Motus telluris annuus circa Solem reiectus, propter immane & ἀνάστρον, quod inter Saturnum & fixas neceſſariò Copernicani interijcere debent interuallum. Inferi etiam non in terrâ, ſed in Sole collocandi eſſent.* 64.

CAP. XIII. *Nouem priora Copernicanorum argumenta reiecta, quibus motum terræ νυχθημέρινον aſſerebant.* 73.

CAP. XIV. *Decimi argumenti diſſolutio. Terræ motum diurnum à Sole perigæo non incitari. Lunæ motum à terrâ non eſſe. Terram è cruſtâ mobili, & nucleo immobili non componi: nec inde Scaligerum in labore ortûs fluminum adiuuari.* 79.

CAP. XV. *Vndecimũ & duodecimum argumẽtum reijcitur. Oceanum Indicum ab ortu in occaſum perpetuò non defluere. Animalia ex Aſiâ in terram Auſtralem, per continentem nunc in Maldiuas, Moluccas, Iauas dilaceratam videri tranſiuiſſe.* 83.

CAP. XVI. *Fruſtrà timeri, ne motus cæli terram in orbem corripiat. Superiorem æthera vero motu in occaſum abire, non videri tantùm propter*

pter

pter vertiginem terræ Copernicanam. 86.

CAP. XVII. *Motum terræ annuum, neque ex ſimilitudine terreſtris opacitatis quam videmus in Planetis, neque ex motibus periodicis quibus Planetæ circumeunt Solem, poſſe probari.* 91.

CAP. XVIII. *Tres ſuperiores Planetas vero, non imaginario motu feſtinare quandoque in ortum, aut in occaſum retroagi. Solem inſtar cithaרœdi cum choro ſuo fugientis, in medio Planetarum verſari.* 94.

CAP. XIX. *Quarto & quinto argumento Cap.* III. *annuũ telluris motum perperàm aſtrui. Ridicula theologia Copernicana Lanſbergij.* 99.

CAP. XX. *Vltimo argumento, præceſſionem Æquinoctiorum ab inclinatione axis telluris eſſe, minimè probari. Terram phyſicam Lanſbergij circa axem ſuum non ſponte reuolui. Nec terram Hebræis à curſu quo ipſa currat, nomen accipere.* 105.

Epilogus. 108.

FINIS.

LIBERTI FROMONDI
IN ACADEMIA LOVANIENSI
S. TH. DOCT. ET PROF. ORD.

VESTA,

SIVE

ANT-ARISTARCHI VINDEX,

Aduerſus Iac. Lanſbergium Philippi F.
Medicum Middelburgenſem.

In quo Decretum S. Congregationis S.R.E. Cardinalium anno M. DC. XVI. & alterum anno M. DC. XXXIII. aduerſus Copernicanos terræ motores editum, iterùm defenditur.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXIV.

REVERENDO ADMODVM IN CHRISTO PATRI D. IO. CHRYSOSTOMO VANDER STERRE,

Illuſtris Monaſterij S. MICHAELIS Antuerp. Canonicorum Ord. PRÆMONSTRATENSIS

ABBATI

DIGNISSIMO, COLENDISSIMO

L. M. D. C. Q.

OCCASIO aliquando quæſita, iam ecce reperta eſt, REVERENDE ADMODVM D. PRÆSVL, quâ palàm teſter, & veteris Antuerpienſis contubernij memoriam gratiamq́ue apud me manere, & quantus inclytæ Domûs veſtræ admirator ſim, præſertim vbi nuper acceſſit iſtud noui Præſulis inſigne faſtigium. Ita eſt, REVERENDE D. PRÆSVL: alia ſunt, dum oculos per Belgium circumduco, affluentiâ opum aut ma-

ieſtate ædificiorum auguſtiora Monaſteria, nullum eſt (aut validiſſimè fallor) in quo ſanctitatis & doctrinæ (quæ veræ & vnicæ Religioſorum opes ſunt) mixtura, temperie quadam cæleſti, admirabilior. Hîc enim Theologia viget, Philoſophia floret, ſacrarum concionum pulpita ſic feruent, vt Auditoriorum ſpatia, quantumuis laxa, ſtudio & multitudine confluentium, in arctum conſtipentur, cum maximâ iam tot annorum admiratione admirandæ illius Vrbis, quæ nihil ſolet admirari. Et veſtra Theologia etiam qualis? Non frigida illa videlicet, quæ omne ſuum lumen intellectu ſuſpendit, nullâ ſcintillâ deciduâ in affectum voluntatis; ſed melior & diuinior altera, quæ ignem & incendia diuini amoris in voluntatem & omnes animæ vires depluit. Myſticam, inquam, Theologiam Scholaſticæ (quas olim SS. Patres, & veſter præſertim Auguſtinus, ſociauerant, poſteri malè diſſociauerant) reconciliatis. Scis enim, REVERENDE D. PRÆSVL, quàm ſcientia (quæ ſola tantùm inflat) non ſatis ſit ad implendum totum Paſtorale munus, niſi ſolida pietas in ſupplementum, imò in partem principalem acceſ-

acceſſerit: ideoque tuos, curæ animarum ex Ordinis ſui inſtituto deſtinatos, pietate iuxtà, imò ſuprà (& ſic oportet) ac ſcientiâ formas & erudis, nec alienâ tantùm, ſed tuapte manu. Hoc eſt reuerà Abbatem, id eſt, Patrem ſpiritalem exercere: temporalia, inquam, in curâ quidem, ſed non principali habere; & ſtudere ſpatiis charitatis magis, quàm latifundiis, ſuos locupletare. Hoc veteres etiam illi SS. Abbates, Norbertus, Bernardus, Benedictus, Auguſtinus, Baſilius, olim faciebant; per quorum veſtigia non graderis tantùm, ſed graſſaris animosè. Quoties profectò generoſam tuam pietatem, altâ tamen animi demiſſione ſubnixam, conſidero; toties Diui & animoſi CHRYSOSTOMI, quem nomine, eloquio, & maſculâ animi alacritate refers, in mentem venit: Magni deinde etiam Baſilij exemplum. Ad hunc enim cùm S. Ephræm viſendum, ſanctitatis eius famâ ex eremo excîtus (& quia Baſilius *inſtar* COLVMNÆ IGNIS, *vertice cœlum attingentis*, ei in ecſtaſi obuerſatus fuerat) Cæſaream celebri die Theophaniæ veniſſet, & ad Eccleſiam Cathedralem Baſilium magnificè procedentem, *indutum ſtolâ* *Amphiloch. Episc. Icon.*

 can-

candidâ, Clerumq́ſacrum qui iuxta illum erat, candidis amictum veſtibus vidiſſet, ad fratercu-lum ſuum Ephræm conuerſus, *Fruſtrà nos, opinor, frater*, ait, *laborem hunc ſumpſimus. Hic tantis ſtipatus turbis, tantaq́ præditus dignitate,* IGNIS COLVMNA *eſt? Id mihi quidem prodigioſum videtur.* Sed mox errorem ſuum confeſſus eſt, vbi *Baſilio ſacros codices legente, linguam igneam per os eius loquentem* conſpexit. Et profectò malè cum Seraphinis ageretur, ſi Luciferos omnes eſſe, ſine humilitate & charitatis igne oporteret; & nemo, niſi ſuperbus, *terrenis operibus poſſet ſuperuolare.* Imò ſuperbi hoc non poſſunt, quia diuinæ iſtæ alæ elatis & ſuperbis non naſcuntur; typho tantùm ſuo tument & leuantur, nec Seraphicis alis in Deum ſupra ſeipſos euolare poſſunt.

D. Auguſtinus Epiſt. ad Roman.

Non improbâ vſurum me hyperbole exiſtimo, neque virtutes tuas, REVERENDE D. PRÆSVL, vltra verum & meritum incendam, ſi COLVMNAM IGNIS te quoque appellauero; & periculoſæ adulationis infamiam quiſque facilè à me ſpernet, qui te inadulabilem, & ab omni animi faſtu demiſſiſſimum eſſe, & virtutes omnes Deo regerere, non tibi

tibi adſcribere, mecum intelliget. Quid enim aliud perpetuò agis, quàm inſtar COLVMNÆ IGNEÆ, voce, opere, exemplo filios tuos amore diuinorum incendere; & quocumque etiam pergis, cæleſtium monitorum in alios faces & incendia ſpargere? Raro enim, & ferè ſubfrigidè, extra pietatem neceſſaria verba fundis: de vitâ, virtutibus, imitatione Sanctorum, præſertim tui Ordinis, omnis tibi ferè ſermo abit; quos ſcriptis etiam publicare & illuſtrare, conquiſitis vndique & curioſè veteribus memoriis, iam pridem es aggreſſus. Ne verò diuinus ille ignis, ex abſentiâ ſui Solis, in animis filiorum qui foris apud oues ſuas ruri agunt, aliquando tepeſceret; pagatim eos circuis; ac domum ſubinde ad EXERCITIA SPIRITALIA, & flabellandum ſanctis meditationibus diuini amoris ignem, reuocas: STATVTORVM tui Ordinis obſeruantiſſimus, & memor diuinæ illius paræneſis REVERENDI D. IO. DRVSII (quem nuper, eheu, atra dies, triſti, non inclyto Monaſterio ſuo Parcenſi tantùm, ſed toti Belgio, funere nobis abſtulit) quam limini STATVTORVM RENOVATORVM præfixit. *Qui in* *In Præfat. Statut. Præmonſtrat.*

aliorum

aliorum gubernaculis occupantur, ait ille ὁ μακαρίτης, *ſæpiùs ad ſua Monaſteria redire, & tamquam columbæ ad feneſtras ſuas reuolare conſueſcant, ibidem gemituri & ſe expolituri, & tunc ad ſanctos ſuos labores redituri. Nec enim ſic pro amore Dei diligenda quies, vt proximorum vtilitas curaq́ postponatur; nec ſic pro amore proximi, occupationi inſeruiendum, vt funditus deſertâ quiete, ſuperni amoris ignis planè tepeſcat, imò extinguatur; ſed omnia ita ſunt moderanda, vt actiuæ vitæ laborioſæ occupationi ſuccedat contemplatiuæ vitæ, ad ſpirituales vires reparandas, ſuauiſsima & fructuoſiſsima quies.* Nec enim aliter ſine periculo labis aut lapſus, per lutum peccatorum, aut inter ſcabioſas oues incedere diu Paſtor poteſt, niſi animum à terrenis erigere, & intra ſeipſum ac diuinæ familiaritatis ſolitudinem ſe idemtidem recipere condiſcat. Tunc verò ſi *ex illo adyto ad agendum quis procedat, in actu humano plerumque tranquillitas manet:* quæ facilè aliàs turbatur; & inconſtanter in iis fluctuat, qui nimis effusè aut diu in exteriora verſi, raro in ſe & diuini ſeceſſus adyta reuertuntur, aliis ſæpè inutiles, ſibi ſemper periculoſi.

D. Auguſtinus Epiſt. ad Nebrid.

Ceteras

Ceteras tuas & illuſtris Monaſterij tui dotes, REVERENDE D. PRÆSVL, longum iam enarrare, & aliàs fortaſſe intra locum faciemus, & magis vacui. Finio igitur nunc, ſi munuſculum iſtud non magnæ rei (imò Medici ægrotantis melancholica tantùm ſomnia) tibi in manum porrexero. Iac. Lansbergij Medici Middelburgenſis confutatio eſt, qui formoſam Antuerpiam vobiſcum, imò nos omnes mortales cum vniuerſo terrarum Orbe, circa Solem immobilem volare credit; & quia rem tam bellam ei accredere nolui, deſpuor & vapulo. Quis credat phlegmaticis Zelandis cerebrum tam igneum & volatile eſſe? Ego verò Eccleſiæ Catholicæ, SS. Patrum, & Ariſtotelis ac Ptolemæi, id eſt, veram, non imaginoſam Philoſophiam præponere malui; & terram hanc morientium cum meliori alterâ TERRA VIVENTIVM, hoc eſt, Orbem ter- Pſal. 26.
rarum & cælum Empyreum, fundum & tectum Vniuerſi immobilia facio: cetera omnia intermedia irrequieta ſunt, & in motu. Ego verò in amore & cultu tui, REVERENDE D. PRÆSVL, & memoriâ gratiſſimâ primæ meæ iuuentutis, quando olim Profeſſionis

Philoſophicæ tyrocinia apud vos poſui. & exinde illuſtrem veſtram Domum amare, & Vrbem illam vrbium admirari numquam deſtiti. Antuerpiam, Orbem terrarum non Vrbem Iul. Scaligero placuit olim appellare; nec mihi diſplicet, neque hanc ei laudem volo detrectare: annulum tamen nunc potiùs tantùm vocemus, cuius S. MICHAELIS Monaſterium ſit pala, tu verò, REVERENDE D. PRÆSVL, gemma ei inſerta, tamquam STELLA radians in ſuo Epicyclo. Quod vtinam diu ſic facias in terris, vt deinde æternùm poſſis in cælis. Ita voueo

REVERENDÆ ADMODVM D. T.

deuotiſſimus

LIB. FROMONDVS.

AD

AD LECTOREM.

HOMINES *quidam læui & imaginatione nimis leues, credunt ſe duplici rapidiſſimo motu, cum vniuerſo terrarum Orbe, ſingulis horis per milliaria Germ. fermè mille volare; & eò vſque atra bilis eorum ebulliit, vt clament, ſententiam quæ terram quieſcere, & cælum ac ſidera circumcurrere putat,* improbabilem, ſine veriſimilitudine & abſurdè excogitatam, vanorum hominum abſurdiſſima commenta eſſe. Iac. Lanſberg.

Et quamquam hæc riſu *fortaſſe* potiùs reuincenda erant, ne grauitate adorarentur, *aut* baculo *magis quám* calamo *caſtiganda, vt nuper Vir eruditione & dignitate inter Belgij Principes mihi dicebat; quia tamen Sacra Cardinalium Congregatio anno* M. DC. XVI. *cenſurâ ſuâ eos ferire dignata fuit, nec illi tamen compeſcebantur, credentes naturâ rerum à ſe pugnante & Aſtronomicis argumentis ſe ſatis tutos,* ANT-ARISTARCHVS *rapto calamo, argumentorum iſtorum imbecillitatem, & non minùs ratione naturali quàm Theologicâ nudos eſſe nuper oſtendit. Non tulit hoc Iac. Lansbergius Medicus Middelburgenſis, Phil. Lansbergij filius (quamquam natales ſuos toto Libro obnixè diſſimulet, ne irâ* potiùs Tertul.

quàm iudicio videatur in hanc rixam proſiliiſſe) & arrepto non ſtilo, vt in puluere ſcholaſtico ſolet, ſed fuſcinâ (ita eloquentiam eius & genus dicendi appello) tamquam retiarius in Arenâ furens, ferulaceâ rude tantùm armatum me inuadit. Cauſſa tantarum ſubitò intemperiarum præcipua, quòd neſcierim Phil. Lansbergium parentem, in antro Trophonij fuiſſe, & quidquid ſomniando etiam diceret, pro oraculo in Zelandiâ adorari. Quòd, inquam, inter Copernicanorum vulgus in ANT-ARISTARCHO *eum tractaui, &* demonſtrationes *eius* ſcientificas, quibus nullâ ratione poterat contradici, *pſeudographorum fucos, puerilia ſophiſmata,** σκευάρια κατατετριμμένα *cum Platone appellaui, & aliis quibuſdam non nimis (vt verum dicam) molliter eum defricui; vt tumorem illum quo ſe contra veritatem, & ſacræ Scripturæ, ac S.R.E. Cardinalium auctoritatem tam turgidè efferebat, paulliſper comprimerem.*

Quia verò Clar. Vir Io. Bapt. Morinus Matheſeos in Acad. Pariſienſi Regius Profeſſor, non multò blandiùs, demonſtrationes Lansbergianas vanas & viro Mathematico indignas, *Petr. Bartholinus Danus* non vnius flocci, *auſi ſunt nuncupare, eos etiam incurrit & infeſtâ cuſpide petit Iac. Lansbergius; ſed modeſtè ferè & ex interuallo: in me verò largiſſimè iram deſpumat, & repetit ſine fine. Morinus enim ſolùm aliquoties ei* cauillator, momus,

* *Scruta,* ſiue *ſupellectilem detritam*

momus, *& omnia* Aſtronomo indigna *dicit*, *Bartholinus* ingenij ſtupor, & animam pro ſale habet; *at ego, vbique* cauillator, calumniator, inuerecundæ nec ingenuæ frontis, malignis dentibus, fabuloſus, hiſtrionicæ pro meis Cardinalibus ſaltator, nec plus habeo ſapientiæ quàm lapis, *& alia quibus miſerum ſuum Libellum à capite ad calcem conſpurcauit.*

Ἔστι γὰρ αὐτῷ —— ὀνείδεα μυθήσασθαι *Homer.*
Πολλὰ μάλ', οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόζυγος ἄχθος ἄροιτο·
Licet enim ei opprobria loqui
Plurima, quorum pondus ne quidem centum
transtrorum nauis portaret.

Vt tamen magis ex vindictâ quàm ex vero iſta in me ſparſiſſe intelligeremus, poſt omnia addit: Si tuâ dignitate & opinione putas factum duriùs, vt olim Comicus, Reſponſum, non maledictum habe, nam læſiſti priùs. *Læſi ſanè, aut deſtrinxi, ſed doctrinam præcipuè, mi Lansbergi; pleraque verò quæ ſine delectu in me congeris, non doctrinæ vitia ſunt, ſed hominis. Verumtamen irâ & omni idcircò indignatione tam procul abſum, vt lætanti etiam & gratias agenti ſim propior. Numquam enim aliàs antè tam improbabilis & deridicula ſententia Copernicanorum mihi apparuit, quàm vbi Jac. Lansbergius raptis vndique argumentis tam enixè conatus eſt Ptolemæo colorem & ſanguinem detrahere, ſucum*

æc inanem probabilitatis ſpeciem Copernico inducere. Satyricum etiam iſtud caninumq́ ſcribendi genus & linguæ flagella, vanitatem quæ ſtudiis ſæpè noſtris adnaſcitur, veluti paleas, vtiliter excutiunt. Nec dubito, quin etiam à diuinâ prouidentiâ factum, vt Phil. Lansbergij DE MOTV TERRÆ DIVRNO ET ANNVO *exemplar, ex Clar. & Ampl. Viri Eryc. Puteani bibliothecâ, caſu venerit in meas manus (vnde* ANT-ARISTARCHO *quædam interſpergerem, confricaremq́ ſalsè & paullò aſperiùs) ad exprimendos ventos & componendum typhum quo turgebant, & in Pythagoricis inſomniis immodicè & vſque ad delicias ſuas (ſed aliorum riſus) ſibi placebant Lanſbergij. Itaque pro mutuâ iſtâ vitiorum noſtrorum medelâ ne iras, mi Lansbergi, ſed gratias inuicem reddamus. Si tamen iraſci, & in cothurno tuo tragœdiam continuare mauoles, ego tamen Comicum in ſocco contrà agere pergam, & fulminum tuorum crepitibus riſu tantùm reſpondebo. Quomodo enim aliter poſsim? Rem enim totam iſtam pro ridiculâ, & terræ quietem tam in comperto, quàm digitos meos in numerato habeo. Et tamen (vt à veſtris nuper audiebam) vulgaris iam penè eſt apud vos, & non tantùm intra eruditos, ſed in turbam etiam nautarum aurigarumq́ ſe ſparſit Copernicani motûs perſuaſio. Sed præcipuè tamen qui ex altero Orbe illuc renauigant, afflati ferè redeunt Copernicanæ telluris vertigine,*

gine, & inter mirabilia quæ apud Indos vidiſſe narrant, libenter aliquid intergarriunt de Solis ſtatu & terræ mobilitate. Suaues & bellatuli! Quaſi verò certiora ibi, quàm in Oceano Belgico, motûs telluris indicia, & acutiùs aut alia in Orbe illo videant Hollandi Zelandiq́;, quàm Hiſpani & Luſitani, qui inſanire putent qui iis dixerit, Solem non oriri & occidere, ſed terram reuolutione ſuâ diem & noctem circumducere. Verumtamen talibus paradoxis nomen & admirationem apud vulgus ſibi facere debent, qui compendioſiſſimè ac ſine ſtudio docti eſſe, aut videri, & in numerum eruditorum, tamquam fuci in aluea-re, irrepere volunt.

Fama etiam ibi (ſic audio) apud quoſdam temerè vulgauit, me olim etiam in Copernici ſenſu & Philoſophiâ fuiſſe, ſed Decreto Sacræ Congregationis Cardinalium exterritum, in Ariſtotelis & Ptolemæi caſtra refugiſſe. Quàm errant! Nimis enim magnâ ſemper admiratione in Ariſtotele defixus fui, quàm vt tralatitiis & ridiculis argumentis, leuitateq́; deſultoriâ potuerim vmquam aliò transfugiſſe. Sed hoc, opinor, volunt dicere: Me inter diſcipulorum ſcholas, ingenium Copernici & terræ motûs ſubtilitatem (ſed vt veteres quidam malas feminas, aut febrim quartanam) aliquando laudauiſſe, & argumenta Ariſtotelis ac Ptolemæi, ad exercitationem ingenij, conatum in ſpeciem ſolùm & dicis ergô diſſol-

uere.

uere. Aliàs enim intima mea mens expreſſa in ANT-
ARISTARCHO, *& mihi ſemper ſedit vetus iſte ada-*
** terra volat,* *gio, ἡ γῆ ἵπταται, quod Maiores noſtri in re incredibi-*
li & fabuloſiſſimâ ſolent vſurpare. Poëtæ ingenioſo,
inquam, iam olim credidi, terram ponderibus libra-
tam ſuis, in medio vniuerſi, circa centrum ſuum col-
ligi & acquieſcere; ideoq́ʒ VESTAM, *quòd vi ſuâ ſta-*
ret, à caſcis illis appellatam fuiſſe.

Ouid. Stat vi terra ſuâ, vi ſtando VESTA vocatur.

Nec Theologia ſolùm, ſed Philoſophia conterranei
mei, Belgarum illo æuo eruditiſſimi, mihi ſemper pla-
cuit. Adelmannus eſt (alij Adelinum vocant) Scho-
Tom.XI. SS. Patrum. *laſticus Leodienſis circa annum* M. XL. *qui Epiſtolâ*
DE VERITATE CORP. ET SANGVINIS DOMI-
NI IN EVCHAR. *ad Berengarium hæreticum, in*
Academiâ Carnotenſi olim condiſcipulum, Gentiles,
ait, magni quidam & nobiles Philoſophi multa
falſa, quæ iure contemnimus, non ſolùm de Crea-
tore Deo, ſed de hoc mundo & his quæ in eo ſunt,
ſenſiſſe inueniuntur. Quid enim abſurdius affir-
mari poteſt, quàm cælum aſtraque omnia ſtare,
terram verò rapidâ vertigine in medio circumfer-
ri; falli verò eos qui putent cæleſtia moueri, quem-
admodum falluntur nauigantes, quibus turres at-
que arbores cum ipſis littoribus videntur recede-
re? Solem prætereà non calere, niuem nigram
eſſe, audire quis ferat? Sunt apud illos plura æquè
monſtro-

monſtroſa, quæ proſequi longum eſt & nugatorium. De quibus Doctor noſter, Dicentes, inquit, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. *Ideò ipſis en alterâ iam vice helleborum propinamus, mi Adelmanne; niſi* Anticyras nauigare *& ibi bibere malint. Alterum autem, amabò, faciant, vt poſtliminio mentis citò ad ſe redeant; ego enim melancholicis & imaginoſis iſtis non libenter componor, & tritum iſtud nimis ſcio:* Rom. 1.

—— Bacchæ bacchanti ſi velis aduorſarier, *Plaut.*

Ex inſanâ inſaniorem facies, feriet ſæpiùs; *meminiq́; vulgaris olim parœmiæ,* φαλακρὸς ὢν κατὰ κριοῦ μὴ νυστάζειν ἀντιπρόσωπος, Qui caluus eſt, non debet aduersâ fronte cum ariete concurrere. *Quamquam nec alij me pro caluo aut omnino excorni fortaſſe habituri ſint; quia præuaricationem metuebam, & prodam, non defendam veritatem, ſi tam animoſos Jac. Lansbergij aſſultus languidè excipiam, & fungino capite contra lapidea iſta crania experiri velim.*

Quia verò APOLOGIAM *ſuam in* TRACTATVS *&* CAPITA *concîdit Lansbergius; vt calcem calce premerem, per eadem veſtigia ſecutus ſum, &* TRACTATVM TRACTATVI, CAPITIBVS CAPITA *totidem oppoſui. Hoc etiam ad intelligentiæ & iudicij tui lucem, Lector, afferre aliquid fortaſſe poterit. Vt, inquam, mutuâ iſtâ comparatione &*

ex parallelo, merita vtriuſque cauſſæ alternis reſpicias, & facilius veritati ſuffragium feras. Cui, ſepoſito partium affectu, vnicè, quæſo, faueas. Ego certè fauori meo nihil dari poſtulo. Nec enim de aduerſario victoriam, ſed veritatem quæſiui aduerſus mendacium. Vale.

AD EVMDEM.

EN alterâ etiam vice te alloquor, amice Lector. Dum enim clariſſimi Typographi prælum, alio opere inchoato nondum feriatum, me paulliſper exſpectare iubet, ſuperueniunt Bruxellâ litteræ ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Fabio de Lagoniſſa ex Marchionibus Montis Herculei, Archiepiſcopo Compſano, in Belgio & Burgundiæ comitatu Nuntio Apoſtolico, ad Exim. D. Cor. Ianſenium S. Th. Doct. & Scripturæ ſacræ hîc Prof. Regium, quarum tibi copiam & conſcientiam facere ſubiecto exemplari, pro bono exiſtimaui.

Admodum R^de^ Domine. Ab annis iam aliquot Tractatus Nic. Copernici de Reuolutionibus orbium cæleſtium, qui terram, non Solem, moueri, mundi tamen centrum eſſe contendit, à S. Congregatione Indicis Librorum ſuppreſſus eſt; eo quòd hanc ſententiam ſacræ Paginæ prorſus re-

pugnare

pugnare conſtet. Quam etiam opinionem cùm Galileo Galilei Florentino, tam ſcripto quàm voce docere poſtmodum prohibuiſſet S. Officij Congregatio, eo non obſtante idem Galileus Libellum quemdam qui GALILEVS GALILEI inſcribitur, quiq́ue Copernici doctrinam redolet, prælo mandare auſus eſt. Verùm hic in S. Officio Inquiſitioni exhibitus, carceriq́ue mancipatus, erronei dogmatis prauitatem penitus abiurare coactus eſt: in cuſtodiâ illâ eouſque detinendus, donec Eminentiſſimis DD. Cardinalibus ſufficientem egiſſe pœnitentiam videbitur. Atque hoc Academiis Belgicis ſignificari prædicta S. Congregatio voluit, vt huic veritati ſe conformare omnes velint. Ideò ceteros quoque iſtius Vniuerſitatis Profeſſores à Domone Suâ de hoc admoneri cupimus. Vale. Bruxellæ Kalendis Septembris, CIↃ. IↃC. XXXIII.

Galileus Pythagoriſmum Romæ abiurare coactus.

Vides igitur, iterùm Romæ per Eminentiſſimos Cardinales damnatam erroris hoc anno Pythagoræ & Copernici ſententiam, & omnes Sedis Apoſtolicæ ſubditos ab iſtâ doctrinâ iam arceri. Non audient tamen, ſcio, inobedientes Eccleſiæ filij, aduerſus auctoritatem grauiſſimam tam ſurdi & peruicaces, quàm ad argumentorum clariſſimam lucem cæci aut ſponte conniuentes. Nempe pudebit opinionem mutare, quam iam editis Libris tam latè vulgauerunt, aut re-

petitâ imaginatione tam altè animo impreſſerunt, vt vertigine telluris cerebro penitus conceptâ, verti ſe iam imaginentur : vt in morbo quibuſdam euenire ſolet, qui omnia ſub pedibus & circa ſe gyrari ac ambulare credunt, cùm tamen, præter mentem eorum ſedibus ſuis emotam, vniuerſa conquieſcant. Quid facimus? Ego certè argumentis humanis diuiniſq; quod potui. Si à me ſanari nolint, depono, & trado Hippocrati. Iterùm vale.

APPROBATIO.

VEſta, ſiue Ant-Ariſtarchi Vindex Eximij Domini Liberti Fromondi, in Academiâ Louanienſi S. Theol. Doctoris & Profeſſoris Ordinarij, aduerſus Iacobum Lansbergium Philippi filium, Copernicanos ſeu terræ motores redarguens, ſacræ Paginæ & Decretis Eccleſiæ conformis, inſtructionem ſolidam & recreationem gratam curioſo Lectori adferet, quare typis meritò euulgabitur. Datum Antuerpiæ hac XXVII. Septembris M. DC. XXXIII.

Zegerus van Hontſum Canonicus & Pœnitentiarius Antuerpienſis, Librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, & Potentiſſimus Belgarum ac Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis *Liberti Fromondi in Academiâ Louanienſi S. Th. Doctoris & Profeſſoris Veſtam, ſiue Ant-Ariſtarchi Vindicem aduerſus Iac. Lanſbergium Philippi filium Medicum Middelburgenſem*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XV. Nouemb. M. DC. XXXIII.

Signat.

Steenhuyſe.

INDEX TRACTATVVM ET CAPITVM.

TRACTATVS PRIMVS.

CAP. I. *Quatuor priora Lansbergiorum argumenta prorſus inualida ad aſtruendum terræ motum diurnum. In reuolutione octauæ Sphæræ ſpatio 24. horarum nullæ violantur naturæ leges. Concinnius eſt, terram quieſcere, cælum moueri.* pag. 3.

CAP. II. *In firmamento plures motus apparere poſſunt, etiamſi ipſum ſit primum mobile.* 10.

CAP. III. *Motum terræ Copernicanum non eſſe velociorem motu pilæ æneo tormento exploſæ, ad cauſſam nihil referre. Quæ ad ſiſtendam primi mobilis rapiditatem afferuntur, futilia eſſe.* 12.

CAP. IV. *Facillimè intelligi poteſt, quomodo cælo moto, neceſſe non ſit totum fluidi & lubrici aëris elementum, ac terram ipſam vnà moueri ab Ortu in Occaſum.* 18.

CAP. V. *Argumentum quo ex terrâ phyſicâ, motum terræ Copernicanum Lansbergius probat, vanum & inutile eſſe.* 23.

TRACTATVS SECVNDVS.

CAP. I. *Cælo nullum, terræ maximum periculum eſſe, ne tantâ Copernicani motûs rapiditate diſsiliat. Nihili eſſe, quæ Ptolomæo reponunt Copernicus & Copernicani.* 29.

CAP. II. *In motu terræ diurno, aues, nubes, miſsilia reuerà redirent verſus Occaſum. Ptolomæus defenſus. Terra Copernicana nauis apertæ, non clauſæ, habet imaginem.* 43.

CAP. III. *Ariſtoteles perperàm à Lansbergio reiectus. Pondera non recident in eamdem terræ partem, ſi ſit vllus terræ diurnus motus. Tormenti ictus in Occaſum quàm in Ortum re verâ longior in ſuperficie terræ apparebit.* 59.

CAP. IV. *Terra non pendet in aëre, vt corpus leue, ſed grauiſsimo pondere in centrum ſuum vndique incumbit. Motui ergo circulari reſiſtit. Vana eſſe omnia, quæ ex facilitate mouendi onera nauium in aquis, argutatur Lansbergius.* 67.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS.

CAPVT PRIMVM. 76.

CAP.II. *Ex Scripturâ ſacrâ lucem aliquam ſcientiis naturalibus accendi poſſe. Qui negant, impij ſunt. Hoc enim eſt, Deum rei naturalis ignarum, aut mendacem facere.* 76.

CAP.III. *Malè quibuſdam exemplis, Scripturæ ſacræ, ad rerum naturalium intelligentiam, inutilitas à Iac. Lansbergio oſtenditur.* 82.

CAP.IV. *S. Ambroſius perperàm accuſatus, quaſi ſacrâ Scripturâ ad probandas naturæ quæſtiones ſit abuſus. Zacharias Papa à Lansbergiorum cenſurâ iterùm vindicatus.* 88.

CAP.V. *Fruſtrà Scripturæ ſacræ & D. Auguſtini nodos iactat, & conatur excutere Lansbergius.* 93.

CAP.VI. *Copernicanos peſſimos ſacræ Scripturæ interpretes eſſe. Pſalten à Iac. Lansbergio malè & inſolenter enarrari.* 98.

TRACTATVS QVARTVS.

CAP.I. *Demonſtratio Lansbergiana ab apparentiis Lunaribus ſumpta, pſeudographa eſt, & euidenter principium petit, aut à potentiâ ad actum, vt Logici loquuntur, ſophiſticè procedit.* 106.

CAP.II. *Clamores & iniuriæ in Fromondum ac Morinum ſparſæ, Lansbergios demonſtrationis ſuæ pſeudographæ laqueis irretitos, nequeunt liberare.* 110.

CAP.III. *Demonſtrationem Lansbergianam à feſtinatione, ſtatu, regreſſu Planetarum ſumptam, eodem vitio laborare.* 117.

CAP.IV. *Fruſtrà fumos alios & nebulas ſpargit, vt paternæ demonſtrationis mendum obſcuret Iac. Lansbergius. Compendioſius & concinnius eſt, ſidera omnibus neceſſariis motibus onerare, quàm horologio cæleſti nouam terræ rotam inſerere.* 122.

CAP.V. *Quædam non inepta ex Cap. I. Geneſeos à Pet. Bartholino obiecta Copernicanis. Terram in centro, cælum in circumferentiâ vniuerſi in principio Deus creauit.* 125.

TRACTATVS QVINTVS.

CAP.I. *Argumentum Ariſtotelis, & alterum è tubo Belgico ſumptum vellicat tantùm, non diſſoluit Lansbergius.* 136.

CAP.II. *Immane illud Copernicanorum inter Saturnum & fixas vacuum chaos, moleſq́ue fixarum monſtroſas nequidquam conatur Lansbergius excuſare.* 142.

TRACTATVS SEXTVS.

CAP.I. *Falſum eſt, Dei ſapientiam, potentiam, bonitatem magis attolli & celebrari, ſi ſyſtema mundi potiùs ad Copernici normam, quàm Ptolomæi aut Tychonis condiderit Deus. Vranometriam Phil. Lansbergij imaginariam eſſe.* 151.

CAP.II. *Athei veris, non ludicris & tralatitiis armis expugnandi. Meditationes piæ, veritatis fundo debent inniti. Liber Sapientiæ ſacer eſt. Empyreum Sphæris mobilibus ſuperſtrui debet, ſed non argumento oui & gallinæ. Vana, quæ de brutis ad finem vniuerſi ſuſpirantibus afferuntur. Iudex controuerſiarum, præter Scripturam ſacram, in Eccleſiâ à Chriſto neceſſariò debuit inſtitui.* 158.

ANACEPHALÆOSIS. 173.

ERRATA.

Pag. 56. lin. 16. à fine, *ſollitare*, lege *ſollicitare*.
Pag. 57. lin. 15. à fine, *negare*, lege *aſſerere*.
Ibidem lin. vltimâ, *affirmant*, lege *negant*.

LIBERTI

LIBERTI FROMONDI VESTA SIVE ANT-ARISTARCHI VINDEX

Aduerſus IAC. LANSBERGIVM & COPERNICANOS *terræ motores.*

TRACTATVS PRIMVS.

IN limine ſtatim primo APOLOGIAE ſuæ conqueritur Iac. Lanſbergius, ab ANT-ARISTARCHO *Criticos*, *Poëtas*, *Hiſtoricos*, *& neſcio quos*, *in auxilium vocari.* Quaſi verò non parem in Copernicanos querelam iacere poſſim, quòd Iac. Lansbergium Medicum aduocent, qui arteriæ pulſum, quàm motum terræ Copernicanum melior fortaſſis explorare. In *Criticis*, credo, numerat Lipſium, qui Copernici paradoxum *delirium* appellauit; in *Poëtis* Buchananum, qui eleganti carmine Copernicanos refellit. Et nónne Copernicus ipſe (vt oſtenderet, quomodo Sol moueri diceretur, etiamſi re verâ ſtaret) Principem Poëtarum in auxilium

Lipſius lib. 2. diſſert. 19. Phyſiol.

lium vocauit, qui alicubi cecinerat,

Virgil. Aeneid. 3. *Prouehimur portu, terræque vrbeſque recedunt?*

Et quis hodie & olim Aſtronomus, ex Georgicis Virgilij non aliquid decerpſit? Solet enim gens Poëtarum rei ſideralis eſſe conſultiſſima. Et nos igitur Principem iſtum etiam aduerſus Copernicum conſulamus, quod pænè neglexit noſter ANT-ARISTARCHVS.

Aeneid. 2. *Vertitur intereà cælum, & ruit Oceano nox.*

Et aliubi: ————*nox humida donec*

Aen. 11. *Inuertit cælum ſtellis fulgentibus aptum.*

Ecce duobus verſibus motum diurnum quem Copernicus terræ dat, cælo reſtituit. Apud ipſum etiam annuo motu Sol, non terra Copernicana, annum circumcurrit.

Aeneid. 3. *Intereà magnum Sol circumuoluitur annum.*

Virgilius non fuit Pythagoricus.

Neutro igitur motu Virgilius eſt Copernicanus. Scio tamen Poëtas, vt metrum ſuum inueniant, aliquando per metaphoras & omnem dicendi licentiam euagari. ſed ideò neminem ex illâ natione in doctrinæ huius fundo ſubiicimus, ſed in parietes ſolùm, aut certè in periſtromatum picturas aduocamus. Siccum enim illud & nudum (præſertim in materiâ quæ cultum patitur) dicendi genus non mihi valdè blanditur, & præter oſſa ac neruos, etiam caro, cutis, & colorum amœnitas in Scriptore placet.

Hiſtorici etiam plurimarum rerum materiam Philoſophis ſuggerere debent. Omniſcios enim eos eſſe conuenit. Et ne putes rem naturæ ab ipſis ignorari, Seneca & Plinius naturales hiſtorias conſcripſere.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Quatuor priora Lanſbergiorum argumenta prorſus inualida ad aſtruendum terræ motum diurnum. In reuolutione octauæ ſphæræ ſpatio 24.horarum nullæ violantur naturæ leges. Concinnius eſt, terram quieſcere, cælum moueri.

NEGAT Iac. Lanſbergius quatuor argumenta prima Phil.Lanſbergij parentis, quæ neglectim attigeram (ita proiecta & nihili mihi videbantur) *Fromondum ſuo cauillo potuiſſe eludere*. Primum erat. Cæli quò terræ propiores, eò proprium motum celeriorem habent. Luna enim celeriùs Mercurio, Mercurius Venere, &c. ab Occaſu in Ortum retrocedunt: igitur Ptolemæus non debuit cælo primo mobili velociſſimum motum 24.horarum tribuere. Alterum argumentum eſt. *Sapiens mundi Architectus violaſſet ſine cauſâ leges proportionis & ordinis, in toto cælo à ſe ſeruatas, ſi octauæ ſphæræ omnium maximæ celerrimam reuolutionem conceſſiſſet.* Quo vngue nodus tam Gordius diſſolui poteſt? Ludente & facillimo. Audi enim. Receſſus Planetarum proprius ab Occaſu in Ortum perpetuò decreſcit tardaturq; (id eſt, Planeta ſuperior tardiùs ambitum ſuum maiorẽ in Zodiaco abſoluit) & lex iſta Firmamentum etiam tangit. Nam Luna velociſſimè, ſtellæ fixæ tardiſſimè per Signiferum videntur reciprocare. Et huc vſq; natura obſeruat quod cupit Phil. Lanſbergius.

Deinde, quia ſidera omnia, ad diſtribuendas eorum influentias, cottidie ab Ortu in Occaſum reuolui oportuit, ſphæra altera prima mobilis (ſi Ptolemæo credimus) adiecta eſt, quæ reliquas inferiores, 24.circiter horarum ſpatio circumduceret. Quodnam hîc peccatum? quænam naturæ violatæ leges, quod Lanſbergij ſecundum argumentum tanto hiatu clamat? Imò, veluti ſupremi Principes legibus ſuis in obſequium rapiunt contrarias ſubditorum voluntates; ita ſumma & capitalis illa inter mobiles ſphæra, ſubiectas & in contrarium renitentes rapidiore motu euincere debuit: nec quidquam ad diſpergendas & modulandas in numero & menſurâ (qui vnicus eſt motuum cæleſtium finis) per mundum elementarem ſiderum influentias, melius fortaſſe & concinnius à ſapientiſſimo Opifice fieri potuit. Vides ergo iam,

 opinor,

opinor, quàm ſine neruis, & meritò neglectim à me habita ſint duo illa priora argumenta, quæ pueriliter nimis iactas.

Quòd verò ais, *Deum cuiuſq; ſphæræ motum, magnitudini feciſſe proportionalem: eſſeq; id ipſum euidens, à Lunâ ad Saturnum vſque, ſicuti inductione probari poteſt. Nam Luna ſuam circumuolutionem abſoluit diebus* 29. *Mercurius* 80. *Venus* 9.*menſibus*, &c. putaui te magis memorem. Oblitus enim te Copernicanum, Ptolemæi ſyſtema iam reſtituis. Simili enim argumento & gradatione ordinem Planetarum à Lunâ ad Saturnum conſtituit Ptolemæus. Si Copernicanus es, & ad Saturnum ſcandere vis, à Lunâ non ad Mercurium, ſed ad Martem proximè ſaltare debueras. Si verò ad Solem deſcendere volebas, Venus ante Mercurium poni debuit. Sed neque ſi à Sole (Copernicani mundi centro) ſcandas ſurſum, vllâ certâ parallaxi aut firmo argumento probare potes quod hîc gratis aſſumis, *Cuiuſque ſphæræ motum magnitudini factam proportionalem*; quod euincunt fluctuantes & latè euariantes circa Planetarum parallaxes, Principum Aſtronomorum ſententiæ. Hoc fundamento ſubruto, aut vacillante, cadunt plurimi parentis tui pſeudographi, iſto pede malè nixi. Qualis iſte quem olim cum riſu legebam. *Ex propriis Tychonis hypotheſibus*, inquiebat, *clariſſimè euincam*, longè maiorem eſſe fixarum à terrâ diſtantiam, quàm Tycho poſuerit. Et huic *certiſſimæ* probationi ſubiicit duo fulcra imaginaria & numquam ab ipſo probanda. Nempe, magnitudinem octauæ ſphæræ eſſe proportionalem motui eius ab Occaſu in Ortum. Deinde, ſphæram Saturni multò longiùs à terrâ diſſitam eſſe, quàm octauam ſphæram Tychonicam. Et tamen ibidem, ſi Deo placet, ait, *Nil in Aſtronomia recipiendum, niſi quod firmiſſimis demonſtrationibus munitum eſt*. Itaque etiamſi ſyſtema Lansbergianum (non tantùm à Ptolemæo & Tychone, ſed etiam à Copernico in tam multis abludens) cælo papyrio inſcribillatum, ſat elegans & concinnum oculis videatur, non ſtatim ideò veritati & prototypo eſt conſentaneum. Sed finis, ob quem creata cæleſtia, præcipuè inſpiciendus eſt; qui eſt influxus ſiderum, influxuumque per mundum elementarem diſpenſatio. Vnde proportio ad diſpenſandas ſiderum influentias aptiſſima, etiam concinniſſima eſt: veluti acies patente explicata campo, non ea plurimum artis & concinnitatis habet, quæ oculis è longinquo ſpectantium maximè blanditur, ſed

An magnitudo ſphæræ ad alterius magnitudinem habeat ſe vt motus ad motum, eſt incompertum.

Phil. Lanſberg. in Delineat. 2. cæli.

ſed quæ ad pugnam & victoriam eſt validiſſima. Nihil autem ad finem quo cæli cæleſteſque motus conditi ſunt, bellius & vtilius videtur fieri potuiſſe, quàm ſi ſtellæ fixæ, & inter Planetas duo luminaria ad terram proprios ſuos conuerterent motus; ceteri verò Planetæ, tamquam ſecundarij, Solem ceu regem & centrum ſui motûs circumluderent, vt ex variis aſpectibus nutum eius reſpectantes, & radios excipientes, ad agendum in mundum elementarem, ſecundùm arcanas & à nemine intelligendas diuini Conditoris leges, exſtimularentur. Quæ Tychonici & mihi probabiliſſimi ſyſtematis (etſi quibuſdam fortè hîc & ibi additamentis perficienda) eſt imago, quam hîc vides.



Vanæ igitur, & vt pappi volant tuæ iſtæ voces: *Terræ quies optimam proportionis normam violat & prorſus inuertit.*

Sed cælum primum mobile ſupra ſphæram fixarum, *eſt vanum*

commentum, & naturæ contrarium, ait Lansbergius pater. Et videte rationem dignam tantâ aſſeueratione. Quia *diligentiſsimi rerum naturæ interpretes*, inquit, *omnes vno ore affirmant, ſupra ſphæram fixarum, neque tempus eſſe, neque locum, aut vacuum, nedum nouam ſphæram, inferiores ſecum rapientem in Occaſum.* Certè enim Alphonſus & omnes Arabes poſt Ptolemæum, aliiq; ſine numero ſummi viri, naturæ diligentiſſimi, motum, & conſequenter tempus, in ſphærâ primâ mobili ſupra fixas poſuerunt, & compertæ vanitatis hanc Lansbergij tam impreſſam affirmationem oſtendunt. Addit deinde. *Vti extra ouum nihil præter teſtam reperitur, quæ totam oui ſubſtantiam includit, ita ſupra ſphæram fixarum non eſt noua quærenda, quia illa continet & complexu ſuo inuoluit totam ſubſtantiam mundi.* Bellè. Sed Ptolemæus tibi reponet, ſphæram fixarum non eſſe vltimam oui mundani teſtam, ſed aliam quamdam ſuperiorem ſphæram, inter omnes mobiles primam, quam ictu tam languido, & vnius oui iactu non valuiſti confringere.

Verumtamen in ANT-ARISTARCHO nuper, & apud diſcipulos in Philoſophiâ olim, hypotheſim Ariſtotelis Ptolemæo prætuli, & ſupra fixas, cum Phil. Lansbergio (ſed aliis argumentis) mobiles omnes ſphæras diffringere conatus fui. Igitur, palàm fateor, Firmamentum, ſeu octaua ſphæra, eſt mihi primum mobile. Ergo tardiùs moueri debuit motu proprio, quàm cæli Planetarum terris propinquiores, reclamabit ſtatim Lansbergius.

Attamen ſit ita ſanè. Nam motum octauæ ſphæræ proprium vocant Aſtronomi, illum tardiſſimum quo fixæ per Zodiacum, more Planetarum, verè vel apparenter, ab Occaſu in Ortum retrocedunt. Apparenter verò ſolùm retrocedere, proximo Cap. oſtendam. Præter hunc autem motum proprium (& apparentem forſitan etiam quamdam Trepidationem) eſt alius verus motus, qui nulli fortè cælo proprius eſt (etſi alij aliter) ſed omnibus communis: & octauæ ſphæræ impreſſus omnes inferiores, eodem ferè 24. horarum ſpatio, ab Oriente in Occidentem corripit, diemque ac noctem (abrepto ſecum corpore Solari) nobis alternat, & tamquam Princeps, ſubditas ſibi omnes vſque ad Lunam ſphæras in leges ſuas & obſequium rapit. Hæc tamen ex ſententiâ Ptolemæi & communi ferè Aſtronomorum, qui ſphæram à ſphærâ impelli exiſtimant: quid enim ego hîc autumem, in

Motus diurnus omnibus ſphæris communis, nulli proprius.

in Libris Cæli olim latè diſſerui,& alicubi leuiter indicauit noſter ANT-ARISTARCHVS. *Ant-ariſt. cap.16.*

Nempe, verius forſitan eſſe, omnes ſphæras Planetarum (aut potiùs Planetas in æthere liquido palantes) concomitante ſolùm, non rapiente ſphærâ fixarum primâ mobili, cottidie ab Ortu in Occaſum circumferri. Hoc enim fieri etiam poteſt concinniſſimè. Vt,inquam, omnes vniuerſim ſtellæ tam Planetæ quàm fixæ, ſingulis diebus,vno communi motu immediatè ſibi impreſſo circumgyrentur ab Ortu in Occaſum, vt eodem modo quo Sol terram circumluſtrent, ac influentias ſuas in orbem diſſeminent. Sed tamen ne per eoſdem perpetuò parallelos incederent, & eadem ſtella vnam eamdemque terræ partem perpendiculariter ſemper irradiaret,ſed aliis etiam Climatibus ſua beneficia aliquando impertiret, datus eſt omnibus receſſus obliquus in Zodiaco, verus vel apparens (nam apparens tantumdem poteſt ac verus,vt Cap.ſequēti patebit.) Planetæ verò prætereà, tamquam Solis pediſſequi, etiam iuſſi ſunt choreas ſus deque circa Solem ducere, quo motu nunc ad terram neceſſariò ſe ſubmittunt,nunc in altum reſcandunt. Plures autem iſti motus, ſi ad ſpatium mundi imaginarium immobile referantur, vnicus motus variè figuratus ſunt, ſiue, numquam mobile in diuerſis ſpatiis imaginariis ſimul replicant. Quod euidentius eſt,ſi omnes motus, præter vnum,tantùm apparentes ſint. Attamen hoc etiam verum eſt, licet ſint plures motus veri ſuper diuerſas magnitudines facti. Nam,exempli gratiâ,duplici vero motu mouetur ambulans hàc illàc in naui ventis aut remis impulsâ, & tamen duo iſti motus, ſi ad alueum fluminis immobilem, aut ad ſpatium imaginarium comparentur, vnicum quodammodò componunt,quo per varias ſpiras ambulans in ſpatio imaginario ſe diſtorquet. *Primum mobile fortaſſe non rapit ſecum cælos inferiores.*

Tertium argumentum, inquis, *licet veriſimilitudine non careat,tamen à Fromondo neglectum fuit.* Cur non negligerem,quod trium dierum Philoſophus potuit contemnere? *Inhærentia octauæ ſphæræ ſidera,* dixerat tertiò Lanſbergius pater, *numquam mutant ſitum, ſed eaſdem diſtantias inter ſe perpetuò retinent : vnde colligimus eam aut immobilem eſſe, aut tardiſſimè moueri.* Eodem argumento probabis Lansbergi, rotam Zelandici currûs, equis incitatiſſimis volantem, *aut immobilem eſſe, aut tardiſſimè moueri:* quia claui eius *eaſdem diſtantias inter ſe perpetuò retinent.* Subdis deinde *Tota ſphæra moueri poteſt, etſi ſtellæ ei infixæ non mutent inter ſe diſtantiam.*

deinde tamquam alteram probationem. *Vt enim ex tardo Saturni motu rectè concluditur, Sphæram eius lentè moueri; ſic bonâ conſequentiâ ſtatuitur, motum octauæ ſphæræ lentiſſimum eſſe aut nullum, quia fixæ aut tardè, aut nihil promouentur.* Sanè, ex motu aſtri colligitur motus ſphęræ, ſi aſtrum ſphæræ, ceu clauus rotæ, infigatur; & inde receſſus verus aut imaginarius octauæ ſphæræ per Zodiacum tardior, quàm Saturni demonſtratur: ſed quid hoc ad alterum motum, quo octaua & omnes vniuerſim ſubiectæ ſphæræ, ab Ortu in Occaſum ſpatio 24. horarum rapiuntur?

Adiicit etiam Lansbergius pater in ſupplementum. *Terræ, non quietem, ſed perpetuam agitationem propriè conuenire, euidens eſt: cùm ex quatuor elementis conſtet, quæ ex Dei inſtituto, aſſiduè in ſe mutuò operantur* (id eſt, elementa qualitatibus primis inter ſe contrariis,

Frigida compugnant calidis, humentia ſiccis;)

A motu alterationis ad motum localem malè argumentatur Lanſbergius.

ergo etiam agitantur motu Copernicano. Bella conſequentia, & planè gemella huius, quam Iac. Lansbergius Medicus optimè intelliget. Membra humani corporis inuicem ſe labefactant temperamentis contrariis; igitur perpetuâ vertigine in orbem agitantur circa hominis vmbilicum, tamquam centrum ſui motûs. Itaque inconſequens planè eſt, ſi elementa qualitatibus contrariis ſe alterent, vt etiam motu locali agantur circa terræ centrum, aut diſcurrant per Zodiacum. Cur verò motus localis diurnus & annuus, qui cęlum non corrumpit ſed perficit, Soli potiùs quàm terræ conueniat, ANT-ARISTARCHVS plurifariàm ſatis fuſè diſſerit.

Quartum Phil. Lansbergij argumentum fuit. *Sphæræ cæleſtes motu diurno non indigent, ſed ſola terra. Hæc enim omnium quæcumque ſinu geſtat, quaſi mater eſt. Itaque veluti pia mater, quoties liberis inuoluendis operam dat, ſeipſam priùs, mox etiam liberos, ordine & ſucceſſiuè igni obuertit; ita etiam terra, ſe primùm, mox quidquid in ſinu continet, Soli exponit fouendum & reficiendum.* Deinde, ait Iac. Lansbergius (nam Philippus pater ibi ne γρῦ quidem eâ de re mutit) *terra expeditiùs & maiori compendio moueri poteſt diurno motu, quàm Sol & vniuerſum cælum.* Et addit. *Has rationes Fromondus diſſimulans, ne attigit quidem: & tamen ſibi perſuadet Copernicanos ſe egregiè debellaſſe.*

Res ridicula! Toto ANT-ARISTARCHO exagito & exſufflo

ſlo compendioſum illum terræ motum,& tamen, *Ne attigi quidem.* Vide ſaltem Cap.x. & vbique incommoda ac abſurda quæ confertim naſcuntur (quidquid retinere conamini) contra ſenſum & rationem, ex duplici illo terræ motu.

Ant-ariſt. c. 10.

De matre, partem anticam & poſticam filioli ſui, igni obuertente ad calefactandum, nugas agitis tuque paterque tuus: quas ſatis, opinor, Cap. XIII. ANT-ARISTARCHI difflaui, cum veru & aſſato Kepleri. Hic enim, imagine concinniori quàm illâ tui parentis, dixerat, coquis in more & arte eſſe, aſſatum veru transfixum vertere ante ignem, non verò ignem circa aſſatum gyrare; igitur & terra, inſtar decumani & grandis aſſati, conuertere ſe debet ad Solem, non Sol ei circumferri. Riſi eum (quid enim in iſtis aliud facerem?) & in exemplo pari putaui parentem tuum ſatis etiam deridiculum fuiſſe. Parce, Iac. Lansbergi, indignor in Copernicanis iſtis næniis horas ad res vtiles à Deo hominibus datas, tam infeliciter inſumi. Itaque dixi, & repeto. *Deus cælum, Solem, Lunam, & omnia aſtra cæli creauit in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt*, ideoque hominibus famulari debent, & terram in qua homines degunt, inſtar famulorum circumcurrere, & lucem ceteraque cæli beneficia iis diſpenſare. Id autem miniſterium per terræ motum præberi non poteſt, quia diſſiliret tam rapidâ vertigine, & alia incommoda ſunt, quæ toto ANT-ARISTARCHO ſparſimus, & importunitas tua fortaſſe coget nos hîc repetere. Commodiùs verò & minori periculo mater filiolum, coquus aſſatum, ante ignem ſolent conuertere. Nil ergo refert quòd terra & homines indigeant Sole: nam dominus etiam operâ famulorum eget, & tamen ſinit eos in officiis ſuis, ipſe immotus, circumcurrere. Deinde, vt egregiè Cleomedes, Ἥλιος ὑπὸ πολλῆς δυνάμεως ἔμπνουν παρέχεται τὴν γῆν, ὡς καὶ καρποφορεῖν αὐτὴν καὶ ζωογονεῖν. *Sol multa virtute ſufflat & impregnat terram, vt fructus & animalia generet.* Sol igitur vir eſt, terra mulier. Quid autem in Zelandiâ ſolet? vírne mulierem, an mulier ambit virum? Certè in Brabantiâ feminæ non ſolent ire procatum. Ridicula hæc ſunt: ſed dignum patellâ operculum, & pleraque veſtra talia ſunt apud eos qui melancholiam pauliſper expuerunt.

Quia coquus aſſatum, & mater infantem ante ignem conuertit, terram ſic verti ad Solem riculè colligunt Keplerus & Lansbergius.

Deut. 4.

Sidera famulari terræ debent, & eam circumcurrere.

Cleom. lib. 2.

De Io. Bapt. Morino quod addis, viderit ipſe, ego enim eum numquam vidi. Secundum tamen & tertium argumentum eius, quòd naui, neſcio quâ, expugnaturum te *in ſequentibus* iactas,

 cum

cum M. Varrone dicam, *cras fortè credo, hodie nihil.* Denique ſolemne illud tuum, & tamquam verſum vbique intercalarem coccyx occinis: *Manet ergo inconcuſſum quartum D. Lansbergij argumentum: neque id Fromondus, neque Morinus ſuis cauillis potuerunt eludere.* Et iterùm in proximi Cap. lemmate: *Quintum argumentum à Fromondi cauillis vindicatur.* Idem recinit Cap. IV. & ſine fine.

Solemnis vbique cantilena & battologia Lanſbergij.

Scin' autem quid ſit cauillari? Si ſumis (quod quandoque ſolet) pro, iocosè irridere & ſale aliquo defricare, non inficeor me aliquando id facere: quis enim inter tot nugas, *tam ferreus vt teneat ſe?* Si pro, *ſcienter falſum dicere*, vt apud I.C. & Ciceronem eſt ſolemne, nego vmquam à me factum: & niſi tu ſæpiſſimè, in gratiam defenſitandi patris, toto hoc Libello cauilleris, malè apud omnes verè eruditos mereberis de ingenij tui commendatione.

CAPVT II.

In Firmamento plures motus apparere poſſunt, etiamſi ipſum ſit primum mobile.

Dixerat Lansbergius pater, octauam ſphæram duobus ſimul contrariis motibus, manifeſtâ abſurditate, à noſtris agitari. Negaui id eſſe abſurdius, quàm Zelandum nautam à prorâ verſus puppim contra nauis ſuæ motum inambulare. Is enim etiam gemino ſimul motu, vno nauis, altero ſuo in contrarias partes colluctatur. Sic Ptolemæum & omnes qui cælum ἄναστρον primum mobile octauæ ſphæræ ſuperſtruunt, facilè liberabam omni abſurditate. Octaua enim ſphæra ab Occaſu in Ortum, ſub primo illo mobili retrocedere tam poteſt, quàm nauta in ſuâ naui. Sed Iac. Lansbergius ait à patre ſupponi, ſupra octauam, nullam ſphæram mobilem eſſe, à quâ ab Ortu in Occaſum octaua corripiatur, & ſub quâ intereà motu proprio recedat ab Occaſu in Ortum. Et ſic coronam ciuicam promeritum ſe putat, ac patrem egregiè defenſaſſe. Sed mox, opinor, faxo,

Vt turbata volet rapidis ludibria ventis.

Alia quæ in me balbutit, nil attinet memorare, & quàm omnia in ipſum patremque redeant, quiſque breuî, ſpero, intelliget, qui pluſculum ingenij habet & bonæ mentis. Reditum ergo nautæ à prorâ verſus puppim, contra motum ſuæ nauis, mihi

concedis, ſi Deo placet, & etiam Firmamentum (eadem enim eſt ratio) poſſe retrocedere contra raptum primi mobilis Ptolemaici, ſi tale aliquod in rerum naturâ ſit. Quæro iam ex te, quid operetur motus ille nautæ, quo tardiùs ambulat contra motum celeriorem ſuæ nauis? An diſtrahit nautam & ita replicat (ſic Philoſophi hodie loquuntur) vt inſtar Soſiæ illius Plautini, in duobus ſimul ſit locis? Non exiſtimo te ſic deſipere, vt hoc, contra proprium ſenſum, ſapias. Quid igitur illo ſuo receſſu nauta proficit? Meditare quantum voles, hoc ſolùm reperies. Facit, vt motus alter quem nauis imprimebat nautæ, tardior ſit quàm erat futurus, ſi quietus in naui nauta permanſiſſet: vnde etiam ipſe citiùs perueniſſet ad littus. Si enim nauta in prorâ manſiſſet, ſimul cum prorâ etiam attigiſſet littus, cùm tamen iam à puppi (quouſque ſe promouit ambulando contra motum nauis) debeat per totam longitudinem nauis redire ad proram, vt exiliat & littus contingat. Eodem prorſus vndiq; modo, ſi Firmamentum contra motum rapidiorem alicuius ſphæræ ſuperioris, verſus Ortum recederet, hoc tantùm proficeret, vt paullò tardiùs raperetur ab Ortu in Occaſum motu altero ſibi impreſſo à ſphærâ ſuperiore. Imaginare igitur ſtellam aliquam Firmamenti (puta, ſuperiorem in Cingulo Orionis, quæ Æquinoctialem ferè contingit) ſurgere cum puncto aliquo ſphæræ ſuperioris. Ecce iam, punctum iſtud ſphæræ ſuperioris, ſiue cæli primi mobilis, ſpatio 24. horarum præcisè circulum ſuum abſoluet & ad horizontem redibit: ſed ſtella Orionis non ſequetur pari paſſu, quia à puncto illo primi mobilis intereà temporis verſus Orientem receſſit. vnde aliquantulo tardiùs quàm 24. horarum ſpatio, ad horizontem redire eam oportet: nempe cum puncto alio Orientaliori, quàm ſit illud cum quo die præcedenti ſurrexerat.

Nautæ in naui ambulantis duplex motus inſtar vnius eſt, ſi ad ſpatium immobile imaginarium comparetur.

Deſtrue iam imaginatione tuâ primum mobile Ptolemaicum (quod ego & pater tuus facimus) & fac eodem illo motu quo antè (id eſt, paullò tardiori, quàm vt 24. horis quibus iam vtimur, circulum abſoluat) ſtellam Orionis, & totum Firmamentum ab Ortu in Occaſum moueri, habebis in Firmamento (quod iam ſupremum cælorum mobilium erit) imaginem duplicis motûs, non minùs atque ſi à ſphærâ mobili ſuperiore raperetur in Occaſum, & proprio altero motu in Ortum retrocederet. Hoc olim in Philoſophiâ diſcipulos docui, Ariſtotelemque (qui cælos omnes

ab Ortu in Occaſum mobiles eſſe, & tamen ſupra Firmamentum, nullum aliud primum mobile agnouit) aduerſus Ptolemæum & Copernicum defenſabam, nequedum facti pœnitet. Breuiter ergo. Firmamentum, etſi ſupremum mobile ſit, vnico quidem vero motu diurno ab Ortu in Occaſum rapitur, ſed præterea habet imaginem alterius, quo apparet in Ortum reciprocare; quia paullò tardiùs diurnum parallelum circumcurrit, quàm 24. ordinariis noſtris horis. Si hæc non capis, roga Deum, vt tibi mentem dilatet: & diſce, parentem tuum teque, ſi ſatis perſpicaces eſſetis, potuiſſe ex motu Zelandi nautæ intelligere, quomodo in Firmamento appareat duplex motus (imò etiam plures: quod oſtendere eſt in promptu) ſiue mobilem ei aliam ſphæram ſuperponitis, ſiue nullam. Poteram hæc etiam in ANT-ARISTARCHO tam explicatè diffundere, ſed vt fatear verum (vtinam tu tam candidus eſſes) non veniebat tunc in mentem, à Phil. Lanſbergio nullam Firmamento ſphæram mobilem ſuperſtrui. Imaginem verò illam obliquæ reciprocationis fixarum per Zodiacum, ſapientiſſimus Opifex inuenit, ne eædem fixæ, vt antè adhuc monui, per eoſdem terræ parallelos perpetuò circumagerentur, ſed hàc illàc ab Æquatore verſus polos, Planetarum ritu, paullatim diſceſſiſſe viderentur, ad diſſeminandas, ſecundùm ineffabiles ſuas leges, mundo elementari ſiderum iſtorum influentias. Apparet autem receſſus ille obliquus, quia parallelus, quem motu diurno vnaquæque fixa centro ſuo deſcribit, perfectus circulus non eſt, nec in ſe recurrit, ſed inſtar ſpiræ, molliter detorquetur in latus.

Fixa videntur tantùm retrocedere, non verè retrocedunt ab Occaſu in Ortum.

CAPVT III.

Motum terræ Copernicanum non eſſe velociorem motu pilæ æneo tormento exploſæ, ad cauſſam nihil referre. Quæ ad ſiſtendam primi mobilis rapiditatem afferuntur, futilia eſſe.

LAnsbergius pater, *Concludimus itaque*, inquit, *motum diurnum non in ſphæram Saturni, aut fixarum, ſed in ſolam terram cadere: quæ decimam ſextam tantùm milliaris partem, vnico momento percurrendam habet; quantam etiam pila è tormento æneo exploſa, eodem temporis ſpatio conficit.*

Vt hîc oſtendam, quàm mihi meus honor ſit vilis, modò vincat

cat & triumphet veritas, cui vni ſtuduit noſter ANT-ARISTARCHVS, dicam ſinceriſſimè quid acciderit. Numquam apud Copernicum, Tychonem, Maginum, Clauium, aut Latinum alium Aſtronomum legeram (niſi omnis memoria me fugit) *momentum* vſurpatum pro ſcrupulo ſecundo (quomodo tamen paullò adhuc antè idem Phil. Lansbergij verſor, vt poſteà, ſed ſerò, aduerti, vſurpauerat.) Clar. etiam D. VVendelinum noſtrum, quo in Aſtronomicis & totâ re Matheſeos neminem in Belgio ſuperiorem ſcio, nuper interrogaui, num vmquam meminiſſet, ſcrupulum ſecundum ab aliquo Aſtronomo *momentum* appellatum fuiſſe. Negauit, & addidit, vocem iſtam in eo ſignificatu planè inſolentem eſſe. Philoſophi verò *momentum* appellant, non particulam aliquam temporis diuiduam, ſed punctum indiuiſibile. Ego igitur inſolentiâ vocis offenſus, & quia Libri Lansbergiani alienum exemplar, paucis horis percurrere volebam, illicò putaui, *minutum*, voluiſſe dicere. Et inde admiratio mea: quòd motum quem pila è tormento æneo exploſa vno minuto temporis conficit, motui diurno æquinoctialis terreſtris Lansbergius æquaret; cùm hic, ſine dubio, longè rapidior ſit. Mirabar etiam inconſiderantiam, quòd terram motu illo diurno decimam ſextam tantùm milliaris partem vno minuto percurrere diceret. Itaque, non diſſimulo, ſi momentum pro ſcrupulo ſecundo acceperit, nec reprehenſionem nec riſum commeritus hîc fuit. Si enim terræ æquinoctialis vno horæ minuto, 4. milliaria Germ. motu diurno decurrit, vt placet Copernicanis, vno ſcrupulo ſecundo decimam quintam milliaris partem tranſuolabit, quod in Lansbergij calculum proximè incidit. Si etiam æneum tormentum pilam vno horæ minuto ad longitudinem dimidiati milliaris Ger. expuit, & in diſtantiâ decimæ ſextæ partis milliaris, ſiue octauæ dimidiati, octies aut circiter (de quo diſceptant Bombardarij & experientes) vehementiori impetu murum quatit, quàm in diſtantiâ dimidiati milliaris (vbi iam cylindrus aëreus quem pila ante ſe agebat, & circumuoluti ſpiritus puluerei pilam vehentes, diſſipati ſunt, vt philoſophantur Nicol. Tartalea & Alex. Capobiancus) confiteor etiam tecum, pilam in primâ octauâ parte dimidij, ſiue in decimâ ſextâ totius milliaris, octies rapidiùs tranſuolaſſe; ac proinde velocitatem illam motum diurnum terræ Copernicanum circiter adæquare. Non enim fortaſſe tam puer

Scrupulum ſecundum Lansbergius inſolenter momentum vocat.

ſum in iſtis, quàm videri vis: & condona, ſi quid duriuſculum inſolenti ſignificatu *momenti* illius deceptus, in parentem dixi. Tibi etiam multa toto hoc Libello condonabo, & omnibus iſtis furiis ac intemperiis quibus me laceras, monitionem ſubinde Chriſtianam, aut riſum tantùm reponam. Nam tibi non magis iraſci, quàm Medicus atrabiliario, poſſum. Ne tamen etiam nimis altè efferaris, & debellatum iam pro Copernicanis exiſtimes, ſcito celeritatem illam pilæ ænei tormenti, ne Plauti quidem ciccum ad cauſſam noſtram principalem referre; quod neque tacitum fuit ab ANT-ARISTARCHO. Ad reſpuendum enim motum terræ diurnum ſufficit nobis, primo illi & rapidiſſimo æneæ pilæ volatui, celeritate parem eſſe.

Igitur, *à diuerticulo repetatur fabula*. Cùm Gilberto, vociferanti raptum diurnum cæli ab Ortu in Occaſum, eſſe velocitate

Ant-ar. cap. 13. Iob 9.

incomprehenſibilem ac fabuloſum, reſpondiſſem *Opera Dei magna & incomprehenſibilia eſſe*, & D. Nazianzenum (& quis SS. Patrum ſæpiſſimè non dicit?) imò Tychonem idem in hac eadem re inculcantem laudauiſſem, ac pauciſſima in rerum naturâ eſſe quæ magnoperè comprehendamus; ecce Iac. Lansbergius, *Vt Lectori perſuadeas*, inquit, *tam rapidum octaui cæli motum, neque improbabilem, neque à naturâ cæli alienum videri debere, ſepoſito paulliſper Ariſtotelis pileo, Ciceronis togam callidè induis, & Oratorio potiùs ſtilo, quàm rationibus Philoſopho dignis, magna, incomprehenſibilia, & mirabilia Dei opera ex Iobi 9. prædicas.* Quidni prædicem, quod omnes debent, & ſentiunt qui Dei ſenſum habent? Dic, quid in naturâ rerum pro comprehenſo habeas? Si corporis

Vnius muſcæ volatũ comprehendere non poteſt Lansbergius.

humani & tui, ſi muſcæ vnius conformationem & fabricam, modúmque quo pedes numeroſè mouet aut alas ingenioſè quatit, introſpexiſti; dic nobis, & ſupra Hippocratem Galenumq; tuum altiſſimè te efferimus, qui in talibus admirari, aut leuiter ſuſpicari ſe poſſe dixerunt, nihil ſcire. Verè enim Xenophanes olim: *Hominis eſt opinari, Dei ſcire*. Et hanc diuinorum operum incomprehenſibilitatem prædicare, negas Philoſopho dignum? Si nudam & nullâ argumentorum probabilitate protectam ſententiam afferremus, ferendum forſitan eſſet; ſed quid iam, vbi tot eruditis rationibus doctiſſimi ex Græciâ, Arabiâ, Latio, homines eam cumulauerunt, vt præ eâ Copernicus inueſtis, aut nebulâ tenuiſſimè veſtitus videri poſſit? Sed pergis deinde. *Quaſi verò*, inquis,

quis, *vanorum hominum abſurdiſsima commenta & erronea in naturalibus dogmata, imperſcrutabilia ſint Dei opera*. Itáne raptus cæli, & quies terræ, quam Scriptura ſacra tantumnon diſertè, SS. Patres omnes, & maxima quæque humani generis tot ſæculis ingenia diſertiſſimè affirmant, *vanorum hominum abſurdiſsima ſunt commenta?* Et melancholicorum aliquot Pythagoricorum inuenta, qui nouum mundi ſyſtema ex atrâ bile ſibi concinnauerunt, inter Democriti & Epicuri quiſquilias & veterum ægrotorum ſomnia multis ſæculis abiecta, quæ à centum iam ſolùm annis ſuſtulit Copernicus, abſurditatis ſuſpecta non erunt? Non exiſtimaui Æſculapij filium eſſe tam vacui capitis.

Quantò te ſapientior, & diuinior, Princeps Aſtronomorum ſæculi nuper elapſi, de ipsâ iſtâ ſiderum pernicitate aduerſus Rothmannum, Tycho. *Hîc elucet*, inquit, *incomprehenſibilis Dei Opificis imperſcrutabilis Sapientia & poteſtas, qui cæli corporibus tam vaſtis, omni cogitatione celeriorem motum, eumdemq́; ſimul & vniformem, & diuiſum duplicemq́; attribuere & voluit & potuit*. Ac poſteà: *Conueniens erat, motum cæli infinitatem quamdam præ ſe ferre, ideoq́; tantâ rapiditate naturaliter cieri, vt cogitatio noſtra eam vix aſſequi poſsit, ipſis ſenſibus hîc omnino obſtupeſcentibus, & motum celerrimum à quiete, niſi poſt aliquod temporis interuallum, non diſcernentibus. Tantâ nimirum diuini Numinis Sapientiâ, vt intellectus humanus hîc obmuteat.* Obmuteſce etiam tu, ad tam erudita & diuina, Lansbergi. Pergis tamen balbutire. *Apage iſtas nænias Fromonde: nam ſi ille diſputandi modus ſemel in Philoſophorum Scholis obtinuerit, quiduis, Poëtarum more, in Philoſophiâ fingere licebit, & tandem, vt inquit ille, Paſcentur in æthere cerui.* Acutè. Cameli etiam ſaltabunt ad lyram, addere poteras. Nempe, quia Philoſophia adſpicere opera Dei, non perſcrutari & introſpicere poteſt, ideò nulla, aut inter Poëtarum nugas releganda erit. Scilicet tu in Philoſophiâ Copernicanâ *tam cernis acutum Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius*, qui biennium iam totum, adſcitis etiam in auxilium alienis oculis, laboras rimando, quid pro ratiunculis aliquot parentis tui, quas per ANT-ARISTARCHVM diſſeminaueram, in me regeri poſſet, & paucas iſtas nec valdè locupletes ſchedas concinnares.

Sed Achillem tuum inſpiciamus, quo octauæ ſphæræ motum diurnum expugnas. *Deus*, inquis, *incorporeis Angelis motum celeritate*

ritate

ritate incomprehenſibilem conceſſit, corporeis verò motum dedit comprehenſibilem; aut ſaltem iis motibus ſimilem, qui à validiſſimis cauſis apud nos perficiuntur. Licet enim nullus corporum motus pernicior ſit motu cæleſtium; eum tamen in omnibus & ſingulis Planetis, aut celeritate parem, aut ſupparem, aut ſaltem analogum deprehendimus motui globi è tormento exploſi. Hóccine eſt illud tam pugnax argumentum, quod motum cæli euincit, & in terram deiicit? Vis ergo omnem cæli motum metiri celeritate motuum qui hîc à flammâ nitrij pulueris, & id genus validiſſimus cauſſis efficiuntur? Quâ ergo, quæſo te, menſurâ iam à tribus ſæculis vtebantur, quando nondum repertus tormentorum fulminalium vſus? An, ſi iam (quod ingenium humanum poteſt, & in dies proficere videmus) alius pulueris aut tormenti modus incitatior inuentus fuerit, quo pilæ maiori impetu excutiantur, Planetæ etiam incitabunt ſuos motus, ne nimiùm diſſimiles ſint motibus, qui hîc perficiuntur à validiſſimis cauſſis? Et nónne, quæſo te, motus terræ annuus Copernicanorum, bombardariæ pilæ volatum longiſſimè præuertit? Cur deinde eodem etiam argumento non colligis, maximas ſiderum moles nullo modo, aut vix, excedere vaſtiſſimum hoc terræ elementum quod calcamus? Si enim in celeritate motuum valet argumentum, cur non in magnitudinibus?

Stultum eſt arbitrari, nullum motũ ab agente naturali perfici poſſe, qui bombardariæ pilæ volatum longiſsimè antecurrat.

Itaque, mi homo, veluti cæleſtia corpora in immenſum ferè magnitudine ſuperant ea quæ hîc circà videmus; ita velocitas motuum illorum celeritatem corporum elementarium, à puluere nitrio & ſimilibus cauſſis validiſſimis, longiſſimè præuertit. Quod vt percipias, fac per imaginationem, totam vniuerſi compagem à terræ, ſiue vniuerſi centro vſque ad vltimam cælorum ſphæram, eſſe corpus vnum continuum & rigidum inſtar adamantis: poterit, ſine dubio, integer iſte vniuerſi globus (aut nimis parùm Mathematicus & Philoſophus es, ſi negas) ſpatio 24. horarum circumagi. Si enim terra Copernicana (quæ tunc erit pars illius globi centralis) valeat 24. horis circumagi, poterit etiam vnà & totus ille globus. Et tamen tantò rapidior erit circumferentiæ motus, quantò hæc vltima mundi circumferentia ambitum terræ excedit. Quo exemplo difflantur telæ illæ aranearum, quibus Io. Bapt. Morinum captas.

Sed à quâ cauſsâ, inquies, vltima cælorum mobilium circumferentia,

ferentia, 24.horis circumagitur? An à Deo miraculosè & ſupra naturam? Minimè verò: ſed vel ab intelligentia (vt Ariſtoteli, D. Auguſtino, & viris eruditiſſimis hodie ac olim placet) vel à naturâ ipſius mobilis, cuius potentia loco motiua vehementiſſima & maximi impetûs eſt, quia per vaſtiſſimum corpus extenſa; quemadmodum grauitas lapidis, aut terræ, tantò maiori impetu deorſum mouet, quantò lapis, aut terræ pars grandior ac denſior fuerit. Hinc ſe publicat ſtatim vanitas tui clamoris, quo exultans vociferaris, *Fromondum manifeſtum documentum dediſſe, ſententiam, quam defendit, abſurdam & improbabilem eſſe:* quia ſcripſeram, *Deum ſphæram primo mobili centuplo maiorem intra 24. horarum, imò vnius horæ, ſpatium, poſſe reuoluere.* Non enim in cottidiano cæli motu confugio ad abſolutam Dei potentiam, vt tu dicis (*vt tu calumniaris*, dicere oporteret, ſi Lansbergiano ſtilo vellem loqui; ſed non aſſueui talibus Latini ſermonis deliciis) at in motu ſphęræ quam primo mobili centuplo maiorem Deus crearet, quam aio 24. horis, imò vnâ horâ, ab ipſo poſſe reuolui. Imò (vt ex ſuperuacuo hoc tibi donem) non dubito quin intelligentiâ ex Ordine aliquo ſuperiori, tantam ſphæram intra 24. horas, aut breuiùs, naturalibus ſuis viribus circumagere valeat. Quod minùs impensè admirareris, ſi veteres quoſdam Peripateticos legiſſes, qui cùm grauitatem & leuitatem cælo detrahant, aiunt, *integram cæleſtem ſphæram, vnius muſcæ impulſu, loco poſſe dimoueri.*

Ant-ariſt. cap. 13.

Sphæra longè amplior quàm prima mobilis, poſſet 24. horarũ ſpatio circumagi.

Sed imaginatione conſequi non poteſtis, vt conquerimini, tantam rapiditatem primi mobilis. Verumtamen Philoſophum multa intellectu debet, quæ imaginatione penetrare nequit. Longiùs quippe intellectus, quàm bruta & obtuſa noſtra imaginatio, in rerum eſſentias & difficultates intrat. Neſcio etiam, cur hîc tantoperè difficultatem imaginationis accuſetis: nam circa Planetarum magneticos illos motus, magis difficilia & perplexa Keplerus & alij imaginari non abnuitis. Deinde, dixiſti paullò antè, motum cæli debere *ſaltem analogum eſſe motui globi è tormento exploſi.* Motus autem primi mobilis analogiam & proportionem cum volatu talis globi habet, cùm vterque ſit finitæ celeritatis, & minor maiorem metiri poſſit; etiamſi proportionem illam ignoremus, quia diſtantia præciſa primi mobilis à terrâ hactenus eſt incomperta Mathematicis. Cogita etiam pauliſper, an momento, aut in ictu oculi & tempore breuiſſimo, imaginationem ab Ortu

ad Occaſum tranſmittere non poſſis: forſitan non es tam debilis cerebri quàm putas,& celeritatem cæleſtis motus intra 24. horas aſſequi poteris.

Sed ecce, dum poſteriora tua etiam video, vbi incredibilis illa fixarum amplitudo, & immenſitas quam octauæ ſphæræ tribuitis, ab ANT-ARISTARCHO oppugnatur, in aſylum fugis quod tibi iam oſtendi, & hîc contemnis. *Fecit Deus*, inquis, *magna corpora, deinde his maiora, tunc maxima, atq; tandem tam vaſtæ & immenſæ magnitudinis, vt captum noſtrum ſuâ immenſitate excedant. Id autem fecit ſapiens mundi Architectus ſingulari conſilio, vt non ſolùm in minimis, ſed etiam in maximis admirabilis fieret.* En, opera Dei magna & incomprehenſibilia iam ipſus fateris, & qui velocitatem octauæ ſphæræ à te non capi inuidioſiſſimè conquerebaris, octauam nunc ſphæram fabricas, quæ *immenſitate ſuâ captum tuum excedit.* O quàm olim & hodie iſtud verum! *Mendacem memorem eſſe oportet.*

Tractat. 5. cap. 2.

CAPVT IV.

Facillimè intelligi poteſt, quomodo cælo moto, neceſſe non ſit totum fluidi & lubrici aëris elementum, ac terram ipſam vnà moueri ab Ortu in Occaſum.

SEptimum Lansbergij patris argumentum erat, Totum non poſſe moueri quieſcente parte; igitur, ſi cæleſtes ſphæræ in ſyſtemate Ptolemaico, ab Ortu in Occaſum moueantur, neceſſe eſt terram vnà moueri. Negauit ANT-ARISTARCHVS terram eſſe ſphærarum cæleſtium partem, ſed in iis contineri, vt pedem in calceo: poſſe autem infinitis exemplis continens moueri immoto contento. Reponit Iac. Lansbergius, me *vim argumenti eius & ſolidam conſequentiam non percepiſſe*. Debet enim *abſurdum & impoſſibile*, inquit, *meritò videri, totum elementaris ſphæræ ambiens ab octauâ ſphærâ abripi, & elementarem ſphæram, iſtius ambientis partem contentam, quietam permanere.* Quid tricaris & implicas Lansbergi? loquere diſertè. Eſtne terra pars ſphærarum cæleſtium, aut etiam ſphæræ elementaris quæ terram ambit? Dicis, eſt *pars contenta:* eodem modo, vt mox ſignificas, quo *fætus vtero contentus* eſt pars vteri, & *naui contenta* ſunt pars nauis. Igitur etiam verè dixit ANT-ARISTARCHVS, terram eſ-

Ant-ar. c. 16.

ſe

ſe partem ſphæræ cæleſtis, vt pedem calcei. Vocemus ergo contentum partem ſui continentis,& voce abutamur, potiùs quàm tecum de Grammaticâ litigemus, & ad *ſolidã conſequentiã* oculum propiùs admoueamus, quam ANT-ARISTARCHVS percipere non potuit.

Matre grauidâ motâ, inquis, *fœtus vtero contentus, eodem modo mouetur. Et naui motâ, omnia nauis contenta ſimiliter mouentur. Quî igitur fieri poteſt, vt telluris globus ſui continentis raptum non vnà ſequatur?* Quàm blitea & languida interrogatio! Et hæccine eſt illa *ſolida conſequentia*, quam in anteceſſum prædicaſti *tanto promiſſor hiatu?* Mi Lansbergi, vbi mens tua, vbi cerebrum eſt? Medicus es, nec ignoras fœtum per vmbilicum vtero alligari,& pondere etiam ſuo vterum premere eique affigi; vti etiam homines & onera nauium grauitate ſuâ defiguntur, & incubant ſuo continenti, vt proinde neceſſe ſit, vtero, aut naui motâ, fœtum, & onera nauem prementia, motum eumdem ſequi. Terra verò incubátne cæleſtibus ſphæris, obſecro,& ab iis geſtatur, ſicuti homines & cetera onerum geſtat nauis? *Terra non alligatur ambienti cælo, vt fœtus vtero.*

Itaque dixi, nec dixiſſe piget, ſphæras cæleſtes nimis longo interuallo ambire terrã, quàm vt eam ſecum corripiant in orbem, præſertim in ſententiâ, quam vbique & diſertiſſimè in hoc ipſo ANT-ARISTARCHI Cap. fateor mihi magis allubeſcere: nullas Planetarum ſolidas ſphæras eſſe, ſed vniuerſum à terrâ ad ſtellas fixas interuallum corpore aëreo, aut alio liquente plenum eſſe. Et quâ igitur fide dicis, à me *defendi, octauo cælo circumducto omnes contentos orbes, ad elementarem ſphæram vſque abripi?* Etiamſi deinde eccentricos & epicyclos Ptolemæi non reſpuerem, olim ſemper fluctuaui, an ſphæra ſuperior inferiorem ſollicitaret ad motum, quia ſuperficies duræ & glaberrimæ ſunt, nec altera alteram premit, aut contendit intrare in eius ſpatium. Pernegaui igitur octaui cæli raptum vſque ad terram deſcendere, qui meâ mente, nec deſcendit ad Lunæ ſemitam. vnde cauſſam aliam motûs liquidi ętheris per quem Planetæ volant, aſſignat Cap. ipſo iſto ANT-ARISTARCHVS, quod diſſimulas, & tamen vidiſti.

Addidi quoque, etiamſi cum Ptolemæo arbitremur Lunam ſolido orbe elementum aëris aut ignis ambiente vehi, raptum tamen eius diurnum non poſſe ad terram peruenire: idq; Galilæi & Sarſij experimentis probaui, quæ ſilentio preſſiſti. Totum ve-

rò vnius interrogatiunculæ ſpiritu putaſti egregiè te difflauiſſe.

Verùm, ais, *hæc nihil quàm effugia eſſe, quis non videt? Nam cùm raptus octaui cæli ad ſphæram Lunæ vſque deſcendere poßit, quis mente aut animo concipiet, cur ſimiliter ad elementarem ſphæram non deſcendat?* Anguſtiſſimâ profectò mente eum eſſe oportet, qui non poſſit concipere, quomodo ad terram vſque (quod affirmaui) non deſcendat. Nam licet in ſolidâ & rigente, vt v. g. æneâ ſphærâ, ſi circumferentia moueatur circa centrum, omnes partes vſque ad centrum debeant vnà circumagi; non tamen vbi partes ſphæræ interiores fluxæ & malè cohærentes ſunt, quia tunc inferiores à ſuperioribus firmiter apprehendi nequeunt, & circa centrum pari paſſu in orbem rapi. Vnde licet ſolidus orbis Lunæ (ſi talis fortè aliquis ſit) ſubiecti ætheris dorſum diſtringendo ad aliquantam altitudinem fortaſſe ſecum abducat, tractus tamen iſte paullatim, deorſum verſus, elangueſcit, conquieſcitq́; tandem, vt Galilæi & Sarſij experimenta oſtendunt, de pelui concauâ & glabrâ, quæ in orbem rapta, vniuerſum quem continet aërem non vnà circumducit.

Vt peluis eodem veſtigio in orbem circumacta, non totum aërem incluſum circumducit, ita nec primum mobile aërem terræ contiguum.

Nec ampliùs (niſi valdè fallor) voluit Io. Bapt. Morinus, cùm dixit, *elementarem globum in illâ mundi parte collocatum fuiſſe, vbi motus mundanæ machinæ ex ſuâ naturâ non elangueſcit tantùm, ſed omnino deſinit.* Quem præclarâ hac ratione refellis, quòd *in omnibus ſphæricorum corporum motibus partes omnes à ſummo ad imum vſque mouentur, ſolo Mathematico centro excepto.* Quaſi tam blennus ſit, vt id ignoret Morinus, ſi ſphæricum corpus materiæ ſolidæ, rigentis, & continuæ ſit, quale æs aut lignum. Sed mundana machina non eſt talis, cùm eius partes diſcontinuæ ſint; nam ſphæræ cæleſtes rigidæ, elementa verò à cælo vſque ad terram liquida & fluxa ſunt.

Figuram ergo illam Mathematicam quâ Morinum doces, *motum mundanæ machinæ verſus centrum non elangueſcere ſecundùm partes proportionales*, compendi facere poteras, niſi ad ſupplendas vacuas tuas & vbiq; interhiantes paginas neceſſaria fuit. De mundi enim machinâ, tamquam de ſphærâ continuâ & rigidâ, ſolemni tuâ μετεωρίᾳ loqueris.

Sed lepidum etiam eſt, quod in Archimedeâ illâ demonſtratione Morino inculcas, *partes proportionales paruorum & magnorum circulorum in vnicâ ſphærâ æquè velociter moueri.* Si diceres,

eodem

eodem tempore ambitus ſuos abſoluere, aut pari paſſu circumambulare, ferri poterat; iam verò nemo auriga eſt, qui neſciat, circumferentiam rotæ velociùs, quàm modiolum cui inſeritur axis, circumagi. Licet enim vno tempore axem circumeant, ſpatium tamen quod modiolus ambit, eſt breuius quàm circumferentiæ. æquè velociter autem mouentur, quæ æquali tempore decurrunt ſpatium æquale. Et tamen poſt rem tam præclarè geſtam, triumphum & ſolemne tuum epiphonema recinis: *Stat ergo D. Lanſbergij argumentum immotum, quo contendebat abſurdum & ἀδύνατον eſſe, totum moueri & partem quieſcere. neque id argumentum Fromondus, nec Morinus ſuis cauillis potuerunt eludere.* Miſer es, & miſericordiam mihi mouiſti (ex intimo animi mei ſenſu loquor) mi Lansbergi, qui non tantùm Fidei orthodoxæ lumen (quo ad beatam & æternam vitam duci poteras) ſed rationis tantumnon videris amiſiſſe. Iraſcere, aut ride, quantum voles, ego te defleo. *Minores circuli in eadẽ ſpharâ tardiùs mouentur.*

Dixeram etiam, quòd etſi daremus cæli raptum vſque ad infimum & attiguum terræ aërem peruenire, non tamen idcircò valeret terrá circumagere, quia aër nimis molles & languidas manus iniiceret bruto & ponderoſo terræ elemento. Reſpondet, valdè ſcilicet ad rem, Lanſbergius. *Neque hoc tamen cauillo difficultas tollitur. Nam hoc dato, aër terræ circumfluus abriperetur: quod ad deſtruendum octaui cæli raptum ſufficit. Nam ſi rapido ſuo motu omnes ſphæras ad Lunam vſque ſecum abripit, quî fieri poteſt, vt aëreum cælum quod terram ambit, immobile maneat atque eumdem raptum non ſequatur? eſt enim molle & leue corpus, quod minimo impetu facilè impellitur.* Diſputo aduerſus Mæſtlinum & Keplerum, qui orbem terræ ab aëre impellendum credunt, ſi aër terræ circumfluus à cælo in orbem circumduceretur: & dato, quòd verum eſſet, aërem circumduci, nego tamen terram vnà abducendam eſſe. Lanſbergius rapit hoc ſibi, tamquam darem iam (quod toto illo Cap. toties negaui) aërem terræ circumfluum à cælo abripi. Nimis auidus & rapax es, mi Lanſbergi. Qui dicit, *Etiamſi darem gratis verum eſſe antecedens, nego conſequentiam,* in Dialecticâ bonâ, non dat antecedens. Itaq; nego inprimis antecedens, aërem nempe terræ contiguum à primo mobili tam diſſito in orbem poſſe corripi. deinde hoc dato, nego terræ molem tam grauem vnà impellendam & ſecuturam aëris tam lubrici & fluxi motum. *Etſi aër terræ proximus à cælo in orbem raperetur (quod eſt falſum) non tamen neceſſe eſſet, terram eius motũ ſequi.*

 Sed

Sed iterùm tamen probas aëreum cælum, ſiue totum aëris elementum vſque ad terram, à primo mobili corripiendum, quia rapiuntur ſphæræ cæleſtes vſque ad Lunam. Homo oculatiſſime, non vidiſti hoc ipſo Cap. ANT-ARISTARCHVM negantem ſphæras ſolidas Planetarum? Ait enim diſertè: *Verius eſt longè, nullum, vſque ad ſtellas fixas, occurrere ſolidum fornicem; quod altiſſimæ Cometarum traiectiones, & alia quædam ſatis oſtendunt.* Quomodo ergo imaginarij eccentrici & epicycli à primo mobili abripi poſſunt? Deinde, fac eſſe veros, non imaginarios, propior tamen ſum, aut valdè inclino, vt negem ſphæram inferiorem à ſuperiori rapi, niſi ei pondere ſuo grauiter incubet ac premat (quod tamen in Scholâ Ariſtotelis affirmari non poteſt, qui grauitatem & leuitatem à cælis reſpuit) aut ſphærarum ſuperficies ſint rugis quibuſdam exaſperatæ; quod, niſi de concauâ ſphæræ Lunaris ſuperficie (vti ſuſpicatus eſt Lotharius Sarſius) vix poteſt aliquâ veri ſimilitudine aſſeri. Vnde, ſi intelligentia impellit primum mobile, verior fortaſſis erit, qui orbes, & corpora ipſa Planetarum à ſuis itidem intelligentiis proximè faciet ab Ortu in Occaſum circumagi. Denique, vt antè tibi dixi, da Lunæ ſuam ſphæram, da ei motum diurnum (à quacumque cauſsâ is imprimatur) tota tamen aëris profunditas vſq; ad terram non circumducitur: quia eſt corpus molle & leue, vt tu ipſus dicis, ideoq; pars ſuperior à cælo rapta, facilè ab inferiori ſe diuidit, nec tam firmiter apprehendit, vt pari paſſu ſecum in orbem trahat; quemadmodum faceret, ſi tota ſphæra aërea, corpus ſolidum ac rigens, non molle & fluidum eſſet. Itaque exempli cauſsâ, imaginare ſphæram Lunæ rapi celeritate vt 100. deinde proximum fluidi ætheris dorſum, celeritate vt 90. Partem inferiorem celeritate vt 80. Ac gradatim deſcendendo ſemper, ita per partes æquales decreſcat celeritas, vt pars ſphæræ aëris inferior, tardiùs quàm ſuperior (nimis molliter eam trahens) ſuum abſoluat circuitum; intelliges, raptum aëris & motum omnem antequam ad terram peruenerit, facilè poſſe conquieſcere, & te hoc toto Cap. nihil dixiſſe. Quod enim addis, aërem *minimo impetu facilè impelli*, verum eſt, ſi *minimum impetum*, valdè paruum intelligas. Sed tamen quantuluſcumque impetus iſte ſit, debet ei imprimi vt loco dimoueatur: pars verò aliqua aëris inferior motum cæli tam parùm & moroſè ſentiſcit, vt vires ei reliquæ

ad

ad ſollicitandam & vellicandam partem aëris ſequentem non ſuppetant; vnde neceſſe eſt omnem ibi motum tandem elangueſcere & emori.

CAPVT V.

Argumentum quo ex terrâ phyſicâ, motum terræ Copernicanum Lansbergius probat, vanum & inutile eſſe.

HIc exilis, tripudias, epinicia canis, & maximas nugas agis. Audite tanti triumphi materiam.

Lanſbergius pater in argumentis terræ motûs hoc etiam poſuerat. Quòd *terra phyſica* cottidie circa centrum ſuum, & quidem ab Occaſu in Ortum, ſponte reuolueretur; quocircà ſibi *dubium non eſſe*, quin magna tellus eodem modo ſingulis diebus circumagatur. Miratus primò ſum, quomodo hoc tantum terræ phyſicæ miraculum, vt pleraque Chymicorum, per Scholas Philoſophorum & Medicorum, ac in omnium conſcientiam latiùs non eſſet diſperſum. Deinde, quia apud Gilbertum legeram, *terrellæ* magneticæ à Petro Peregrino datam ſimillimam ac gemellam planè vertiginem, ſuſpicatus ſum *terram phyſicam* pro *terrellâ* accepiſſe. Audite enim Gilbertum. *Petrus Peregrinus*, inquit, *conſtanter affirmat, terrellam ſuper polos ſuos à Meridiano ſuſpenſam moueri circulariter integrâ reuolutione 24. horis: quod tamen adhuc videre non contigit. De quo motu etiam dubitamus propter lapidis ipſius pondus, tum quia tellus tota, vti mouetur à ſe, ita etiam ab aliis aſtris promouetur: quod proportionaliter in parte quauis (vt in terrellâ) non contingit*. Quis ex iſtâ ſimilitudine & germanitate motûs, *terram phyſicam* à Lanſbergio vſurpatam pro Peregrini *terrellâ* non exiſtimet? Itaque negaui verum eſſe de *terrâ phyſicâ*, quod Gilbertus de *terrellâ* negat aut dubitat. Falſum, inquam, & ab aliquot fuliginoſis Chymicis confictum, aut ſpirituum cerebri vertigine imaginatum eſſe cenſui (nequedum muto) *terræ phyſicæ*, aut *terrellæ* diurnum vllum motum competere ab Occaſu in Ortum.

Ant-ariſt. c.20.

Gilbert. lib. 6. c. 4.

Sed Phil. Lanſbergius, inquis, *motum terræ phyſicæ ſe vidiſſe ſcribit*. Itáne ſcribit tantùm? Cur tibi filio tantum prodigium etiam non oſtendit, & tu quoque Alcibiades hæc ſacra Eleuſina ſtupenti mundo non euulgas? Cur etiam Phil. Lansbergius

terrâ hac admirabili, *vix vt argumento* (vt ipſe nobis dicis) *eſt vſus?* Argumentum enim iſtud potiùs in Librum totum diffundi debuit. *Terram Chymicorum phyſicam motu terræ congruo moueri*, vt ſcribis, & 24. horis, telluris Copernicanæ ritu circum axẽ ſuum reuolui, & id neglectim ac pænè inſuper haberi à Copernicanis? Crede mihi, negligentia iſta ex diffidentiâ venit: & audiſti paullò antè, quàm Gilbertus (in re tamen magneticâ & fornacibus Chymicorum, ſi quis alius, accubuus, & Copernicanorum facilè pertinaciſſimus) Peregrino de *terrellâ* non fidat, & argumentum illud in ambiguo aut in nullo ponat; de aliâ verò *terrâ phyſicâ*, ne verbum quidem mutiat. Sed neque Tycho, tantus ciniflo, aliiq; ſine fine Chymicorum proceres eam agnouêre. Attamen Phil. Lansbergium *vidiſſe*, iterùm mihi recantabis, neque debuiſſe me *aliis meliori fronte, ſinceritate & fide præditis mendacij crimen obiicere*. Sed non valuit ab oculis fortaſſe ſenex tantus æui, mi Lansbergi, nec mentitur,

Qui videt, aut vidiſſe putat per nubila Lunam.

Addis etiam deinde, *mihi eſſe quàm familiare* mendacij alios coarguere, *& multis id euincere non fore tibi difficile; ſed nolle in his colligendis bonas horas collocare*, & cetera, quibus

Frigidus hibernas canâ niue conſpuis Alpes.

Quòd tibi temporis cura ſit, nec ANT-ARISTARCHI angulos excutis, vt inuenias vbi alios mendacij ſolitus ſum arceſſere, vehementer laudo; ne fruſtrà ſis & labor iſte in irritum tibi cadat. Vellem etiam in veſtigandis Pythagoricorum inſomniis parcior fuiſſes, & *horas* tuas *bonas* in Artemidori ὀνειροκρίτει potiùs collocaſſes; id enim artem Medicam, quam profiteris, propiùs alluſiſſet.

Verumtamen vbínam parens tuus *terræ phyſicæ* mirificum illum motum *ſcribit ſe vidiſſe*, mi Lansbergi? Nam tantùm adſcribentem video, quid apud Libauium, Fanianum, & Ioannem Dee legerit, non quid ipſe viderit. Addit tamen deinde. *Qui hodie etiamnum eam artem excolunt, ſciunt terram phyſicam non modò ſingulis diebus vnam reuolutionem abſoluere, ſed quod apprimè conſideratu dignum eſt, conſtanter ferri ab Occaſu in Ortum. Quocircà mihi dubium non eſt, quin magna tellus eodem modo circumagatur diebus ſingulis, iuxta illud Hermetis Triſmegiſti*, Sic mundus creatus eſt. *In quo ſeriò acquieſco.* Quinam autem illi hodierni artis

Phil. Lanſberg. lib. 1. c. 22. Progymnaſ.

cultores?

cultores? Si inter eos ſe numerat, cur in re tantâ dentes comprimit, nec ſe vidiſſe palàm nobis edicit? Et te filium rem iſtam celaſſet, præſertim vbi *illa motio*, vt inquit, *ſtatim in principio operis ſe offert*, & tam facilè oculis ſe ingerit? Non poſſum vt credam, mi Lansbergi. Et Tychonem etiam rem tam obuiam non aduertiſſe (quod miratur pater tuus, ego puer ſim, ſi velim credere) qui in re Chymicâ æui ſui facilè Princeps, & ad Rothmannum ſcribit, *Si quando mecum fueris, forſan quædam in his ſpectabis priùs deſiderata, nec vbique obuia. Non enim minori conamine & ſumptu Aſtronomiam hanc terreſtrem excolo, quàm illam cæleſtem, ordinatis ad eam ritè tractandam opportunis ſtructuris, & fornacum magnâ varietate copiaq́, quæ omnia calamus referre non ſuſtinet?*

Breuiter ergo Lansbergi, quære Middelburgenſes anus, quæ tibi in iſto *terræ phyſicæ* motu credant, viri in re Medicâ hîc magni mecum rident. Et ecce commodum etiam in manus & oculos incidit Vir eruditiſſimus & πολυμαθὴς ille Marinus Merſennus, qui hoc idem parentis tui argumentum reiectans & deridens, *Terram phyſicam ſeu Chymicam*, inquit, *vtpote Hermeticam hominibus melancholicis, Paracelſiſtis & Fludiſtis relinquo. Viderint imaginarij filij Hermetis, qui licet in ſuis aquis, ſalibus, oleis, pulueribus, aut ſpiritibus motum aliquem deprehenderent, attamen ille non arguet terræ motum. Viderint illi hæretici Aſtronomi vnde Hermes ſuum illud*, Sic mundus creatus eſt, *hauſerit, & qui purum putumq́ Dei verbum ſequuntur, potiùs Dauidem verum Prophetam dicentem*, Qui fundauit terram ſuper ſtabilitatem ſuam, *quàm fictum Hermetem audiant & amplectantur.*

Marin. Merſen. c. I. Gen. verſ. 10. q. 9. a. 7.

Terra phyſica ab Occaſu in Ortum cottidie ſe ſponte reuoluens, germana nugæ, & melancholicorum ludibrium eſt.

I iam Iac. Lansbergi, & Stentoreâ voce clama: *Cùm hæc ſcripſiſti, Fromonde, euidentiſſimum tuæ imperitiæ dediſti documentum: ex quâ in ſcribendo tibi orta temeritas & in accuſando impudens audacia. Nam imperitum te eſſe oſtendis:* & reliqua quæ tibi

Raucaq́ garrulitas, ſtudiumq́ immane loquendi

ſuggerit. Mones deinde. *Noli igitur, Fromonde, accuſare homines in rimandis naturæ arcanis, te longè diligentiores & feliciores.*

Attamen profectò, mi Lansbergi, mentiar, ſi multis annis quos inter ſtudia & Profeſſionem Philoſophicam tranſegi, fatear me omnino indiligentem fuiſſe. De tuâ & parentis diligentiâ, nec ſcio, nec ſcire laboro. Vnum ſcio, vtrumque in re iſtâ fuiſſe infeliciſſimum. Quòd autem etiam frontem meam, ſincerita-

tem,& fidem accuſas; facis quod ſolent qui iſtis carent, vt videantur habere. Gratias quoque dolori tuo habeo, quo miſeriam meam deploras, quòd ad adyta illa fornacum & *terræ phyſicæ* miracula, hebetudo mea nequiuerit penetrare. *Condolendum pleriſque miſeris*, lacrymabili voce infis, *qui propter ſuam ignorantiam ſe aliorum iudices ac cenſores præbent, quiq; acuta aliorum inuenta, prout ignorantia dictat, acerbè carpunt*, &c. Papæ, quantum eſt, mi Heraclite, in inuento iſto *phyſicæ* & fabuloſæ *terræ*, acumen! Niſi enim Lanſbergij & Chymici vobiſcum aliquot fabulantur, fac me, oro, vt hoc tam expoſitum naturæ miraculum, *quod ſtatim in principio operis Chymici ſe offert*, ſemel tantùm oculis attingam. Nec oppidò, nec valdè locuples ſum; quidquid tamen in fortunis meis eſt, ſpondeo, tuum erit, & contemnere poſſum, modò me facias iſto *terræ phyſicæ* ſpectaculo beatum.

Conceſſo deinde gratis *terrellæ*, aut *terræ phyſicæ* diurnâ vertigine, negat tamen ANT-ARISTARCHVS inde conſectaneum eſſe, vt totum terræ elementum ſimili motu cottidie circa axem ſuum reuoluatur. *Negas igitur conſequentiã*, inquis, *à motu terræ phyſicæ deſumptam*. Quis tam murcidam & plumbeam donare velit? Nónne eruditiſſimum Merſennum paullò antè negantem audiuiſti? *Licet imaginarij filij Hermetis*, inquiebat, *in ſuis aquis, ſalibus, oleis, pulueribus, aut ſpiritibus motum aliquem deprehenderent, attamen ille non arguet terræ motum*. Sed, *vt conſequentia neceſſaria non ſit*, ais, *eſt tamen veriſimilis. Non enim hoc argumentum vt demonſtratiuum Lansbergius Tychoni obiecit, ſed vt probabile.* Rugiebas initiò inſtar leonis, ouicula iam tantùm balas. Si argumentum veriſimile iam ſolùm & probabile, quomodo antè parens tuus dicere auſus, *ſibi non eſſe dubium*, nec hoc abnuiſti? Sed, vt verum audias, ne quidem eſt veriſimile, aut (vt phraſi tuâ loquar) *nullâ veriſimilitudinis ſpecie poteſt defendi*. Verumtamen ais, *Ioannes de Sacroboſco vir eruditus & vulgò notus, in Sphærâ ſuâ, quam doctiſſimus Iunctinus, tuus Clauius, & alij Commentariis illuſtrarunt, oſtenſurus aquæ totius Vniuerſi rotunditatem, ex rotundis aquæ guttulis eam colligit, argumento deſumpto à parte ad totum.* Hinc etiam probabili ratiocinio vis colligi, totum terræ elementum circulariter motu diurno circumagi, quia *terræ phyſicæ* tuæ putas id euenire. Homo incircumſpecte, non vides aquæ guttulam eſſe eiuſdem ſpeciei cum toto ſuo elemento, ideoque

ſpeciem

ſpeciem aliquam probabilitatis ineſſe argumento, à partis rotunditate ad totius elementi aquæ rotunditatem; *terram* verò patris tui *phyſicam*, in Chymicorum fornacibus tam diu coctam recoctam, differre ſpecie à toto terræ elemento? Si enim eiuſdem ſpeciei eſt, cur ſimilem operationem & motum in ſingulis terræ glebis non experimur? Hoc enim argumento antè, vexillarius ille Copernicanorum Gilbertus refellebat *terrellæ* Petri Peregrini circularem motum; quòd in parte quauis elementi terræ non idem quod terrellæ, vſu veniret.

Terrella, aut terra phyſica tã differunt ſpecie ab elementari terrâ, quàm pilula aloës.

Itaque, quando totum terræ elementum in fornacibus tuis vaporaueris, & in *terram phyſicam* decoxeris, videbimus, an inſiliet ei fortaſſe motus ille Copernicanus, & cottidiana reuolutio ab Occaſu in Ortum. Vt verbo tibi dicam. Tam probabiliter à *terrâ phyſicâ* parentis tui, quàm à pilulâ aloës, argumentaris ad totum terræ elementum.

Terrella vertiginoſa Pet. Peregrini non quilibet obuius magnes eſt.

In mentem etiam iam redit, clamaſſe te alicubi antè, quòd exiſtimauerim *terram phyſicam eſſe lapidem magnetem & nautis & ruſticis notum.* Sed erras profectò. Terrella enim Peregrini non quælibet tam obuia magnetis ſpecies eſt, opinor (nimius enim fuiſſet Peregrini ſtupor, ſi vulgari cuilibet magneti tribuiſſet cottidie ſpontaneam vertiginem ab Occidente in Orientem, à quolibet nautâ & ruſtico Zelando tam facilè refellendam) ſed arcana quædam, in qualitates vertiginoſas & chimæricas eaſdem aut ſimillimas à naturâ transformata, in quas parentis tui & Chymicorum fornaces excoquunt *terram phyſicam*.

TRACTATVS SECVNDVS.

VT omnia terrore & fugâ compleas, magnificè & baſilico gradu ante aciem progreſſus, vires tuas iactas, & inſtar Virgiliani illius tauri,

——ventoſque laceſsis
Ictibus, & ſparsâ ad pugnam proludis arenâ.

Ariſtoteles, Hipparchus, Ptolemæus, & ingens tot eruditorum exercitus fuſus fugatuſque eſt, ſi tibi credimus. Nam *friuola & nullius momenti quæ terræ motui diurno obijciunt*, eſſe dicis. Ac *licet negotium quod aggredior*, inquis, *non paucis arduum & difficile fortè videatur, eâ de cauſsâ, quòd quæſtio hæc multis ab hinc annis infinitis ferè tricis & difficultatibus, etiam à viris magnis, fuerit implicita; tamen ab his omnibus nos expedire promptum erit, ſi modò leges quibus natura viſibilem hunc mundum regit, perpendere animus ſit, atque omnia ad certiſsimam & indubitatam rationis & experientiæ normam exigere*. Nec vereris talia huic tam erudito ſæculo, tamquam horti tui peponibus loqui, mi Lansbergi? Quidam tamen ita ſunt. *Non videntur cogitare cum hominibus ſe agere, ſed prorſus quaſi pecora forent qui eos audirent, vel ſcripta legerent; ſic eorum imperitiâ abutuntur & tarditate ingenij, vel potiùs animi cæcitate.* Etiámne ſperaſti rem omnium fabuloſiſſimam, *certiſsimæ & indubitatæ rationis & experientiæ* fuco, tot ingenioſis & perſpicaciſſimis hodie hominibus obtrudere? Nimis æui tui, & patriæ ſecurus es, ſi Zelandorum ingenia ad illud acumen ſunt, quo eos nobilitauit conterraneus eorum Leuinus Lemnius. Sed ne ſolùm contempſiſſe videamur, vires tuas inſpiciamus & periclitemur.

D. Auguſt. c. 4. contra Adimant.

Lemn. lib. 4. c. 2. Occult.

C A-

CAPVT PRIMVM.

Cælo nullum, terræ maximum periculum eſſe, ne tantâ Copernicani motûs rapiditate diſsiliat. Nihili eſſe, quæ Ptolemæo reponunt Copernicus & Copernicani.

PROBAVIT Ptolemæus olim, & ANT-ARISTARCHVS poſt eum, turres, & ædificia, præſertim malè hærentia, diſſoluenda ac diſpergenda tam rapido terræ motu. Reſponderunt Copernicus, Gilbertus, & Lanſbergius, octauæ ſphæræ magis id metuendum eſſe, *cuius*, ait Copernicus, *tantò velociorem eſſe motum oportet, quantò maius eſt cælum terrâ*. Repoſui, cælum procul abeſſe periculo vt partes eius tam rapidâ vertigine diſſiliant, quòd *cæli vitrei non ſint, ſed ſolidiſsimi, quaſi ære fuſi, aut σιδήρεοι* ferrei, *vt loquitur Homerus, & ita à diuino Opifice fabricati, vt illam, & longè fortaſſe maiorem rapiditatem valeant perferre*. Solemni modeſtiâ & acumine reſpondet Iac. Lansbergius. *Quod de cæli ſoliditate, Fromonde, profers, à naturâ cæli alienum eſt, & iamdudum exploſum, vt vanum & futile figmentum*. Sed maiori & veriori plauſu ab aliis ei replauſum eſt, mi Lansbergi, & præter Ariſtotelem, Eudoxum, Calippum, Ptolemæum, ac infinitos Græcos, Latinos, Arabes (& nónne octauam ſphæram teſtæ oui ſolidæ comparat etiam parens tuus?) SS. Patres etiam plerique, ex *Firmamento* illo, ſecundâ mundi die, *in medio aquarum* creato, affirmant fornicem ibi aliquem eſſe ſolidum, quem propterea Interpretes LXX. στερέωμα ex Hebræo רָקִיעַ *rakia* verterũt. Nam vox iſta Hebræis ſignificat non quamlibet expanſionem, ſed eam quæ tundendo & firmando fit; quomodo ferrum candens malleis extenditur, & compreſſis poris firmatur. Vnde etiam qui hodie Mathematici inter Hebræos corpus ſolidum, *rakia* vocant. Hinc iidem Interpretes Hebraicè ſcientiſſimi, vbi apud Iſaiam noſter habet, *Extendit velut nihilum cælos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum*, vertere maluerunt, *Qui ſtatuit quaſi cameram cælum, & extendit quaſi tabernaculum ad habitandum*. Vnde ibi D. Hieronymus, *Cæli*, inquit, *extenduntur quaſi camera, ſiue vt in Hebraico continetur, quaſi* דק dak, *quod vnum verbum nunc ſputum, nunc cameram, id eſt, fornicem*

Ant-ar. c. 10.

Nic. Copernic. lib. 1. c. 8.

Ant-ar. cap. 10.

Iob 37.

Iſaiæ 40.

nicem Interpretes LXX. *tranſtulerunt. & tantam eorum latitudinem, tamquam tabernaculum & papilionem extendit deſuper, vt in ſimilitudinem tecti operiret homines, & quaſi in domo latiſſimâ habitare faceret.* Simili imagine Pſaltes Firmamenti extenſionem pelli tabernaculorũ comparat, quæ rigida eſt & aduerſus cæli iniurias
Pſal. 103. durata: *Extendens cælum ſicut pellem.* Plurimos etiam SS. Patrum citare promptum eſt, qui docent Firmamentum ex aquis *concretum*, aut *congelatum*, aut *compactum*, aut *cryſtallo ſolidatum:* vnde Theologi hodie nõ pauci exiſtimant ſoliditatem Firmamenti *ſine*
Tanner. de Oper. 6. dier. *temeritate negari vix poſſe.* Vetuſtiſſimam etiam Philoſophorum gentilium fuiſſe ſententiam ab Homero diſces, qui cælum *σιδήρεον ferreum* appellat. Et ſanè, conſtans illa ſtellarum fixarum ab vno polo vſque ad alterum ſeries, & concordia motuum, quos inter ſe ita librant, vt ſtellæ viciniſſimæ polis breues ſuas periodos non citiùs abſoluant quàm quæ ſub Æquatore per maximum ambitum circumcurrunt, ſatis dicunt vnius communis orbis reuolutione vniuerſas circumagi. Vnde ſcitè D. Ambroſius. *Cæ-*
D. Ambr. lib. 2. c. 4. Hexam. *lum, quod οὐρανὸς Græcè dicitur, Latinè, quia impreſſa ſtellarum lumina, velut ſigna, habeat, tamquam cælatum appellatum; ſicut argentum quod ſignis eminentibus refulget, cælatum dicimus.* Igitur Firmamenti orbem mobilem & fixarum ſtelliferum, cum immobili Empyreo, Beatorum ſede, *ſolidiſſimos & quaſi ære fuſos*,
Iob 37. Gaſp. Bartholin. lib. 3. c. 29. Enchir. vt eruditus ille Iobi amicus loquitur, affirmamus: neq; Bartholini gloſſema nobis allubeſcit, quo *cælos ſolidiſſimos, inſtar æris fuſi dici* exiſtimat, *non de duritie, ſed duratione vel firmitate.* additque, *neminem eſſe qui id neſciat.* Ego ſanè neſcio, neque memini videre alium interpretem, qui hæc ad durationem ſolam referat. Nec enim ob ſolam durationem, rem aliquam ſolidiſſimam vocare ſolemus. Refelluntque ſatis Hebræa, quæ verbatim alij ſic vertunt. *Expandes* (tundendo quaſi malleis) *cælos fortes, ſicut ſpeculum fuſum.* Soliditas igitur Firmamenti, cui illigatæ ſtellæ inerrantes, non eſt tam *vanum & futile figmentum*, quàm velles, Lansbergi.

Sed aſſertum tuum inconſiderantiæ & oſcitantiæ plenum eſt, inquis. *nam tibi ipſi apertè contradicis.* Vbi, mi Lansbergi? *Quia Cap.* VII. ais, *citaſti D. Ambroſij teſtimonium, qui ex Iſaiâ colligit, naturam cæli non ſolidam, ſed inſtar fumi ſubtilem eſſe. & Cap.* XVI. *ſcribis, longè verius eſſe, nullum vſque ad ſtellas fixas occurrere ſoli-*

dum

dum fornicem. Et ibidem, Planetas traiicere liquentes ætheris campos. Et Cap. XVII. *Tychonicam mundi imaginem aliis omnibus præfers, quæ cæli orbes permeabiles facit.* Quis hominis non miſereatur, cui ira & indignatio ſic mentem conturbauit, vt ante oculos poſita aut non videat, aut videre ſe, ægrè ferat? Dixi enim, cælos mobiles rapiditate illâ diurnâ non diſſilire & diffringi, quia inſtar æris & adamantis ſolidiſſimi ſunt (quod de Firmamento, ſiue ſphærâ fixarum verum eſt, quam in verbis à te citatis, voco *ſolidum fornicem,* & ſi qui alij ſunt ſupra fixas, orbes mobiles, vt Ptolemæo, Alphonſo, & tot aliis eſt viſum) & mihi tamen *apertè contradico,* dum cælos Planetarum cum Tychone, & tot SS. Patribus in liquidum æthera diſſoluo? Non poteſt ergo Firmamentum ſolidum, & Circi illi per quos palantur Planetæ, liquentes eſſe? *Octaua ſphæra ſolida, cæli Planetarũ fluxi & liquentes.*

Sed fortè offendit, quòd pluraliter, cælos ſolidos vocauerim, cùm tamen, opinione meâ, ſolum Firmamentum inter cælos mobiles ſit ſolidum. Sed homo vigilantiſſime, qui non magis oſcitare ſoles, quàm ructare Poëta ille Pomponius, reuiſe iterùm ad ANT-ARISTARCHVM, & *oſcitantiam* noſtram non accuſabis. Ego enim palàm Copernico & Gilberto reſpondeo, qui Ptolemæo obiectabant, potiùs metuendum eſſe primo mobili eius, ac Firmamento, & omnibus ſphæris quas ſolidas & mobiles facit. Itaque generatim dixi, cælos omnes, tantâ rapiditate mobiles, inſtar æris, aut ſpeculi fuſi, ſolidiſſimos eſſe, nec poſſe diſſilire. Deinde, etſi Firmamentum cælos vocaſſem, Scripturæ ſacræ phraſi vſus eſſem; quia apud Hebræos שָׁמַיִם *cæli* non habent numerum ſingularem. Sciuiſti hæc antè (vix eſt vt dubitem) & facilem veramque ſcriptorum meorum concordiam vidiſti, ſed animus irâ & amore parentis (quem à me in ANT-ARISTARCHO deſtrictum, aut læſum exiſtimas) ſaucius, quidlibet obuium ſine diſcrimine arripit, & ſæuo dente dilaniat. Si atrocem iſtum tuum animum, & tanto impetu erupturum prouidiſſem, Chriſtiana charitas parentis tui nomen apud ANT-ARISTARCHVM ſuppreſſiſſet, nec tanti fuiſſet, eum, cum iſthoc tam graui tuo vulnere, refelliſſe. Pauca enim Theologica excipe, cetera eius Keplerus & alij etiam habent: quibus proinde reiectis, veritas aduerſus tuum parentem ſatis erat tuta. *Plin. lib. 7. c. 19. Ant-ariſt. c. 10.*

D. Ambroſium etiam Cap. VII. à me citatum (vt oſtenderem

SS.Pa-

SS. Patres ex Scripturâ ſacrâ conatos aliquid in rem naturalis ſcientiæ eruere) non intellexiſti. Nam licet ipſe, & Baſilius (à quo ferè illud Opus Hexamer. tranſſcripſit Ambroſius) negent cælos ex craſsâ aquarum ſubſtantiâ, inſtar cryſtalli, aut lapidis

Baſil. Homil. 3. Hexamer.

ſpecularis, concreuiſſe δι' ὑπερβάλλουσαν τοῦ ὕδατος πῆξιν, *per exuberantem aquæ congelationem*; affirmant tamen ex vapore tenui ac inſtar fumi raro diriguiſſe, eſſeque naturæ tenuis quidem, attamen rigidæ & conſiſtentis, non fluxæ. Quod ſatis apertè Am-

D. Ambr. lib. 2. c. 2. Hexamer.

broſius, dum cælo *impreſſa ſtellarum lumina*, & cælum appellari *tamquam cælatum*, paullò antè dicentem audiebamus. Vin' adhuc apertiùs? *Si materiam elementorum*, ait, *conſideres, quomodo inter aquas ſolidatum eſt Firmamentum? illæ profluunt, iſtud conſtringitur, illæ currunt, hoc manet.* Et idem hoc Firmamentum di-

Baſilius Homil. 1. Hexamer.

ſertè Baſilius facit, Στηῤῥᾶς φύσεως, στέγειν τοῦ ὕδατος τὸ ὀλισθηρὸν καὶ εὐδιάλυτον ἐξαρκούσης, *ſolidæ naturæ, & ad coërcendum aquæ fluxum & diſſolutionem idoneæ.* Ac ſententiam Ariſtotelis, Eudoxi, Calippi, aliorumque referens, nec refellens, ait, οὓς καὶ συνηρμόσθαι φασὶν ἑτέρῳ τὸν ἕτερον, κατὰ τὴν εἰκόνα τῶν κάδων τῶν εἰς ἀλλήλους ἐμβεβηκότων, *quos* (cælos) *aiunt concinnè admodum vnum alteri inſeri, ad imaginem quâ vaſcula minora maioribus inſeruntur.* Et eum Lati-

D. Ambr. lib 2. c. 2. Hexamer.

nè interpretans Ambroſius, *Dauid cælos cælorum*, inquit, *in illo laudantium Dominum conſtituit choro. Quem imitantes Philoſophi, ſeptem ſtellarum, Solis & Lunæ globorum conſonum motum introduxerunt: quorum orbibus, vel potiùs globis (ſolida enim, non plana eorum figura eſt) connexa memorant omnia, quos ſibi innexos & velut inſertos verſari retrò, & contrario ceteris motu, ferri arbitrantur.* Nec id ipſe reiicit, ſed tantùm ſonitum & harmonicum melos, quod orbium affrictu putabant excitari. Cùm igitur Am-

Baſilio & Ambroſio cæli ex materiâ ſubtili, attamen non fluentes, ſed concreti.

broſius, verſionem LXX. Interpretum ſecutus, ὁ οὐρανὸς ὡς καπνὸς ἐστερεώθη, *cælum tamquam fumus firmatum eſt*, ex Iſaiâ poſt Baſilium colligit, *ſubtilem cæli naturam, nec ſolidam eſſe*, ſine dubio, *ſolidum* pro craſſo accepit, vnde etiam *ſubtili* opponit. Sed neque locus

Iſaiæ 51.

iſte Iſaiæ quidquam pro cælorum liquiditate facit, ſi textum Hebraicum, & vulgatam verſionem Latinam Græcæ LXX. præferamus. Nam Hebraicè ad verbum, *Cæli ſicut fumus conſumpti ſunt.* quod Latinus Interpres, *Cæli ſicut fumus liqueſcent.* Et Propheta non de conditione & initio cælorum, ſed de diſſolutione in fine ſæculi, expreſſim loquitur. Vnde D. Hieronymus verſionem

nem LXX. *(Cælum ſicut fumus firmatum eſt)* interpretans, cælorum ſoliditatem in iis verbis poſſe inueniri credit. *Omnis fortè*, inquit, *cælorum firmitas, & robur, & fortitudo vento inaniſſimo & fumo qui in auras ſoluitur, coæquatur, iuxta Eccleſiaſten, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Dixerat igitur ANT-ARISTARCHVS, non metuendam eſſe magnoperè cælorum mobilium tam firmiter hærentium, ſed potiùs terræ Copernicanæ, diſſolutionem. Nam *terra*, inquiebam, *plurimis locis, & maximè circa ſuperficiem, vbi rapidiſſimus eſſet motus, puluerulenta, friabilis, & materiæ ad perferendum tantum impetum, peſſimè cohærentis.* Quæ omnia aperta, & manu tangi poſſunt. Iac. Lansbergius tamen ſatis breuiter & ſuccinctè, *Quod de terreſtris globi malâ cohærentiâ vrges, futile eſt.* Euge. *Nam licet terreſtris globus tibi malè cohærere videatur, magis tamen ſoliditate cohæret quàm cæleſtis ſphæra, quæ omnino fluentis naturæ eſt, ac inſtar fumi ſubtilis: ſicuti tu ipſe ſcripſiſti, & ex D. Ambroſio citaſti, nec non res ipſa docet.* De cælis Planetarum, non infiteor (& ex altitudine Cometarum, & ex parallaxi Martis, cum Tychone olim docui) de Firmamento, & ſi quæ ſint Ptolemaicæ aut Alphonſinæ ſphæræ ſuperiores, planè diffiteor. Cur verò D. Ambroſium attulerim, & quàm eum perperàm ceperis, iam audiuiſti. Ant-ar. c. 10.

Pergis deinde. *Conſequentia nulla eſt* (quâ intuli, terram motu tam rapido diſſipandam eſſe, quia partes eius tam infirmiter cohęrent) *& cælum te redarguit: cuius ſubſtantia, licet fluxa, tenuis, & diſſipabilis ſit; tamen te dicente, citra ſui deſtructionem, tam rapidum motum ſuſtinet, qui terræ motu tantò rapidior eſt, quantò cæli ambitus terrâ maior. Vides, opinor, te nihil dixiſſe, ſed fucum dumtaxat legentium oculis obtendere voluiſſe.*

Si dicere velim quod video: dico te hominum, quos vmquam vidi, ſecuriſſimum eſſe. nihil circumſpicis. Pars enim cæli fluxa & tenuis (qualis illa ſola, quæ exercita & calefacta eſt Planetarum curriculis) terebratur, impellitur, attrahitur, & mille modis diſſcinditur à ſolidis Planetarum corporibus, quorum etiam impulſu (an iſto ſolo, quis nobis dicet?) in orbem incedit. Si tormentorum pilas, aut aues per aërem noſtrum aliquando volantes, eius rei imaginem aliquam vidiſti. Non eſt ergo ſine colliſione & partium fluctu ille ætheris motus. Similem verò nullum in orbe terreſtri ſentiſcimus.

Ant-ariſt. c.13.

Non eſſe etiam periculum, aiebam, *ne cæli ſoliditas rapiditate iſtâ tantò maiori diſſiliat; quia partes non colliduntur, nec vna quàm altera magis feſtinat, vt ab eâ ſe valeat abrumpere.* Quam rationem pro terrâ ſe amplecti, ait Lanſbergius; ſed vereor, vt nubem Ixion. Vult ergo terram, aquam, aërem circumfluum in eodem agmine, ac pari celeritate, ſine diuortio, aut vllâ colliſione partiũ, motu diurno rapi. Et quia negaueram id ſatis poſſe intelligi in corpore heterogeneo & malè cohæſo (qualis eſt ille ex terrâ, aquâ, aëre malè & fluxè concinnatus globus) reponit Lansbergius, *Terra non magis ex heterogeneis partibus conſtituta eſt, quàm cælum. Nam Planetæ à ſuis orbibus longè diuerſam habent ſubſtantiam.* aitque deinde Lunam & ceteros Planetarum largiter differre à Sole, & innumerabiles fixarum exercitus à liquidis ſuis (vt putat) campis ſubſtantiâ & formâ multùm diſſidere, & tamen ſimul moueri. Tandem more ſuo concludit: *Ergo quæ ad ſiſtendũ terræ diurnum motum profers, ſunt infirma & refutatione indigna.* Stultus igitur tu qui tam calidè pergis refutare, aut ego potiùs, qui cum tali capite velim arietare. Audi, & arrige aures. Stellæ, aut orbibus ſuis ſolidis firmiter illigatæ ſunt, aut iis abſolutæ, per liquidos ætheris campos liberè feruntur. Si orbibus illigantur, motu orbium, æquali velocitate neceſſariò abripiuntur, quia adamantinis vinculis, & firmitate corporibus illis cæleſtibus dignâ, ſic adſtringuntur, vt diuellere ſe non poſſint. Aut, ſi ſtellæ fixæ circum ſua centra gyrentur, & in cauis quibuſdam octauæ ſphæræ velut acetabulis immerſæ ſint, vt quidam olim imaginantur; vna tamen velocitas ſtellas illas & ſphæram totam aufert, veluti annulus & gemma inſerta æquâ celeritate in orbem vertuntur, etiamſi corpora heterogenea ſint: quia, licet continuitate careant, tam firmiter tamen inuicem conſerta ſunt, vt vnum ſine altero moueri non poſſit circa annuli centrum. Vnde heterogeneitas talis, & in partibus tam arctè deuinctis, nihil impedit quò minùs ſimul ſtellæ iſtæ omnes eâdem celeritate circumcurrant; quia celeriores & quæ plus impetus caperent (ſi ſolæ, & ab aliis abruptæ eſſent) alias tardiores ſecum trahunt, & pari velocitate incedere cogunt. Si verò ſtellæ ſine ſolidis orbibus, per ætherem vagantur, fateor, hoc liquidum æquor non pari impetu & celeritate à ſideribus impelli; veluti multæ aues gregatim volantes, non æquali velocitate aërem ſecum abducunt. Igitur, nec terra etiam aquam

Stellæ fixæ etſi diuerſam à ſuo orbe naturam habẽt, quia tamen firmiter illigatæ, pari paſſu incedunt.

&

& aërem ei circumfuſum æquali impetu rapiet. Quia enim partes iſtæ heterogeneæ ſunt, non omnes eumdem impetum capere poſſunt & aliæ aliis mobiliores ſunt; quia verò ſolutiles nec tenaciter cohærent, facilè abſilient, & pars velocior tardiorem, id eſt, terra aquam & aërem, poſt ſe relinquet. Ad hæc tamen tam facilè reſpondet Lansbergius, *quàm facilè pirom volpes comeſt.*

Quot ſententias, tot ineptias profers, inquit vir vrbaniſſimus. *Primùm enim, dum hæc ſcribis, Librum tuum inſigniter refutas & tibi contradicis. Eſt namque tui Libri titulus*, ANT-ARISTARCHVS *ſiue*, TERRA IMMOBILIS. *& pag. 87. multis contendis, terram propter grauitatem ad motum ineptiſſimam eſſe. Hîc contrà metuis, ne nimiâ mobilitate aërem & aquam præuertat, & inter partes diſsidium faciat.* Apud Trogloditas feruntur homines Plin. eſſe *ſine ceruice, oculos in humeris habentes:* neſcio an ex iſthoc fortaſſe ſis genere, ita auersè & peruersè omnia mea adſpicis. ANT-ARISTARCHVS, & pagina illa 87. dicit aduerſus Copernicanos, terram eſſe re verâ immobilem, & grauitate ac *ponderibus ſuis ita in medio librari, vt hemiſphærium vnum alteri reſiſtat, & contrario in centrum niſu ac incubatione ſatis graui, inuicem ſe ſuſtentent,* (vnde Phil. Lansbergium verum non eſſe, *qui terræ globum in aëre tam leuiter pendulum credit, vt cæli raptu, imò minimo impulſu poſſit in orbem conuerti:*) & tamen *inſigniter, ſi Deo placet, me refuto, & contradico,* ſi iam dixero: ſuppoſito motu Copernicano, quo terra rapidiſſimo impetu in orbem torqueretur, aërem & aquam non poſſe pari celeritate raptum eius aſſequi; quia, tamquam denſior, impetûs etiam (ſi quis ei imprimatur) capacior erit, & ante aquam aëremque euolabit. Sic enim in ſphærâ ex ferro partim & ligno cohęsâ, tormento explosâ, vſu venit. Pars namque ferrea celeriùs præuolat, & ligneam retrò relinquit. Deinde, quod caput eſt, Copernicani paſſim (Keplerum & Gilbertum conſule, qui inter eos Principes) globum terræ (non aquam aut aërem) grandem magnetem eſſe autumant, eiq; ad gyrandum ſe in orbem, fibras quaſdam in viſceribus occultas tribuunt. Igitur, quidquid retardet terræ Copernicanæ grauitas, rapidiſſimus in eâ erit circularis ille & magneticus, ex mente Copernicanorum, motus, & reliqua duo attigua elementa tardiùs trahentur & tantùm in ſequelam.

Quòd deinde de partibus cæli heterogeneis adiicis, iam te

præuenimus & diximus in anteceſſum. De naui, promittis, *in ſequenti Cap. te ad oculum oſtenſurum.* Nos ergo etiam te ſequimur, & tantiſper oculos præparamus.

Sed quia Copernicani quidam latebram in motu terræ naturali quærebant, aiebantque partes iſtâ rapiditate ideò non diſpergi, quia naturali motu in orbem mouerentur, obiecit iis ANT-ARISTARCHVS, quòd gleba terræ ex alto naturaliter decidẽs, diſſiliat in lapſu, quia corpus heterogeneum eſt, & partes aliæ aliis ponderoſiores ſunt, quæ ideò feſtinant eas quæ minus ponderis habent, præuertere; à quibus proinde motu citatiore ſe diuellunt. Iac. Lansbergius, cui non magis ANT-ARISTARCHVS poteſt aliquid benè philoſophari, quàm * γραῦς εὖ χορεύειν, quaſi magnum aliud naturæ arcanum nobis proditurus, *Erras*, inquit, *ignoratione cauſæ. Diſsilit enim gleba ex alto præcipitata, non quòd heterogenea, ſed quòd ſoliditate non ſatis cohæreat. Nam pari pacto quæ in naturâ maximè heterogeneâ ſunt* (homogeneâ, voluit dicere) *vt oleum, aqua, argentum viuum, ex alto præcipitata diuelluntur; quòd minùs ſolida, non ſatis cohæreant. alliduntur enim ad aërem, neque colliſionem ſoliditatis defectu ſuſtinent.* Nihil nouum, aut improuiſum dicis. Diſpoſitio ex parte ſubiecti requiſita, vt gleba diſſiliat, eſt infirmitas illa vnionis integralis inter partes, cauſſa efficiens partim eſt alliſio ad aërem per quem cadit, partim heterogeneitas partium (velis, nolis) quæ facit, vt ponderoſiores plus impetûs rapiant, & præcurrant leuioribus. Vnde vt hoc ſuggereret, addidit ANT-ARISTARCHVS: *Et id etiam, opinor, eueniret* (ruina glebam diſpergeret) *etiamſi ſine vllâ ad aërem alliſione, per vacuum rueret.* Quod eſt *longè* quidem *petitum*, vt dicis (quandoquidem petitum ex vacuo, quale nullum in vniuerſo reperiri poteſt) ſed idoneum valdè ad explicandam aliam cauſſam, cur gleba motu naturali ruendo diſſipari poſſit, præter alliſionem aëris.

Ant-ar. c. 10.

* *anus benè ſaltare.*

Sed, *quod glebæ in vacuo*, inquis, *id quoque maximè homogeneis in vacuo continget.* Homo circumſpecte, diruis quod iam ædificaueras. Oleum & homogenea, vt ſtatim dicebas, non ſatis firmiter hærentia, ideò diſſiliunt in lapſu, quia *alliduntur ad aërem*; & tamen etiam iam per vacuum (vbi nullus aër cui illidantur) labentia, perinde ac heterogenea gleba, diſſoluerentur. A quâ igitur efficiente cauſsâ? Nam laxitas illa, & infirmitas vnionis partium, eſt ſolùm diſpoſitio ſubiecti, vt partes, vrgente aliâ cauſsâ efficien-

Corpus omnino homogeneum, etiam fluidum, non diſſolueretur, cadendo per vacuum.

efficiente, faciliùs abſiliant. Dic igitur cum ANT-ARISTARCHO, ne nihil dicas, motum partium heterogenearum inæqualis ponderis, vnicam cauſſam efficientem futuram iſtius diſſolutionis; ac proinde in corpore vſquequaque homogeneo, in quo partes vniuerſæ pari celeritate per vacuum incederent, nullam colliſionem, nullam diſſolutionem partium euenturam. Nolim tamen de tuo oleo, vel aquâ reſpondere: nam heterogenea etiam iſta eſſe ſolent, & partes propenſiores in fundum ſubſidunt. Non enim ignoras, veteres (& ex vero) ideò ſolitos dicere, τοῦ μὲν οἴνου τὸ μέσον γίνεται βέλτιστον, τοῦ δὲ ἐλαίου τὸ ἀνωτάτω, τὸ δὲ κατωτάτω τοῦ μέλιτος, *medium vini, ſupremum olei, infimum mellis, optimum eſt.* *Oleum inter homogenea malè recenſet Lansbergius.*

Ex quibus liquet, quàm meritò timuerit ANT-ARISTARCHVS, ne duobus rapidiſſimis motibus (vno diurno, quo ſingulâ quâque horâ, punctum terræ ſub Æquatore 225. milliaria Germ. & altero annuo, quo 740. milliaria Germ. in Zodiaco, eodem tempore peruolat) terræ & aquæ globus diſſiliret. ne etiam *totum aquæ elementum relinqueretur retrò, & à montibus, & durioribus terræ partibus* (vtpote maiorem & conſtantiorem impetum rapientibus) *præuerteretur verſus Orientem*. Id tamen Iac. Lanſbergio, homini ἀγελάστῳ, qui ringi tantùm & mordere nouit, *riſu potiùs, quàm refutatione dignum* viſum fuit. *Nam videris ignorare*, inquit, *quod experientia non tantùm, ſed S. Scriptura expreſſis verbis docet, mare & flumina terræ alueis contineri & eminentiis à Deo factis tam fortiter cohiberi, vt neque terram cooperire, neque ſuos à Deo præfixos terminos tranſilire poßint; nõ magis quàm aqua, quæ nauis alueo contenta vnà cum naui per totum terrarum orbem circumducitur.* Poſteà, vt mihi *Theologo Theologicè*, Medicus & ſutor vltra crepidam, *ſatisfaciat*, iubet *Dei Spiritum* apud Iobum, *loquentem audire*. *Clauſit oſtiis mare*, &c. quæ nemo neſcit. Itaque audimus, Lansbergi, & Deum tertio mundi die, mari, & fluminibus multis alueos ſuos excauaſſe, & plurifariàm rupes, aut arenam furenti, aut lubrico elemento obieciſſe confitemur; ſed numquámne idcircò clauſtra ſua molitur, & littoribus ſe ſuperfundit? Legiſti, & ipſe oculis didiciſti fortaſſis, quid de Zelandiâ veſtrâ ad Eraſmum Cutbertus Tonſtallus. *Tota planè regio*, inquit, *duobus paßibus eſt mari humilior in ſummo æſtu: & niſi aggeres arcerent, marinæ beluæ in comeſſantes atque inuicem propinantes incolas irrumperent.* Et aggeres quidem iſti ab arte, non Iob 38. Eraſm. lib. 3, Ep. 21

 à na-

Bricot. lib.2. Meteor.

à naturâ facti,quod noſti,& Thomas Bricotus olim aliis narrauit. Deinde lacus multi,aut flumina ad ſummum vſque labrum plena & exundantia ſunt,ac minimo ſuccuſſu excuti & ſuperfluere poſſunt.

Si igitur mare,lacus, flumina non ſint tam altè intra aluei ſui profunditatem reducta ac depreſſa,quin effundi aliquando poſſint,non de nihilo dixit ANT-ARISTARCHVS, tam rapidâ terræ ab Occaſu in Ortum vertigine, ea omnia ad Occaſum retrò deſerenda,ac in parte aluei Occidentali ſic aliquando accumulanda,vt littoribus ſuperfundantur. Nam principalis & torrentiſſimus motus,vt etiam adfatentur Copernicani, non eſt in aquæ, ſed in terræ elemento (terra enim eſt magnus Gilberti magnes, terrellæ Peregrini,& terræ phyſicæ tui parentis,vti nuper contendebas, ſimilis;) igitur aquæ elementum quod à magnetico illo terræ vehiculo attrahitur,quia lubricum eſt ac futile,nec virtutem ſe mouendi magneticam, aut ſaltem non parem cum terrâ, habet,pigriùs & inconſtanter ſequetur circularem terræ raptum. Et quia Keplerus terræ vertiginem turbini puerilium trochorum ſatis concinnè comparauerat, ego exemplum ſecutus, dixi,ſi pueri inſpuant, aut humorē alium rotanti ſe trocho inſtillent,illicò excuti & extergi quidquid non adhęſerit tenaciſſimè: igitur non abſimile euenturum elemento aquæ, quam tergo ſuo molliter & lubricè inſidentē terra Copernicana rapidiſſimè circumgyrat,& quantum poteſt,fundum ſuum ei ſubripit. Vnde quod de naui aquam vehente addis,ſimile non eſt. Nauis enim non ſic trahit aquam, vt terra Copernicana ſuum mare. Nam veluti cùm vter vino plenus transfertur, vter non eſt principale mobile, quod impetum & motum præcipuè excipit,etſi cohibeat vinum ne diffluat; ita aqua tua,intra alueum nauis tranſuecta,quia grauior eſt ligno, quod ipſa pondere ſuo firmat,& ſuperficiei ſubiecti fluminis aut maris imprimit, principaliter tranſportatur, nec propriè ſequitur tamquam acceſſoria ad tractum aut impulſum ligni. Quemadmodum etiam in pilâ luſoriâ, aluta potiùs eſt acceſſorium tomenti quod pilam farcit, quàm tomentum alutæ. In motu autem Copernicano, terra eſt præcipuum mobile,quod proximè & principaliter impetum recipit, & aquam maris tamquam acceſſoriam ſecundariò in conſequentiam ſui rapit. Deinde terræ Copernicanæ vertigo rapidiſſima eſt, & multò maiori impetu

Terra Copernicana aliter trahit mare & flumina, quàm nauis portet aquam.

fundum

fundum ſuum elemento aquæ ſubripit; nauis verò longiſſimè ſegniùs humorem ſuum portat. Vnde ſi nauis celerrimè & ſubitò attrahatur, aqua quam continet, recedit paullulùm ac terga criſpat, quia lubrica eſt, nec ligni motum pari ſtatim celeritate aſſequi valet. Vnde hoc exemplum nauis in te regeri poteſt,& oſtendit quid fieret,ſi nauis,inſtar animalis aut magnetis Copernicani ſe proriperet rapidiſſimo impetu,& fundum ſuum ſubduceret aquæ incubanti: quod maximè appareret in naui planâ & valdè capace, id eſt, quæ ſimilis eſſet Orbi terræ. Iam verò in vulgari nauium motu,aqua pondere ſuo carinæ nauis firmiùs ſe affigit,quàm vt motu tam ſegni (comparatione motûs terræ Copernicani) fluctus aliquis eius retrogrediens animaduerti valeat. Si tamen nauis aperta,aquâ repleta quantum poteſt,ocyſſimo volatu,& motu ſoli ligno proximè ac principaliter impreſſo,agatur, fortaſſe fluctuum, aut leuem aliquam dorſi criſpantis vibrationem videbis, ſi acutè videas. Certè non dubito,quin aër qui aperto pontone vehitur,retrocedat, nec nauigij motum conſectetur pari paſſu. Vnde, quòd *friuolum* ANT-ARISTARCHVM facis,quia dixit, *aërem terræ contiguum, cùm fluxi & lubrici corporis ſit,non poſſe pari celeritate comitari terræ raptum* (vnde putat *montes,ædes,arbores,& vniuerſa in ſuperficie terræ eminula*, allidenda ad aërem Orientis tardiorem) ipſe friuola nobis vendis Vcalegon. Sed *terra & aër ſimul mouentur*, inquis. Petis principium. Nam id eſt quod toties pernego,nec tu probaſti. Aër, inquam ego,relinquetur,nec æquo paſſu ſequi poterit rapidam illam Copernicani magnetis vertiginem. Ex eâdem tuâ Dialecticâ principium repetis, quando ſine probatione ais, *velocem quidem eſſe terræ motum,eſſe tamen æquabilem,& à concuſſione liberrimum.* Hoc enim eſt,quod Ptolemæus & alij omnes vbique negant,nec intelligere Tycho potuit, qui tamen aliquanto plus ingenij & Mineruæ habuit,quàm Copernicanorum vulgus. *Cùm vni terræ corpori*, inquit, *duplex ſic ineſſe debeat motus, ſine vllo rectore, mirum ſanè erit, quòd alter alterum nihil prorſus impediat, quò minùs omnia ita exquiſitè eueniant in tam concitatâ motione terræ, ac ſi eadem prorſus quieſceret.* Scio tamen quid Tychoni reſponſitent, & demus iam gratis, *à concuſſione liberrimum* eſſe illum terræ motum; nego tamen aquam terræ dorſo inſidentem futuram ſine fluctu, quia non poteſt (nequidquam remurmuras) aquæ & terræ par

Ant-ariſt. cap. 10.

eſſe

eſſe velocitas. Verùm, motus terræ *circularis eſt*, inquis, *ac proinde ex naturâ ſuâ nullam aquæ partem à centro terræ longiùs abducere, neque etiam propiùs adducere poteſt.* Non dubito, quin magnâ hîc inuenti ſubtilitate tibi mirificè blandiaris. Sed different tua gaudia venti, ſi cogites, neminem tam eſſe blennum, vt velit motu perfectè circulari aliquid abduci aut adduci verſus circuli centrum; ſed nimiâ tamen rapiditate terreſtris globi, liquida ac lubrica aquæ & aëris elementa turbari & confundi oportere, quia (quoties dicendum erit?) non tenaciter ei adhærent, nec paſſibus æquis valent aſſectari; quidquid vos feſtinare, & tranquillitatem ac conſtantiam in tantá rapiditate ſeruare, ſine argumento, iubeatis. Pythagoræ enim diſcipuli non ſumus, nec in re naturæ, ſolemne illud, * αὐτὸς ἔφη nobis ſufficit. Auctoritate maiori & diuinâ, aut argumentorum viribus, tam incredibilis terræ ſub pedibus noſtris raptus, tot Philoſophis melioribus & humano generi extorqueri debet.

* *ipſe dixit*

Sed *his nugis omiſſis*, inquis (nempe tuis) *ad alteram partem venio. Reddidit D. Lansbergius tres rationes, cur pericula quæ Ptolemæus ex terræ diurno motu timet, euenire nequeant. Secundam & tertiam rationem ne attigiſti quidem: quas propterea vt confeſſas prætereo, eas ſuprà propoſuiſſe contentus.* Si propoſuiſti, ergo iam reiecimus. Quænam verò *tres* illæ capitales *rationes? Primam, & alteram* apud parentem tuum video, tertia vbi deliteſcit? Si dicis te in numerum iſtum imputare, quod antè de octauæ ſphæræ *ridiculâ* (vt putat) rapiditate præmiſit, ANT-ARISTARCHVS riſum iſtum eius abundè deriſit. Hanc igitur quam mox ſubiiciâ, vnicam rationem, tam formidabilem ſcilicet, non attigi, ideoque pauorem meum confeſſus, abiecto ferro, Arenâ defugi. Ædificia, inquiebat Lanſbergius pater, motu terræ tam rapido non differuntur aut corruunt, *quia quidquid terra geſtat, vel impoſitum ſibi habet, quomodocumque moueatur, normaliter ſemper ei inſiſtat.* Quare iſtam autem attigiſſem, quæ tam euidenter (vt tu, patrem vbique regenerans, ſoles) principium petit? Hoc enim eſt, quod Ptolemæus quærit: an turris, normaliter & angulo recto ſuperficiei terræ quieſcentis inſidens, in eodem perpendiculo, ſi terra motu Pythagorico abripiatur, permanſura ſit. Deinde rationem alteram, de motu naturali, non à parente tuo (nomen enim Phil. Lanſbergij toto eo Cap. non inuenies) ſed à Copernico, Keplero & Gil-

Lansbergij, vt ſolent, petunt principiũ.

Ant-ariſt. c. 10.

& Gilberto hauſi: cur enim è riuo velim, vbi è fontibus poſſum? Nec ſanè de Phil. Lansbergio vlla tunc cura aut cogitatio mihi fuit: & vniuerſim ANT-ARISTARCHVS Keplerum & Gilbertum præſertim in oculis habuit, qui ſatis eruditè & diffusè ſparſerunt, quæ compendio ferè collegerunt alij, fugabanturque ſpontè, ducibus illis in fugam (ſic ſpes erat) coniectis. Theologica tamen quædam, præter alia pauca non magnæ rei, addidit, & naturalibus permiſcuit parens tuus, & tam lepidè (ſic mihi videbatur; & videbimus paullò pòſt, an tu tantus mango in alium vultum refingere eum poteris) vt in hanc ſcenam etiam produci ſit promeritus. Serò aliàs & caſu mihi viſus eſt, & volante oculo alienum exemplar (rem factam ſimpliciter & Belgicâ fide tibi denarro) paucis horis decurrens, noſcitare volui, quid à Keplero & reliquis Copernicanorum fortaſſe demutaret; ac præter, vt dixi, Theologica, non fuit cur magnopere debuerim frequentare mentionem eius. Itaque pro Keplero magis, quàm pro ipſo, iam te depugnantem ſpectemus.

Dixerat Keplerus, & ante eum Copernicus, terram, etſi tam fragilem, raptu iſto non diſſolui, quod metuebat Ptolemæus; quia motus eius eſſet *naturalis, non violentus. Quæ verò ſecundùm naturam ſunt, contrarios operantur effectus his quæ ſecundùm violentiam. Quibus enim vis vel impetus infertur, diſſolui neceſſe eſt, & diu ſubſiſtere nequeunt: quæ verò à naturâ fiunt, rectè ſe habent, & conſeruantur in optimâ ſuâ compoſitione.* Copernic. lib. I. c. 8. Reſpondit ANT-ARISTARCHVS, *vtrumque motum* (diurnum & annuum) *eſſe terræ naturalem, nemo facilè dederit. Ille ergo qui contra naturam mobilis erit, frangere, aut diſſoluere ipſum poterit.* Ant-ar. c. 10. Quod ſolito tuo ore *friuolum cauillum* vocas, ad quem *facilis & expedita reſponſio ſit.* Quæ autem? *Nam vtrumque*, ais, *motum naturalem dici poſſe, quòd à naturâ fiat, quiuis facilè concedet.* Atqui tamen Philoſophi & Aſtronomi paſſim pronunciatum illud Ariſtotelis, *Vnius corporis ſimplicis vnicum eſſe motum ſecundùm naturam*, pro axiomate habent: vnde, vbi cælum duplici motu agitatur, vnum à naturâ eſſe, alterum aliunde impreſſum palàm affirmant. Et tamen homo optimæ frontis, audes dicere, *cælum, Fromonde, tuum cauillum egregiè retundit*, quaſi nempe, *Solem duobus motibus à naturâ moueri, diurno & annuo*, vt ais, *quiuis ſit facilè conceſſurus.* Amabo te, mi Lanſbergi, crepidam tuam ſutor,

tor, id eſt, rem Medicam tracta. vt quid enim nubes & inania, imò cæleſtia captas, antequam eos legeris per quos aſcendere & iſta capere debuiſti? Quia igitur Philoſophi & Aſtronomi qui cælum mouent, motum Solis annuum, proprium & naturalem dicere ſolent, diurnum verò imprimi à mouente externo, elige tu etiam alterutrum terræ motum pro naturali; nam vtrumque talem eſſe, non *facilè conceſſerint.*

ANT-ARISTARCHVS *deinde*, inquiebat, *ſit vterque naturalis: motus tamen localis naturalis nónne aliquando mobile diſſoluit? Nónne gleba terræ motu naturali deorſum præcipitans diſſoluitur & diſsilit in ipſo lapſu?* Et quia Keplerus terram magnum quoddam animal, & motum diurnum ab animâ eius fieri exiſtimabat: *Nónne motus animalium progreſsiuus, naturalis eſt*, inquiebam, *& tamen membra noſtra laxat, luxat, & diſſoluit?* Quid ad hæc Lansbergius? *Reſpondeo*, inquit, *hæc naturaliter quidem moueri, ſed non ſine inſigni violentiâ; quia partes valdè concutiuntur, & colliſione nimiâ deſtruuntur.* Sed cur non hoc etiam in motu terræ valet? Quia, inquis, *in ſphæricorum corporum ſphæricis motibus res longè aliter ſe habet. Horum enim motus à violentiâ & colliſione maximè ſunt liberi.* At vir bone, τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι λαμβάνεις, *quod in principio petitum fuit, aſſumis.* Ariſtot.

Negamus, laxum, malè cohæſum, & multis locis in puluerem aut arenas diſſolutum terræ elementum, poſſe ſine colliſione tantam perferre rapiditatem; tu verò pro ratione affers, quòd motus eius ſit *à colliſione maximè liber*, id eſt, contradictorium ſumis: quod Dialectici vocant, *Principium petere.* Sed *tu ipſe*, ais, *adeò ab omni colliſione* motus ſphæricos *liberos putas, vt ſcribas, Superficiem elementaris ſphæræ glabram, glabrum ætheris concauum leuiſsimè deſtringere, ac mox deſerere.* Amphiboliâ implicas, quæ explicatè ANT-ARISTARCHVS. *Superficies*, inquit, *cæli glabra glabrum ætheris dorſum leuiſsimè deſtringit, & mox deſerit.* Sed, *quid hoc*, quæſo te, *ad noſtrum Bacchum?* Sphæra cæleſtis vna alteram, aut ætheris liquidi dorſum leuiſſimè deſtringit, quia nullis inter ſe aſperitatibus confricantur & colliduntur; igitur terræ & aquæ globus, partibus tam malè hærentibus compactus, rapido illo Copernicanorum turbine non diſſilit? Quis te Cleanthes, ὅλμος ἄτολμος, docuit iſtam conſequentiam? Et tamen per Ptolemæi ſtragem glorioſus incedens, *Iacet ergo*, inquis, *Ptolemæi* Ant-ariſt. c.16.

lemæi argumentum primum, *& ſtat immota D.Lansbergij reſponſio, neque hanc Fromondus vllâ ſophiſmatum vi potuit conuellere*. O imaginarium & Caligulæ triumphum, de Oceani tui conchis! Suet. c.46. Caligul.

CAPVT II.

In motu terræ diurno, aues, nubes, miſsilia reuerà redirent verſus Occaſum. Ptolemæus defenſus. Terra Copernicana nauis apertæ, non clauſæ, habet imaginem.

PTolemæus Pythagoricum terræ motum refellit, quòd *nec nubes, nec aliud quidquam volitantium, aut proiectorum, ad ortum ferri vmquam cerneretur; ſed terra omnia illa præueniret motu rapidiore, motuiq; eorum verſus ortum ita reſiſteret, vt cetera vniuerſa progredi ad occaſum derelicta viderentur*. Reſpondet Copernicus, *Non ſolùm terram cum aqueo elemento ſibi coniuncto ſic moueri, ſed non modicam quoque partem aëris, & quæcumque eodem modo terræ cognationem habent.* Ptolem. lib. 1. c. 7. Almag. Copernic. lib. 1. c. 8.

Negaui tamen cum Ptolemæo, aërem & nubes pari paſſu conſequi poſſe terræ raptum. Nam licet tota atmoſphæra (ſiue, aër terræ proximus in quem ſe expirant terræ & aquæ halitus) aliquam cum terrâ & aquâ cognationem habeat, trahi tamen eam (nec diffitentur principes Copernicani) à terrâ oportet, tardiuſque ſequetur quò longiùs à terrâ abſceſſerit, nubeſque non omnes æquâ velocitate terræ vertiginem ſectabuntur, ſed quæ excelſiores, ſegniùs mouebuntur. ſagitta etiam per axem horizontis directè in zenith excuſſa, quò altiùs aſcenderit, eò languidiùs comitabitur terræ raptum, ac proinde non tam præcisè recidet in idem terræ punctum, quàm ſi expulſa fuiſſet in minorem à terrâ diſtantiam. Hinc Peripatetici, qui elementum ignis & ſupremam aëris partem à ſphærâ Lunari rapi in orbem credunt, ſegniùs moueri partem à cælo remotiorem, nec eodem cum cælo tempore ambitum ſuum abſoluere docent. Quid tibi igitur vis, quando inquis, *Secundùm Ariſtotelis & Peripateticorum ſententiam voluuntur ſimul diurno motu pars quædam aëris ſupremi, elementum ignis, ſtellarum fixarum innumerabiles myriades cum octauâ ſphærâ; ac tandem Planetæ omnes cum ſuis orbibus & epicyclis?* Illáne omnia *ſimul*, id eſt, *pari celeritate* (vt planè aliquoties ibi ſignifi-

caſ) ab Ortu in Occaſum circumuectari, ex mente Ariſtotelis? Falſum omnino eſt; nec mirum, quòd, vt caſci illi dicebant, *vara ſequatur vibiam*, & ex illo antecedente inferas hoc conſequens: *Ergo magis poßibile eſt, vnicum elementarem globum pari celeritate ſecundùm omnes ſuas partes moueri poſſe.* Mi Lansbergi, vino dilutiore vtere, calore peccas, tibi *quodcumque repertum Rimanti telum ira facit.* delectu vtendum eſt, nec quidquid obiter in manus venit, ſtatim valet in vulnus. Ridiculum etiam eſt, quod de Ioue & Iouialibus aſtris, quaſi nuper nobis ex cælo Iouis deſcendiſſes, loqueris, & rem tenebricam per tenebras maiores infuſcas. Quis enim tibi, obſecro, reuelauit, *Iouis & Iouialium Planetarum ſyſtemata, neque continua eſſe, neque inter ſe contigua, & neutrum ab altero contineri?* Certè enim qui Mediceorum periodos nobis deſcribere cœperunt, inæquali ambitu ac celeritate ambire Iouem, & interiorem exteriore contineri exiſtimant. An autem à naturâ, an aliâ cauſsâ moueantur, ſiderum conſulti diſſentiunt. Quæcumque ea eſt, gemella eſt illi quæ aſtra Borbonia (alij Auſtriaca appellare malunt) Mercurium item ac Venerem agit circa Solem. Vnde, quia remotiora à principe aſtro quod circumludunt, tardiùs periodos ſuas abſoluunt (Venus enim nouem menſibus, Mercurius ſolis octoginta diebus, in ſyſtemate Copernicano, Solem exambiunt) exemplum iſtud cæli poſſumus in te retorquere, & inde conficere, partem aëris à terrâ remotiorem ſegniùs circumduci. Keplerus enim autumat Planetas illos vi magneticâ à Sole circumagi, veluti aërem telluris motu.

Quia vis attractiua in cælo corpora remotiora tardiùs trahit, terra etiam Copernicana nubes ſegniùs quã aërem ſibi proximum in orbem rapiet.

Sed cælo & terrâ à Ptolemæo victi, ad bellum nauale prouocare ſolent Copernicani. Et Iac. Lansbergius animoſè. *Nauis*, inquit, *exemplo id ad oculum oſtenditur. Nam cùm vnicum ſyſtema ſit, & aërem ſibi incluſum, nec non leuia & grauia pari celeritate ducat, certè natura idem poteſt circa elementarem globum, qui vnicum ſyſtema eſt.* Contendis igitur vniuerſam elementorum compagem, inſtar nauis & eorum quæ naui vehuntur, eſſe. Dic autem, ſodes, quiſnam ſit huius nauis fornix, ſiue tabulatum? Nam ſolidum Lunæ fornicem deſtruitis, & plerique veſtrûm diffringunt octauæ ſphæræ firmitatem, cælum Empyreum, *otioſorum monachorum* vocatis *inuentum.* Itaque carinam Copernicanæ nauis, id eſt, terram inuenio, non inuenio tectum; ſed omnia ſupernè libera & aperta, ſolumque tegi ſpatio chimærico quod ſupra cælos imaginamur.

Videant

Videant igitur, ne fortaſſe naui eorum eueniat quod Poëta ille metuit:

——ignis rectà per inane ſubiret Buchan. Sphær.
Materies ſurſum, nulloq́ coërcita vallo,
Externis nullis offenſibus indupedita,
Diffluerет per inane vagum, & diſperſa periret.

Ne, inquam, omnia elementa leuia euolent ex illâ ſuâ naui, vt ignis aut fumus è camino. Quamquam tamen etiam cautio ſit, nec ego ipſis id magnoperè metuam, ſi callidè trutinemus naturam illorum elementorum. Demus tamen naui Copernicanæ pro tecto (quia SS. Patres id iubent, & longè verius eſt) ſolidum Firmamenti fornicem, pateantque omnia à tellure vſque ad fixas. Hoc igitur in iſtâ naui eſt inprimis admirandum, quòd tectum non ſequatur carinæ motum. nam terrâ gyrante ſe rapidiſſimè in orbem, Firmamentum immobile manet, ſecundùm Copernicum, aut tardigrado & moroſiſſimo motu paullatim ſe promouet, ſi Phil. Lansbergij ſequimur hypotheſim.

Terra non eſt inſtar nauis clauſa, quia caret tecto quod pari motu incedat cum carinâ.

Hinc ergo liquet, nauem Copernicanam non eſſe inſtar onerariæ aut bellicæ nauis vndique clauſæ, in quâ tectum vnà cum carinæ fundo nauigat, ſed inſtar celocis, aut pontonis, qui cælum tantùm pro tecto habet: vel potiùs inſtar nudæ ratis, quæ nullis lateribus & marginibus circumſepta ſit. Itaque ſi velimus periclitari, quid euenturum ſit, ſi terra, ſiue nauis Copernicanæ fundum, nullo ſequente eam tecto, ab Occaſu in Ortum raperetur, ſumere oportet periculum in ratibus, aut nauibus ſupernè patulis. Iam verò compertiſſima res eſt, & *ad oculum oſtenditur*, vt Iac. Lanſbergij phraſi vtar, telum, aut quodcumque miſſile è naui apertâ in cælum directè excuſſum, non recidere in eam nauis velificantis partem, in quam recideret quieſcentem. Verumtamen terra cum circumiacentibus elementis naui, aut ciſtæ vndique, nullis etiam dehiſcentibus rimis, concluſæ comparari debet, non apertæ, inquiet Iac. Lanſbergius. *Nam licet*, ait, *elementaris globus neque lignis, neque parietibus ſit concluſus, tamen Deus omnes eius partes tam admirabili artificio diſpoſuit, collocauit, atque etiam tam firmiter coërcuit, ac ſi valuis & faſciis inuoluta eſſent.* Probat deinde, quia *terra denſum ac ſolidum corpus* (valdè ſcilicet, vbi cœnoſa præſertim eſt, aut pulueru lenta) *ex naturâ ſuâ alienos terminos non quærit.* De mari etiam valuis ſuis incluſo, iterat quæ

 nihil

nihil ad rem & ad firmam illam ac adamantinam elementorum compagem, quam toties fruſtrà inculcat; cùm terræ, aquæ, aëris nexus tam fluxus ſit & ſolutilis, quàm experimur & Cap. ſuperiori oſtendimus. Vnde faſciæ illæ quas paullò antè iactabat, ad inuoluendos ſolùm & faſcinandos pueros repertæ, ac nugæ ſunt quidquid hîc & alibi de adamantinâ elementorum firmitate, contra oculorum ſenſum loquaciſſimè balbutit.

Aër, deinde inquit, *terram & aquam ambiens, extra ſphæram ſuam nullos alios limites affectat, ſed intra illos manet ſponte ac inuiolabili naturæ lege.* Verum eſt, mi Lansbergi, extra cælos effluere non poteſt, ſed intra iſtam ſuam ſphæram lubricus eſt & fluctuans, facillimè denſatur ac rareſcit, in omnem faciem & figuram mutabilis. Itaque, cùm non portetur in naui vndique clausâ, ſed attrahi debeat tamquam à rate, vel carinâ aperti pontonis (à terrâ, dico, circa & ſupra quam liber & apertiſſimus aër, nullo mobili tecto coërcitus, euagatur & fluit) non ſequetur carinæ motum diu nec æquali paſſu. Nam licet rates, aut carinæ pontonum aërem contiguum nonnihil attrectent, & ſecum paullisper ducant, mox tamen deſerunt & retrò relinquunt. Similem, & adhuc propiorem imaginem habemus in ligneo globo per puluerem rapidiſſimè gyrato. Is enim contiguum puluerem leuiter ſecum abripit, & mox deſtituit. Sic igitur aëri terræ contiguo etiam eueniet: vt meritò dixerit ANT-ARISTARCHVS *terram mobiliorem, aërem ad motum illum pigriorem eſſe, nec pari celeritate vtrumque ferri.* Sed *huic obiectioni*, inquis, *præcedenti Cap. abundè à nobis ſatisfactum fuit.* Et à me abundiſſimè tibi, mi Lansbergi. Addis deinde. *Cùm grauia per ſpatium aliquod feruntur cum ſui alliſione ad aliud corpus, certum quidem eſſe, grauia celeriùs & longiùs moueri, quàm leuia (vt lapis proiectus celeriùs & longiùs mouetur, quàm pluma impulſa) tamen hac luctâ & colliſione ceſſante, & leuia & grauia, pariter impulſa, pariter procedunt: vt nauis exemplum manifeſtè monſtrat, quæ leuia & grauia ſuo alueo continens, ea pari celeritate ducit.*

Aër non portatur à terrâ, tamquam à naui clausâ, ſed attrahi debet, vt à ratibus aut pontone aperto.

Verùm, fruſtrà tuæ naui, bone Argonauta, vt polypus ſaxo, adhæres. Tene hoc ſemel; quæſo, & memori mente repone, ne toties tibi reddere oporteat: *Aër non portatur à terrâ, vt in naui clausâ, aut in Vlyſſis vtre, ſed attrahitur, vt aër qui nauem extrinſecus ambit, à naue.* Veluti igitur aër extrinſecus nauem inuol-[illegible] uens,

uens, paullisper attrahitur & ſtatim deſeritur, ita aër terræ contiguus, numquam cum parte terræ quam attingit, circulum totum ab Occaſu in Ortum abſoluet: ſed Louanio (exempli cauſsâ) verſus Ortum fugiente, aër attiguus mox ad Occaſum relinquetur, & Bruxellæ aduolanti occurret, ac parùm deinde ab eâ attractus & iterùm deſertus, à Gandauo excipietur, poſteà à Brugis, & ita perpetuò ab Ortu in Occaſum recedere parebit.

Probas tamen aërem, cælum terramque interfluum, tamquam naui concludi, eaque vehi, quia *terra tota aëri incluſa eſt, & aër terram ambiens ſuâ ſuperficie ſummâ globosâ cum fornice cæli ambientis (te ſcribente) non luctatur, ſed dorſo ſuo glabro glabram cæli ſuperficiem leuiſſimè deſtringit & mox deſerit*. Res prorſus amœniſſima. An igitur credis, quidquid eſt liquidorum corporum inter terram & proximum cæli fornicem, à terrâ diurno motu abripi? Igitur Planetæ & Cometæ omnes vnà rapientur, nec redire (contra oculorum & communem ſenſum) videbuntur ab Ortu ad Occaſum: nam Planetæ in liquido æthere tibi pendent, qui nobiſcum diffringis ſolidos orbes Planetarum. Circumſpectior Copernicus, qui aërem ſatis profundè infra Lunam, negat terræ motum comitari, ideoque ſublunares etiam Cometas refugos apparere in Occaſum, ritu Planetarum. Vnde manifeſtè iam aduertis, aërem iſtum mobilem non concludi ſupernè vllo fornice, quandoquidem motus eius elangueſcat & deficiat tam longè citra Lunam. Deinde, fac aërem attrahi ſanè & moueri à terrâ, vſque ad proximi fornicis (ſiue is cæli Lunæ, ſiue Firmamenti, ſiue Empyrei ſit) contactum, & *glabro ſuo dorſo* (quæ mea verba tam ſæpe perperàm in me reiicis, & longè extra ſcopum) *leuiſſimè deſtringere glabram fornicis illius ſuperficiem*; quia tamen fornix non comitatur terræ motum, ab Occaſu in Ortum, vniuerſus aër (ſiue ignis partim, aut quodcumque aliud corpus fluxum & liquidum ibi eſt) non portatur pari paſſu tamquam in naui, aut Vlyſſis concluſus folliculo, ſed trahi debet, tamquam ſi coquus (exemplum vile eſt, ſed honeſtius non eſt Kepleri veru quo terram aſſat ad Solem) molam quâ terit ſinapi circumagendo, vnà conuerteret pari celeritate vniuerſum culinæ ampliſſimæ aërem vſque ad ſummum lacunar. Quod an coqui veſtri faciant, inquire, obſecro, ab ipſis. Quid dicturi ſint, neſcio, certè noſtri me crederent dementire. Veluti ergo, inquam, coquus iſte molæ ſuæ cir-

Ant-ariſt. cap. 16.

Aër longè infra Lunam non rapitur pari paſſu cum terrâ Copernicanâ ab Occaſu in Ortum.

Veluti mola culinaria non rapit ſecum in orbem totum culinæ aërem: ita nec terra vniuerſum aëris elementũ.

circumactu, non rapit in orbem æquali paſſu vniuerſum culinæ ſuæ aërem; ita neque terra Copernicana totum elementum aëris vſque ad proximum cæli fornicem. Verumtamen, hactenus captauit me tantùm Lanſbergius, hîc verò planiſſimè (ſi triumphum & clamores eius audiamus) captus ſum. Inter argumenta quibus ANT-ARISTARCHVS aërem negat poſſe pari paſſu terram ab Occaſu in Ortum comitari, vnum hoc erat à ſufficienti diuiſione.

Ant-ariſt. c. 8.

Cauſſæ motrices Copernicanæ telluris.

Triplex maximè probabilis cauſſa fingi poteſt, cur aër circa terram vaporilentus cum terrâ in orbem vertatur. Vel, quia propter ſolam contiguitatem attrahitur: Vel, quia terra magnus quidam magnes eſt, qui vniuerſa circa ſe, terræ aut aquæ cognationem habentia, rotat: Vel denique, quia omnibus corporibus grauibus & eorum effluuiis in aëre ſuſpenſis, vis magnetica ineſt, quâ ſeipſa ſponte incitent & moueant in terræ ſequelam. Cùm verò cauſſas omnes iſtas repuliſſem, addidi: *Quando aliud nil reliquum eſt, ſi me audiant Copernicani, aliquot Angelorum & Geniorum myriadas per inferiorem aërem, quouſque philoſophiæ Copernicanæ expedit, diſponent, qui nubes, volucres, tela, & omnia in altum proiecta illicò excipiant, & verſus Orientem pari cum terrâ celeritate ferant, id eſt, maximas nugas agent.* Primus autem modus non poteſt magnopere diſplicere Iac. Lansbergio, qui vbique inculcat & reculcat aëris elementum vehi à terrâ, tamquam à naui, aut Vlyſſis vtre incluſum. Secundum modum elegit Keplerus, tertium Gilbertus. Sed cùm Iac. Lansbergius cerneret (ita ex ſcriptis eius ſuſpicari eſt proniſſimum) omnes ſat bellè ab ANT-ARISTARCHO reiectos, *Vt tibi in terminis*, inquit, *reſpondeam, ſcito argumentum tuum procedere ab inſufficienti enumeratione cauſarum: quia alia cauſa quàm tu enumeraſti, ad elementarem globum mouendum ſufficiens, excogitari poteſt.* Quis hîc non exſpectet lactis gallinacei hauſtum? Ex intimo meo ſenſu loquor, ingenti ſpe ad noſcitandam nouam hanc cauſſam & grande naturæ arcanum, me ſubitò erexiſti, mi Lanſbergi. Putaui, inquam, parturire montes: ſed ecce partus qui naſcitur, *Cauſſam illam & ego, & tu fortè ignoramus.* Nónne egregiè * κινδυνεύομεν ὄναρ πεπλουτηκέναι, vt olim Socrates, ſimili ſpe deluſus, id eſt, inani? Sed eum ſe diffundentem exaudiamus.

**Somnio ditati videmur,* Plat. in Lyſid.

Non eſt neceſſe, ait, *vt Geniorum myriades, aut magnetiſmos & huius generis friuola* (benè habet: Keplerus igitur & Gilbertus,

Coper-

Copernicanorum Principes, friuoli ſunt) *magis in auxilium vocemus, quàm vos qui totum cælum quotidie ſemel circumuolui dicitis. Nam ſiue id animatâ, ſiue inanimatâ vi, ſiue ab Intelligentiis, ſiue ab aliâ causâ moueatur, quam & ego, & tu fortè, ignoramus, certum eſt, nullam cauſam, neque aliquem modum excogitari poſſe de cælo, qui non vnà in terrâ ſeu elementari globo locum habere poſsit*. Hinc iſti antè in me clamores. *Quàm inconſideratè argumentum illud à te excogitatum fuerit, ſenties Fromonde.* Ac poſteà. *Vides igitur te cauſam tuam inſigniter prodere, & cæli motum ſiſtere, dum terræ motum oppugnare contendis.*

Nihil *ſentio* tamen, mi Lanſbergi: & blandis matribus ſimilis mihi videris, quæ filiolis ſolemne illud, *ſenties*, minantur, nec poſteà repræſentant ictus, linguâ meliores quàm manu. Quòd ego etiam *præuaricator, & diuerſam partem adiuuerim proditâ meâ cauſſâ*, iudicium tuum recuſo, & incompetens es in iſtâ cauſsâ. Vlp. l. 1. D. de præuaricat.

Quid autem peccaui? An quia dixi, *tres ſolùm cauſſas maximè probabiles*, aërem mouentes, *fingi poſſe?* Ecce, neque tu quartam inuenire potuiſti, præter illam quam deinde tibi ſuggeſſi, de Angelorum & Geniorum aduocando miniſterio. Sed quæcumque ex iſtis cauſſis cælos Planetarum mouet, inquis, etiam aërem mouere poteſt.

Vndique falleris. Nam ſi ſphæræ Planetarum ſolidæ eſſent, fortaſſe per contiguitatem à primo mobili abripi poſſent, vt multis nobilibus ingeniis hodie & olim viſum fuit. Aër verò, quia liquidi & fluxi corporis, non ita, nec in tantam ſurſum altitudinem, rapi à terrâ poteſt. Verùm, quia Planetarum vias peruias eſſe credimus; nec etiam ætherem pendenteſq; in eo Planetas, ab imminente Firmamenti fornice longè abduci exiſtimamus, probabiliter, aut ſaltem longè maiori ſpecie veriſimilitudinis virtutem ibi magneticæ ſimilem, quàm magneticam Kepleri in terrâ, quis finget. Si quis, inquam, ætherem & corpora Planetarum per virtutem fixarum tractoriam ab Ortu in Occaſum abripi dixerit, propiùs à vero aberit, quàm ſi aërem ſic à terrâ ab Occaſu in Ortum circumuehi putabit. Cauſſam ipſe fortaſſe videre poteras, niſi ira, & animi tumultus lucem tibi eripuiſſet. Vis enim magnetica, & omnis influentia cæleſtis (vt experimento conſtat, & Gilbertus egregiè demonſtrauit) tractu ſpatij elangueſcit, & in vicino ſemper, quàm in remoto, eſt intenſior. vnde magnes auidiùs &

Quia vis magnetica languidiùs operatur in remoto, terra Copernicana aërem ſuperiorem & nubes ſegniùs trahet.

velociùs ferrum ad ſe rapit, quò propinquior fuerit. Vis ergo magnetica terræ (vt docet ANT-ARISTARCHVS, nec diffitetur Keplerus) ſparſa per aërem ſurſum, paullatim remittitur, ac tandem euaneſcit. Trahet igitur aërem ſuperiorem (vt eum, in quo fluctuant & vehuntur nubes) tardiùs & languidiùs, quàm aërem terræ proximum & attiguum; cùm tamen ille velociùs trahi debeat, quia maiori circulo terram ambit, & proinde æquali tempore plus ſpatij, quàm infimus aër, conficere debet; aliàs retrò ad Occidentem redire omnes nubes cerneremus. Contrarium verò omnino virtuti cæli attractrici eueniret. Nam pars ætheris & Planetæ fornici fixarum propinquiores, per maiorem circulum & rapidiùs circumuehi debent quàm remotiores & terræ centro viciniores, quæ incedunt per anguſtiores circulos. Vnde motus iſti viribus virtutis attractoriæ contemperati eſſe poſſunt. Veluti enim virtus tractoria à ſphærâ fixarum deorſum effuſa, paullatim extenuatur, ita etiam debiliùs operari debet, & per minorem ambitum eodem tempore partem ætheris inferiorem in quam incidit, circumducere. Vides ergo iam, opinor, quomodo vis magnetica, aut magneticæ cognata, probabilior ſit in cælo, quàm in terrâ. Et alia quæ ANT-ARISTARCHVS Keplero obiicit, ſi paullulùm ingenioſus es, facilè auertes ne oppugnent & cadant in virtutem illam cæli tractoriam. An tamen vis aliqua talis ſit in cælo ſuperiori quæ inferiores trahat, nemo homo ſcire poteſt, & impedimenta video, quæ dicere iam non attinet: ſed quid in cæleſtibus illis, & tam longè abſentibus, ſatis vmquam expeditum erit?

Phil. Lanſberg. Progym. c. 21.

Tertius modus, qui Gilberti eſt (imò parentis etiam tui, vt primulùm iam videre mihi videor) aëremque cum nubibus & auibus, ac omnia miſſilia, propriâ ſponte terram comitari iubet, omnino etiam probabilior eſt in Planetarum corporibus. Quod facilè intelligitur, ſi quis Planetas animatos eſſe dixerit, quæ multorum olim SS. Patrum ſententia, aut dubitatio fuit. Nec enim in Vigilij Papæ & Synodi V. fortaſſe cenſuram incidet, reputabitúrve inter errores Origenis, niſi quis rationalem animam ſtellis dederit. Habeant igitur aſtra animam quâ ſe moueant, modò ea non ſit rationalis. Animam verò metallis, lapidibus, animalium cadaueribus, & omnibus vniuerſim in aërem miſſilibus, ipſiq; aëri aſſerere, pluſquam Stoicum eſt, & inter deſita veteris æui ſomnia.

Verum-

Verumtamen ſidera animâ etiam irrationali animare, valdè diſplicet. Communis enim SS. Patrum, Græcorum præſertim, aduerſus Platonem & Origenem ſententia eſt, cælos omnino exanimes eſſe. Aliæ rationes etiam me auertunt, quas hîc extra locum & oleas nolo ſpargere. Itaque modeſtia & circumſpectio Lipſij noſtri hîc placet. *Poſteriores Iudæos & Rabinos ſecutus*, inquit, *quidam noſtro æuo* (Bodinum fortaſſe in oculis habuit) *ſtellas animalia cæleſtia audacter aſſeruit, & ipſum Mundum animatum. Nobis modeſta ſententia ſedeat, quæ eſt Theologorum: qui animas quidem aut potiùs intelligentias coniunctas adtribuunt, ſed non vt* * εἴδη οὐσιώδη, *nec quæ faciant vnum corpus.* Sed de Intelligentiis mox. Si igitur cælos inanimes, & tamen à propriâ formâ moueri omnino velis, imaginanda eſt vis quædam inanimata, quâ ſe, admirandâ naturæ ſubtilitate, impellant per tot gyros & liquidi ætheris labyrinthos; ita vt vnuſquiſque Planeta, qui motus ſuos ad aliam normam modulatur & expangit, differentem etiam à naturâ virtutem motricem inſitam habeat.

Lipſ. lib. 2. differt. 14. Phyſiol.

* *formas eſſentiales.*

Sed ſimili virtute aër, nubes, aues, & quidquid in aëre pendulum eſt, inquis, mouere ſe poteſt, & terræ vertiginem aſſequi. Non poteſt tamẽ, mi Lansbergi, & cauſſam ANT-ARISTARCHVS tibi in oculos ingeſſit, niſi claudere maluiſſes. Nam aëris, & omnium in aëre pendentium vis in orbem motrix eiuſdem ſpeciei eſſe debet, quandoquidem eodem prorſus ingenio ac circa idem centrum per eoſdem circulos vniuerſa circumferantur, aut circumferri poſſint ab Occaſu in Ortum. In corporibus verò ſecundùm qualitates primas, item denſitatem, raritatem, aliaſq; ſecundas diuerſiſſimè diſpoſitis (qualia ſunt lapides, metalla, ſagittæ, aues, muſcæ, &c.) non poteſt virtus motiua eiuſdem ſpeciei eſſe æqualiter intenſa, nec vniuſmodi celeritatem efficere. Nam neq; omnes magnetes parem vim ferri attractoriam habent, & Gilbertus fatetur, ferrum largiùs de virtute ſe mouendi magneticâ, quàm cetera metalla bibiſſe. Hinc ergo fiet, vt non omnia eodem paſſu terræ raptum valeant aſſectari. nam illa in quibus vis magnetica intenſior erit & ad motum expeditior, leuiùs citatiuſque ſe mouebunt, alia ſegniùs, & à terrâ manifeſtè relinquentur. Deinde hoc admirabile eueniet, vt eadem res, prout vicinior aut remotior à centro terræ fuerit, remittat etiam aut intendat motûs illius circularis celeritatem, nullâ factâ in virtute motiuâ mutatio-

Longè probabiliorem ſpeciem veritatis habet, aſtra à ſeipſis in orbem moueri, quàm aërem & protecta ſponte ſequi motum terræ.

ne,nec attracta ab aliquo toto, cuius motum debeat ſequi. Vt v.g. miſſile aliquod,aut auis,quò altiùs à terrâ in aëre conſtiterit, ſpontè ab eadem virtute ſuâ motrice, rapidiùs ab Occaſu in Ortum in terræ ſequelá ſe excitabit,quàm ſi terræ ſit propinquior; quia maiorem iam circulum circumcurrere eam oportet. vnde vt terram pari paſſu comitetur,nec retrò deſeratur, debet gradus ſuos grandire,& incitare celeritatem. Scio poſſe hæc in ſpeciem eludi exemplo cæleſtium, & quia Planetæ nunc incitant nunc tardant ſuos motus, & mille gyros luſuſque ludunt in æthere, vt delphini in vitreo ſuo marmore. Sed diſcrimen eſt in promptu, ac (præter alias rationes,quas iam ſubterhabeo) per mutuos ſiderum aſpectus & exſtimulationes res iſta vtcumque poteſt expediri. Quòd idem graue etiam ex alto decidens,impetum in lapſu colligat, & in fine celeriùs quàm initio moueatur; parùm refert, nec minuit motûs circularis admirationem. Nam graue decidens,niſi anteà motum fuerit, non rapit maiorem impetum, ſed motus eius vires acquirit eundo (aut, quia aër à tergo affluens, ſæpiùs plagas iterat, & accelerare cogit, ſiue aliâ de cauſsâ quam alibi explicauimus) at verò in Philoſophiâ Copernicanâ quando idem corpus graue (ſine vllo antecedenti motu quo ſe excitet,aut ab alio per impulſum vel attractum excitetur) in altiori à terrâ diſtantiâ locatum fuerit, illicò motum circularem incitatiorem rapiet; quaſi admoneatur & quiſpiam ei aurem vellicet,iam accelerandum eſſe,ne terræ comitatum deſerat,ac ne videatur retrò in Occidentem reuerti. Quæ ἄδοξα & abſurditatis plena ſunt. & licet ab ingeniis pertinacibus & contradicere paratis, per obſcura quædam alia naturæ miracula vtcumque declinari poſſe videantur,facilè tamen,opinor,ex hac fugâ retrahi poſſunt, & vbi paulliſper intenderimus animum, alia apparebit ratio & ſatis euidens diſcerniculum.

Eſt etiam aliud,cuius iam in mentem venit. Si glebæ terræ & omnia grauia in aërem abiecta,ſpontali naturæ impetu ſequuntur telluris motum; cur non etiam ſponte reuoluuntur vnumquodque circa ſuum centrum? Certè enim, vt imitentur naturam & ingenium totius globi terreſtris, etiam circa ſua centra (ſaltem cùm in aëre pendent, imò cùm in ſuperficie terræ etiam iacent) circumagi debent. Terra phyſica enim tui parentis, vt nuper contendebas,gyrat ſe in orbem,& guttæ aquæ in ſphærulas ſe colligunt,

Tract. 1. cap. 5.

ligunt,vt totius elementi ſui in ſe exprimant indolem & imaginem. Itaque, cùm gleba terræ non gyret ſe ſpontè circa ſuum centrum, non eſt cur potiùs ſequatur ſpontè totius elementi motum ab Occidente in Orientem.

Quòd denique, Intelligentias aëri & aëris miſſilibus, in terræ ſequelam impellendis, tam præfici poſſe dicis quàm cælis; noli, quia ridiculum eſt, mi Lanſbergi.

Sidera enim ab aſſiſtentibus Intelligentiis in orbem torqueri, non Ariſtotelis tantùm & excellentiſſimorum humani generis ingeniorum, ſed multorum etiam SS. Patrum ſententia fuit, qui ordinatiſſimæ prouidentiæ diuini Conditoris & Rectoris intereſſe putauerunt, vt elementarem mundum per ſidera, & hæc per Genios & Intelligentias gubernaret. Et ſanè admirabiles illi ac tam certâ lege, per tot ambages & labyrinthos in liquido ęthere fugitiui & refugi circuitus, (an autẽ epicycli, an alio ſimili inſtrumento hîc vſus eſt, *Deus ſcit, cui eſt ſcientia veri*) vehementem ſuſpicionem faciunt aurigarum ſpiritualium, qui incredibili mentis acie, & extra defatigationis metum, illos cæleſtis Circi flexus & reflexus adminiſtrent. Sic enim etiam facilior eſt eorum intellectus, quæ aliquando futura ſacræ Litteræ ſignificant. Nempe poſt ἐκπύρωσιν & vniuerſi conflagrationem, ceſſatura tempora, & frænandum cælorum curſum. quod ſine vllâ violentiâ ac decentiſſimè fieri poteſt, ſi corpora cæleſtia, non impetu naturæ (vt lapis præcipitat è ſublimi) ſed aurigantibus & incitantibus Geniis reuoluantur. Ceſſent enim tantùm Genij motores ad imperium Conditoris, ecce illicò vniuerſa ſtabunt. Viderint verò Keplerus & Gilbertus, quomodo duplici tunc terræ raptui naturali (vti credunt) ſufflamen & quietem iniiciant. Si enim iſti duo motus nunc nobis dies & annos faciant, ſtare tunc, id eſt, in fine vniuerſi, debent, quando tempora nulla ampliùs current. Deinde ſi Regnis & Prouinciis præfecti ſunt Angeli, vt Scriptura ſacra fatetur, æquâ profectò aut potiori ratione debuerunt, aut certè potuerunt cælis, cauſſis videlicet illis vniuerſalibus, quarum influxibus & nutu pleraque in hoc mundo inferiori gubernantur. Et omnes pænè Philoſophi, qui diuinam prouidentiam & Intelligentias agnouerunt (id eſt, Academici, Peripatetici, Stoici) ita cenſuerunt. Ex motibus enim illis inenarrabilibus, quibus in mortalium, non in ſua commoda, eunt toties & redeunt, ſidera animata,

Longiſsimè verius eſt, aſtra Intelligentiis aurigantibus gubernari, quàm nubes, aues, proiecta ab iiſdẽ in terræ ſequelam impelli.

Senec.

Si Angeli moueant cælos, facilè intelligitur quomodo naturaliter ſtabit horum motus in fine ſæculi.

& quidem ratione prædita eſſe dixerunt. Qui autem altiùs in mentem eorum introſpexerunt, ingenioq́; illorum magis fauent, putant non animas informantes, ſed aſſiſtentes, id eſt Intelligentias Angelicas ſideribus inſeruiſſe. Nam aliàs, ſidera veris animis rationalibus, vt formis conſtitui, error eſſe putatur, damnatus olim in Origene. Soli igitur ferè Epicurei, aut quicumque ſublatâ Dei prouidentiâ, omnia in caſum dabant, negauerunt ſiderum gyrationes à mente aliquâ aurigante adminiſtrari.

Intelligis igitur iam, opinor, quàm non de nihilo cæleſtibus motibus præficiantur Angeli aurigæ. Vt autem, aërem, nubes, aues & muſcas volantes, ac omnia quæ in altum expuimus, aut eiicimus, ſtatim è manibus noſtris excipiant, vt pari motu in terræ conſequentiam portent, aut propellant, quis non illicò videat eſſe perperum & ſtultitiæ pleniſſimum? Et diuinos enim illos ſpiritus id dedecet, & diuinam prouidentiam nugacem facit; certè tamen id neceſſarium non fuit ad ſtabiliendum decentem illum vniuerſi ordinem, quo inferiora gradatim per ſuperiora gubernantur. Et aliæ cauſſæ ſatis promptæ ſunt, cur talis Angelorum opella ab inferiori hoc mundo debeat reſpui. Nec ignarus ſum, te fugâ Copernicanæ nauis hinc euaſurum. Angelus, inquies, tantùm moueat terræ elementum, aër & reliqua in eo pendula, ſponte ſequentur; veluti motus nauigij incluſum aërem & quidquid in ipſo pendet, aut per ipſum decidit, ſecum abducit. Sed quàm non conueniat hoc nauis exemplum, nec aër noſter à terrâ ducatur, vt ille naui incluſus, nauigij motu, ſub huius Capitis calcem explicabitur.

Sed Io. Bap. Morinum etiam in partes deinde ſollicitas, & *vix continuiſſe riſum*, ais, dum mea iſthæc legeret; quaſi cauſſam meam proderem, & argumenta quæ in terræ motum iaciebam, regeri poſſent in cælum. Vellem etiam tam vrbanus eſſes. ſed ridere neſcis; iraſci tantùm & inſpuere. Scientiæ, mi Lansbergi, liberaliores ſunt, nec debent tali ore tractari.

Iraſci tantùm & iurgari, ridere neſcit Iac. Lanſbergius.

Iterùm deinde nauis exemplum retractas, & durateo illo Copernicanorum equo inueheris; ſed nullo ſucceſſu (quidquid victoriam clamites) Ilium noſtrum oppugnas. *Si nauis*, inquis, *ſummâ celeritate moueatur, ipſa non ſolùm, ſed etiam aër ipſi incluſus, & leuia & grauia pari paſſu & celeritate ducentur. Docent id candelarum flammæ & fumi qui à candelis expelluntur. ardent enim quietè ſine*

ſine declinatione vllâ, eumdemq́ modum & ſitum ſeruant naui motâ, quem quieſcente naui tenebant. Hinc colligis nubes, in mediâ aëris regione pendulas, pari velocitate cum aëre & terrâ fluere verſus Orientem. Et ne cui dubium de grauibus ſupereſſet, ſolemnia parentis tui & Copernicanorum experimenta reuocas. Primum eſt. *Si quis ſagittam pari impulſu intra nauis foros primùm emittat Orientem verſus, deinde in Occidentem, vel aduerſo, vel comitante nauis motu, ſemper eamdem, vel circiter, diſtantiam attinget; plus nec minùs, quàm ſi nauis quieſceret.* Alterum eſt, de *pondere ab altiſsimo nauis tabulato dimiſſo, quod cadit ad perpendiculum, non aliter quàm ſi nauis immota iaceret.* In hanc ſcenam etiam hominem benè craſſulum, 200. *librarum*, in naui tuâ ſaltantem inducis; quem ab aëre naui incluſo (intereà dum ſaltat & in eo pendet) abduci facis. Et breuiter, omnibus iſtis experimentis (quia grauia quæcumque, vt ſagitta, pondus delabens, homo exiliens, vehuntur pari paſſu cum aëre naui concluſo) conficis, id etiam debere aëris extra nauem liberi & aperti miſſilibus euenire. Sed argumentum iſtud in quo tam magnificè ampullaris, venti plurimum, rei minimum habet, mi Lansbergi. Nam etſi antecedens daremus, conſequentia tamen eſt penitus nulla. Aër enim mundi elementaris tangit terram, non tamquam fundum nauis clauſæ, ſed tamquam apertæ. In naui enim clauſâ, quia tectum omneſque vndique parietes ſimul nauigant & pari celeritate feruntur, neceſſe prorſus eſt, aërem firmiter & ſine reſpiratione parietibus incluſum, deportari & vnà auferri. Non ſic verò aër terræ contiguus deportatur, quia nullo tecto ſupernè clauditur, quod pari paſſu cum terrâ incedat, & vnà cum ipsâ aërem intercluſum portet. Vnde, quidquid reſpuas, experimentum D. Gallæi à me allatum, eſt maximè ad rem. Is enim in mari Adriatico, vt mihi narrauit, è culmine altiſſimi mali triremis Venetæ, plumbeum pódus demitti iuſſit, viditque, non quò perpendiculum collineabat, ſed manifeſtâ declinatione verſus puppim cecidiſſe. Nec tanti moliminis experimento eſt opus. Quilibet in naui apertâ expuat, aut graue in altum excutiat, non recidet, ſine dubio, in illam nauis motæ partem, in quam recideret, ſi nauis fuiſſet ſine motu. Motus enim nauem ſubducit & aliò abducit, antequam graue in eam relabatur. Nec D. Gallæi experimento vſus ſum tamquam argumento ab apertâ naui ad clauſam (quaſi pondera decidua in clau-

Argumentum à naui clauſâ ad terram, futile eſt; quia terra nauis aperta, non clauſæ habet imaginem.

Ant-ariſt. cap. 8.

ſâ

ſâ perinde ac in apertâ verſus puppim declinarent;) ſed vt oſtenderem, cauſſam cur *non ita retrò agantur* in naui clausâ, eſſe penes aërem concluſum nec liberè diffluentem; quandoquidem, D. Gallæi experimento, res aliter eueniat, cùm pondus è culmine mali per laxum & patentem aëra decidit.

Sed contendis tamen aërem elementarem eſſe terrâ cæloque concluſum vt naui. *Falleris*, inquis, *ſi aërem elementaris globi abſolutè liberum credis. Eſt ille quidem liber & apertus, quòd neque lignis, neque parietibus concluſus ſit; tamen, vt nuper audiuiſti* (ita: voces inanes, mi Lansbergi, quibus aures, non mentem impleuiſti) *ita firmiter per Dei potentiam ſuis terminis & limitibus cohibetur, ac ſi ligneis & ferreis muris vndique munitus eſſet*. Dixi tibi, & adhuc itero. Nihil ad rem noſtram omnino refert, aërem vltimis mundi limitibus coërceri, niſi tectum illud vniuerſi eodem motu cum terrâ ambulet, & interclusum aërem vnà portet. Nam ecce, ſi globus in medio cubiculi vndique concluſi, circa centrũ ſuum rapidiſſimè conuertatur, non ſecum in orbem abripiet totum aërem vſque ad cubiculi fornicem. Pari modo, ſi nauis fundum rotundum & verſatile eſſet, & circumageretur, non conuerteret ſecum vniuerſum nauis aërem, præſertim ſi nauis ex maiuſculis ſit. Igitur nec terra Copernicana circa centrum ſuum ſe rotans poterit aërem quantumuis repagulis vniuerſi clauſum, in tantam altitudinem ſollitare, & velociori etiam, quàm ſeipſam (vt antè oſtendi) motu, rapere in orbem. Hinc exempla tua, à naui clausâ debes in apertam transferre. Excute igitur ſagittam nunc ſecundùm, nunc contra nauis apertæ motum: videbis illicò ictum à prorâ ad puppim (contra ſcilicet nauigij motum) eſſe altero breuiorem, quia puppis ſagittæ motui venit obuiàm. Pondus etiam è mali culmine in carinam apertam deciduum manifeſtò deuerget retrò verſus puppim. Saltet etiam tuus ille craſſulus ſaltator, longiùs ſaltabit contra quàm ſecundùm nauigij curſum; quandoquidem ſaltanti verſus puppim contra nauis motũ, pars fundi apertæ nauis ſub eius ſaltum intret, quam proinde videtur ſaltu ſuo emetiri; ſaltanti verò verſus proram ſecundo nauis motu, pars fundi quam ſaltu attingeret, elabitur, fugitque ante ipſum, fitque, comparatione ſubiectæ nauis, ſaltus breuior. Quæ omnia in motu terræ Copernicano, eodem modo euenient, vt diffusè ab ANT-ARISTARCHO eſt oſtenſum. Circumfluus enim

Terra Copernicana eſt inſtar fundi nauis quod in orbem conuertitur immobili tecto.

enim terræ aër non magis valet ſequi æquo paſſu terræ vertiginem, quàm aër pontoni aut naui apertæ contiguus, nauis curſum. Quod optimè intelligens Princeps & acutiſſimus Copernicanorum Keplerus, vincula quædam magnetica fabricatus eſt quæ tellus iniiceret aëri, vt eum ſibi deuinctum magis traheret, quàm nauis aperta (in quâ nulla vis eiuſmodi magnetica) contiguum ſibi aërem. Eamdem virtutem magneticam telluri inculcat eruditiſſimus VVendelinus noſter, qui etſi Philoſophiâ Copernicanus, Lansbergium tamen ridet, miratur Keplerum. Nimis enim cæcus eſt, qui in terrâ Copernicanâ non videt nauis apertæ (nullo modo clauſæ) apertam imaginem: & proinde vim magneticam, aut quid ſimile in terrâ imaginandum eſſe, quod vires ſuas in orbem diffundat, & veluti manus iniiciendo, aërem & vniuerſa in eo pendula raptet cum terrâ ab Occaſu in Ortum. Itaque velis nolis, mi Lansbergi, cæli terræq; interfluus aër (conceſſo etiam terræ motu Copernicano) non portatur, vt in clausâ vndique naui, aut Vlyſſis vtre; & citiùs pulmones ruperis, quàm hoc impetraſſis, vt ſoles, conuitiando. Igitur, quod ais celerrimâ & volante naue, pondus in eam demiſſum, ad totos 15. pedes receſſurum, ſi pondus cadendo ſcrupulum ſecundum (ſiue tuâ phraſi, vnum horæ momentum) conſumat, in apertâ naui ferè verum eſt (niſi quantulum aër naui attiguus, & ab eâ paulliſper auectus impedit iſtũ receſſum.) An verò etiam in clausâ receſſus aliquis, etſi longè minor, deprehendi valeat, ambigunt eruditi. Et negare apertè videtur Tycho, cui ANT-ARISTARCHVS ſimpliciter credidit, quia ad cauſſam parum referebat, cùm terra à ſimilitudine nauis clauſæ longiſſimè abſit. *Quòd quidam exiſtimant*, ait Tycho, *telum è naui ſurſum eiectum; ſi intra nauis latera id fieret, caſurum in eumdẽ locum motâ naui, quàm pertingeret hac quieſcente, inconſideratè hæc proferunt; cùm res longè aliter ſe habeat. Imò quò velocior erit nauis promotio, eò plus inuenietur diſcriminis.* Additque. *Pariter & in circuitu terræ, quoad magis vel minùs hæc euenire oportet. Licet enim omnia grauia terram, adeoq; eius centrum, ſi attingere poſſent, petant; id quidem reſpectu eiuſdem centri intelligendum eſt ad quod omnes eius partes vergunt, & cui innitentes conquieſcunt. At motâ intereà circumferentiâ terræ, non eamdem in ſuperficie partem attinget id quod ab eâ altè emiſſum eſt, quam peteret hac quieſcente.* Copernicani tamen exertè affirmant.

Ant-ar. cap. 8.

Tycho Epiſt. ad Rothman.

Et ſanè demonſtrationem, aut probabilem eius ſpeciem habeo, cur ita fieri oporteat, in quam ratiocinatio quædam nuper me deduxit. Sed quia per multa principia & in longum decurrit, hîc ſubterhabebimus: ad rem quippe noſtram & Copernicanorum parum aut nihil facit. Demus igitur, in naui vndique clauſâ perinde atque quieſcente omnia euenire, vt antè diximus; nego tamen terram Copernicanam eſſe naui concluſæ ſimilem, ſed potiùs rati, ſiue carinæ nauis (ſine coſtis, parietibus, & tecto) pariare eam oportet. Vel, ſi ingentem quamdam nauem imaginatione tibi deformas, cuius carina ſit terra, ſphæra verò fixarum, aut fortaſſe cælum Lunæ, tectum eius & parietes; imaginari tamen oportebit, ſolo motu & circumactu rotundæ carinæ (id eſt, terræ) in medio nauis quaſi pendulæ, aërem inter tectum & carinam circumagi. Et víſne experimentum huius rei manifeſtarium? Suprema aëris regio, & exhalationes quædam in eâ natantes, *deſtituuntur ob magnam à terrâ diſtantiam*, vt fatetur ipſe Copernicus, ideoque videntur, ait, more ſiderum oriri & occidere motu ab Ortu in Occaſum. Vnde planè apparet (& experientia etiam ſublunarium quorumdam Pogoniarum adfatetur) quò longiùs à terrâ ſurſum receditur, eò tardiorem eſſe aëris ab Occidente in Orientem raptum (ſi vera eſt ſententia Copernicanorum;) proindeque non aliter quàm terræ circumactu raptum illum fieri. Sic enim terra proximum & contiguum ſibi aërem rapidiùs, ſuperiorem verò languidiùs paullatim corripiet, donec tandem, diſtantiâ creſcēte, omnis omnino aëris motus euaneſcat: & quidem adhuc intra effluuia terræ hærendo; quandoquidem Pogoniarum ſublunarium exhalationes terrâ exſpirauerint, nec tamen eius motum aſſequantur, eoque minùs ac ſegniùs quò excelſiores fuerint. In naui verò vndique conclusâ, contrarium manifeſtè euenit. Nam pars aëris ſuprema & tecto nauigij intrinſecus attigua, celeriùs mouetur & orbem circumnauigat, quàm inferior quæ carinæ fundum attingit: quia videlicet vniuerſus ibi captiuus aër, velut vtre concluſus circumportatur, ideoque pars à centro terræ remotior, velociùs in orbem circumferri debet. Cùm ergo captiuitas illa aëris in aluo nauis vndique concluſi, ſit ſine dubio cauſſa, cur nulla pars aëris à motu nauis deſeratur, imò vt celeriùs circumferatur, quò longiùs à fundo carinæ ſurſum recedit, ideoque in naui clauſâ pondera ad perpendiculum recidant,


Copernic. lib. 1. c. 8.

dant, ceteraque perinde eueniant, atque ſi nauis quieſceret; certiſſimum eſt, nauis exemplum motui terræ Copernicanæ non conuenire, & proinde omnia tela quæ hoc bello nauali in Ptolemæum ex naui iſtâ ſpargunt, in irritum & ludibria ventorum cadere.

CAPVT III.

Ariſtoteles perperàm à Lansbergio reiectus. Pondera non recident in eamdem terræ partem, ſi ſit vllus terræ diurnus motus. Tormenti ictus in Occaſum quàm in Ortum re verâ longior in ſuperficie terræ apparebit.

HIc *imbellem argumentorum* meorum *aciem omnino diſsipas*, inquis. Macte, magnanime Alcides. Dixeram autem poſt Ariſtotelem, pondera non recaſura in eamdem terræ partem, ſi terra iis ſurriperetur motu Copernicano. Sit enim in iſtâ figurâ



orbis terreſtris B C D E. & ſumma aëris à terrâ diſtantia po-

 natur

natur I F G H. Si lapis ex puncto C. eiiciatur ſurſum in F. dico non recaſurum verſus A. centrum terræ, per lineam rectam F C A. ſiue, non recaſurum in punctum terræ C. vnde erat eiectus, ſed in punctum magis deuergens ad Occaſum, puta N. vel K. vel O. Nam eo tempore quo lapis iuit ex C. in F. & rediuit, punctum terræ C. motu Copernicano inde verſus Ortum effugit, & punctum N. aut aliud remotius, in locum eius ſucceſſit. Igitur in N. non in C. neceſſariò recidere debet. Quid tu ad hæc? *Argumentum*, ais, *falſo fundamento innititur, quia leuia & grauia in aëre hærentia, terræ motum poſſunt comitari.* Attamen, mi homo, in naui apertâ non comitantur, vt euidenti experientiâ patet; terra autem nauis apertæ, non clauſæ imaginem habet, vt antè toties tibi oſtendimus, nec pars aëris ſuperior, æquo paſſu terram (Copernici etiam opinione) ſequitur; vnde ponderibus ex alto recidentibus terra in Ortum, tamquam aperta nauis, ſe ſubducet, & ea verſus Occaſum manifeſtè recidere conſpicabimur.

Ant-ariſt. 68.

Miraris etiam, ſi Deo placet, *D. Fienum, virum doctiſſimum, hîc tam turpiter lapſum:* quia nempe tam parùm Copernicanus fuit. Sed ſi omnes mirari velis longè ipſo doctiores, qui etiam pro hypochondriacis Copernicanos habent, fatigaberis, aut inſtar Niobes in ſaxum ſtupore admirationis obrigeſces.

Plurimi viri elegantes & eruditiſſimi exiſtimant hypochondria tacta Copernicanis.

Sed decepit Fienum fortè, inquis, *Ariſtotelis & Eccleſiæ Romanæ auctoritas; quâ multi irretiti, non quid ratio & veritas, ſed quid auctoritas ſuadeat, perpendunt.* Eheu! Eccleſiæ Catholicæ ergo auctoritas, & Ariſtotelis, qui *humani ingenÿ finis* appellari olim ſolet, quàm Nic. Copernici aut Pythagoræ, vilior erit? Sed *ratio & veritas* ſtant à Copernicanis. Vtraque eos longiſſimè deſerit, mi Lansbergi: *ἀλογία* & falſitas militant in illis caſtris.

Georg. Buchanani etiam elegans in primis poëma adſcripſeram, quo Copernicanos exercet & refellit. Sed *quæ Buchananus ſcripſit, parui pendenda ſunt*, inquis, *quia, vt Poëta, vulgi opinionem ſecutus fuit.* Tantumdem de Empedocle, Arato, Manilio, Lucretio poſſes, qui rem philoſopham aut aſtronomicam verſibus ſunt complexi: nempe non ſuam, ſed vulgi opinionem carmine ſuo illigaſſe. Quaſi verò Poëta in re etiam maximè ſeriâ, & quam ſuſcepit enarrandam, debeat perpetuò mentiri, & nihil ex ſuâ mente dicere.

Sed

Sed ſi aues ad paſtum per aëra auolantes, nidos (quod metuebat Buchananus) abeuntibus cum terrâ ſiluis, non reperiant, *glires etiam, ais, è latibulis ſuis noctu vagantes, nidos ſuos in nauibus non reperient; nam paruo temporis ſpatio ad longam ſæpè diſtantiam cum nauibus abducuntur.* Cùm glires alatos nobis dederis, tibi hoc etiam accredemus. Probabiliùs veſpertilionem in naui nidulantem, & veſperi ad muſcas euolantem aucupatus fuiſſes. Vt enim aër naui extrinſecus circumfluus, non diu ſequitur curſum nauis, & dum in eo muſcarum ſtudium veſpertilionem tenet, facilè elabi extra conſpectum eius poteſt nauis; ita terræ & ſiluis contiguus aër deſeretur etiam retrò, & receſſu manifeſtiore, quò altiùs à terrâ diſtat. *Aues ad paſtum auolantes non reperient nidos, abeuntibus motu terræ Copernicano ſiluis. Diſsimile eſt in gliribus naui non euolantibus.*

Argumentum deinde Tychonis & meum, quo demonſtramus ænei tormenti ictum, in Occaſum contra terræ vertiginem, futurum longiorem, breuiorem verò in Ortum, terrâ ante globum fugiente, refellis ſanè egregiè. Si enim in illo eodem præcedenti ſchemate, aiebam, B C D E. ſit ambitus Orbis terræ, & ex puncto C. explodatur inſtrumentum verſus G. Orientem, impetu qui terrâ quieſcente valeat expellere pilam in punctum ſuperficiei terræ M. ſi terra iam in orbem circumcurrat verſus eamdem mundi partem, pila cadet, non in M. (ſicuti terrâ quieſcente) ſed citeriùs, in punctum L. Quia dum pila in aëre volat ab Occaſu verſus Ortum, terra Copernicana fugit ante pilam, & punctum C. aufertur vſque in L. & L. vſq; in punctum mundi imaginarium quod terrâ quieſcente occupabatur ab M. Vnde fiet, inquiebam, vt euaneſcente pilæ impetu, & emenſo toto ſpatio imaginario quod poteſt, pila in punctum terræ L. cadat, non autem in M. Quia punctum imaginarium, quod eſt terminus quò pertingere poteſt volatus pilæ, non occupatur ampliùs à puncto reali terræ M. quod inde verſus D. aufugit motu telluris, ſed à puncto terræ L. in quod proinde pilam decidere ſenſu manifeſto deprehendemus; eritque ictus iſte verſus Orientem tantò breuior, quàm eſſet ſi nullo motu terra in Ortum ante pilam fugeret. Contrà verò, ſi tormentum ex C. verſus Occaſum I. explodatur, terrâ Copernicanâ obuiàm occurrente, ictus erit longior, & pila quæ in punctum terræ quieſcentis K. decideret, cadet in O. quia punctum reale O. intereà dum pila volat, accurrit vſque in punctum imaginarium K. vbi eſt vltimus termi- Ant-ar. c.9.

nus quouſque impetus pilam auferre poteſt. Quomodo autem hæc refellis? Egregiè, vt dixi, & tuatim. *Tua collectio*, inquis, *eſt falſa, neque quidquam habet conſequentiæ. quia dum globus in Orientem tormenti ictu dirigitur, terræ & aëris motu in tantum contrà impellitur, quantum terra interim mouetur. Et cùm in Occidentem globus excutitur, in tantum eodem tempore communi aëris & terræ raptu abducitur, quantum terra diurno motu in Occidentem vergit.* Innitimini hoc tibicine, Copernicani, ſi ſtare vultis. Nónne tibi antè prædixi, pulſus arteriæ, quàm Copernicani motûs te callidiorem eſſe? Quid cum fidibus graculo? Relege tua verba, in quem mundi cardinem terra Copernicana moueatur, te neſcire fateberis. Itáne, *dum globus in Orientem tormenti ictu dirigitur, terræ & aëris motu in tantum contrà impellitur, quantum terra interim mouetur?* Scio, quid repones. Bonum Homerum hîc dormitaſſe, & perpetuò *Orientem* pro *Occidente*, ac retrò permutaſſe. Hunc igitur tibi ſomnum condonabimus; quamquam tu mihi nihil ſoleas, tam Rhadamanthus es & inexorabilis. Iubes me deinde in naui clausâ contra & ſecundùm eius motum ſaltare, aiſq; vtrumque ſaltum vnius longitudinis fore: ſed ſalta tu potiùs in apertâ, & miraberis à prorâ verſus puppim, id eſt, contra nauigij motum, te longiùs ſaltaſſe. Terra autem, vt toties antè tibi inculcauimus, apertæ naui, quàm clauſæ eſt ſimilior. Itaque, ſi tormentum in magnâ & aliquot milliarium conclusâ naui exploderetur, non pertinaciter abnuo, ictum contra & ſecundùm nauigij curſum, habiturum in ſuperficie carinæ eamdem proximè longitudinem: ſed deſtrue, amabo, tectum & parietes decumanæ huius nauis (id eſt, terræ ſimilem efficias) ſaxo, ictum à prorâ verſus puppim, intrante videlicet ſub ictum nauis motu, longiorem apertè videas. Sic ergo in ſuperficie terræ res etiam eueniet, ictuſque ab Ortu in Occaſum contra terræ vertiginem, multò longior erit, veriſſimaq; erunt quæcumque toto illo Cap. ANT-ARISTARCHVS diſſerit. Et tamen intrepidè & ſententiæ ſuæ ſecurus, Cato noſter Cenſorius, *Nunc liquidò conſtat*, inquit, *futilia eſſe omnia ac planè ad decipiendum excogitata, quæ Fromondus cumulatè adduxit Cap.* IX. *imò refutatione indigna eſſe; quia communi ſenſui & experientiæ reclamant.* Quid hîc eloquar? cachinnari magis iuuat. * Ὦ χελιδόνων μουσεῖα!

Tormenti aut ſagittæ ictus in naui apertâ longior à prorâ verſus puppim.

* *O hirundinum muſéa!* Ariſtoph. Ant-ariſt. cap. 9.

Rides deinde, quòd *tranquillo aëre ſegniùs nos in Occaſum ambulatu-*

bulaturos, dixerim, *& candelarum flammulas, ſi verſus Occaſum, contra aëris torrentis fluxum, transferantur, reflectandas in Ortum:* & iterùm me euocas, vt videam quid in naui Zelandicâ agatur. Sed non intro naues clauſas: error aliquis in iis latet, & doloſus Vlyſſes. In apertas tu veni, quæ telluri Copernicanæ ſunt gemellæ, & tam quàm ouum ouo ſimiles. Sed ne quid tamen etiam diſſimulem, fateor argumenta iſta mea de ſegniori in Occaſum ambulatione, & candelarum in Ortum reflexione (velut etiam aliud infrà, de ſono ab Ortu in Occaſum difficiliùs & breuiùs diffundendo) nõ ſemper fortaſſe valere, ſed ſolùm vbi aër Orientalis duplici terræ impetu montibus & ceteris telluris aſperitatibus duriter illiſus, aliquamdiu fugit ante terram ab Occaſu in Ortum. Nam vbi impulſus iſte aëris relanguerit, in longis terræ ab Ortu in Occaſum planitiebus, & terra aërem præuertere iterùm inceperit, omnia oppoſito modo euenient, & ſegniùs, tamquam aurâ reflante, in Ortum ambulabimus, & candelarum ac lampadum flammæ in partem occiduam annuent; quia aër contiguitate apertæ nauis auectus, retrò relinquetur, noſque in eum, velut à cardine illo Ortiuo reflantem, impingemus, quandoquidem æquali celeritate ſequamur terræ vertiginem. Cuius etiam ANT-ARISTARCHVS te admonuit, cùm alibi dixit, *ventum perpetuò nobis à cardine Orientis afflaturum, aut certè venti imaginem; quia aër qui curſum terræ aſſectari non poterit* (in ſententiâ eorum qui terræ contiguitate impelli & comitari volunt) *videbitur reflare in Occaſum.*

Ant-ariſt. cap. 11.

Aëre non valente æquo paſſu terræ raptũ ſectari, ventus aliquis perpetuò apparebit flare ab Ortu.

Ant-ar. cap. 11.

Sed lepidè etiam excuſas meam in re nauali ignorantiam. *Verùm*, inquis, *hæc Fromondo incomperta fuiſſe non eſt mirum, quòd fortè caballis equitare potiùs, quàm nauigare ſolitus ſit.* Fac, fac ſæpiùs, mi Lanſbergi. ô ſudum & lucidum interuallum! Perfunde me ſubinde molli iſto & lepido imbre, vt interquieſcam à ſaxatili nimbo, quo perpetuò me lapidas. Non ſum tamen fortaſſe homo tam mediterraneus quàm putas: quamquam mentiar, niſi pontonibus aut ſcaphis Moſam aut Scaldim ſæpiùs traieciſſe fatear, quàm equitauerim in ligneorum veſtrorum caballorum vẽtribus: id eſt, nauium telluri ſimilium vſitatior ſum; vt iuxtà ferè tecum reſcire poſſim, quid è nauibus poſſimus transferre ad terram in quâ nos Copernicus nauigare iuſſit.

De

Terra Copernicana ſimillima trocho.

De trocho, quid ſimilitudinem reſpuis? non fungus fungo magis ſimilis eſt, quàm trocho Copernicana tellus. Vt enim trochus turbine ſuo contiguum aërem in orbem conuoluit, & tamen aquam & quidquid capiti eius inſpueris, diſſipat, & ad aërem ſe tergit; ita terræ, ſimili turbine ſe rotanti, vſu veniet, & maria, flumina, puluerem in auras exſperget. Sed *aër*, iterùm inquis, *cum terrâ mouetur*. Ita, mi Lansbergi, veluti cum trocho: ſequitur, ſed diſpari & vacillanti gradu.

Argumento deinde cæleſti ac planè Iouiali probas motum terræ annuum, quo ſingulis horis 740. milliaria Germ. per Zodiacum terra Copernicana euolat, nihil adiuuare motum alterum terræ diurnum ad diſpergenda maria & quidquid ei non pertinaciſſimè adhæſerit; *quia circumiouiales Planetæ primùm*, ais, *diurno totius cæli, dein Iouis periodico, atque tandem propriis ſuis motibus celerrimè in cælo feruntur*. Sed quando in cælo Iouis fuiſti, vt hæc tam ſcitè & graphicè nobis deſcribas? Quia tamen ais *meam hypotheſin* eſſe, fortaſſis alicubi (iam enim memoria non eſt) quidpiam affine diuinaui. Demus igitur, motus Iouialium Mediceorum ſic adminiſtrari: attamen epicyclis forſitan illigati ſunt, aut certè prouidus Conditor tantâ firmitate eos fudit, quanta neceſſaria fuit, ne triplici illo motu, & liquidi ætheris affrictu diſſoluerentur. Qualem verò telluris orbem condiderit, oculis & manibus tangimus. Partes quippe eius plurifariàm malè hærentes, ſuperficies pulverea, aut aquis, fluxo & ſolutili elemento, operta; vt proinde tantam duorum aut trium motuum rapiditatem perferre non poſſint, quin diſſiliant, aut ſaltem aëris circumfuſi attritu fluctuent ac confundantur.

Aſtra Medicea, & vniuerſim omnia ſidera duriſſima & firmiter concreta ſubſtantia ſũt, vt facilè poſſint aliquot motuum rapiditatem perferre. Non ſic partes terræ ſabuloſa, pulverea, & malè hærentes.

Ant-ar. c.11.

Præcinente Buchanano dixerat ANT-ARISTARCHVS: *Siluæ & iuga montium aërem ibi pigriorem rapidiſſimo impetu ſecabunt, ſibilos & mugitus ciebunt, & cælum ac terram implebunt tumultu. eritq́; ſonitus iſte vocalior, quò omnia iſta excelſiora erunt: quandoquidem motus aëris iuxta terram velociſſimus ſit, & ſcanſim ſurſum ita paullatim elangueſcat, fatente Copernico, donec in ſupremâ aëris regione planè euaneſcat*. Cùm enim aër terræ circumfluus non portetur tamquam in vtriculariâ alutâ, aut naui Lanſbergianâ, *non poteſt*, dicebam, *pari celeritate terræ raptum comitari, niſi ab Angelo aliquo, aut Deo immediatè impelli dicant, id eſt, niſi nugas maximas nugentur Copernicani*. Quid tu ad hæc? Tamquam

homo marinus,& cui —— *tortâ cannabe fulto*
Cœna ſit in tranſtro,——

ſemper,etiam cùm in terrâ es, in naui te eſſe ſomnias, & aërem noſtrum pari velocitate à terrâ deportari. Quòd etiam dixerim Copernicanos nugas acturos, ſi ſciſcant ab Angelo, aut Deo immediatè ſine cauſsâ ſecundâ, aërem in terræ ſequelam compelli, *putidum cauillum* homo mellitæ linguæ & fragrantiſſimi oris appellas,aiſq; *præcedenti Cap.abundè ſatisfactum eſſe*, quando dixiſti terram ac aërem perinde atque cælum & cæleſtes orbes, ab Angelis poſſe moueri. Verùm, quantò probabiliori ſpecie ſidera & cauſſas illas vniuerſales, SS.quidam Patres putauerint ab Intelligentiis gubernari, affatim tibi repoſuimus, & Cap. illud reuiſe. Deinde, etſi terram ab Intelligentiâ circumgyrari quis cenſeat, aërem tamen ſolo affrictu, aut virtute ſaltem magneticâ terræ, vnà abripi, exiſtimare debet cum Keplero & Keple-Copernicano doctiſſimo noſtro VVendelino. Terra enim ſola eſt,quæ principaliter moueri deſiderat,vt ipſa & incolæ eius, Solis & ſiderum ex propinquo aut remoto excipiant influxus. Vnde aër ſegniori & titubanti greſſu ſectabitur, nec aſſequetur raptum telluris. Sic enim etiam qui ſidera ab orbium ſoliditate abſoluunt, & Intelligentias iis aurigas donant, ſolo eorum impulſu liquidum & interfluentem æthera moueri & circuire credunt: veluti in Circo, non ſuo, ſed circumcurſantium quadrigarum impetu, aër in gyros circumuoluitur.

Verumtamen nihil tibi cum Intelligentiis iſtis ſiderum, aut terræ aurigis,qui nuper Cap.proximo,operam eorum tam longè ſpreuiſti, vt *friuolam*, cum Kepleri etiam *magnetiſmis*, appellares. Tibi igitur alia quercus excutienda,vt cauſſam aliam aëris motricem reperias. Video autem,niſi me oculi fallunt, eam vnicè tibi vbique placere,quæ aërem nauibus Zelandicis, aut alutis luſoriis incluſum vehit,id eſt,contiguitatem locati ad locum vndiq; ambientem; quomodo etiam moto vaſe continente, vinum etiam vnà auehi oportet. Attamen iam toties à me audiuiſti, nauem Copernicanam nullo ſupernè tecto eſſe clauſam: aut ſi proximũ cæli fornicem tectum eius appelles, hic non ſequitur carinæ,ſiue terræ motum diurnum aut annuum; imò, Copernico & omnibus vobis adfatentibus, nec aër ipſe vſque ad proximum cælum rapitur cum terrâ ab Occaſu in Ortum. Et tamen totum vni-

uerſim, & quidem pari omnino paſſu, emoueri oporteret, ſi à ſimili cauſſâ moueatur quâ aër alter mouetur in naue clausâ, aut folle luſorio. Crede mihi, mi Lanſbergi, hanc ſalebram numquam tranſilies, quantumuis bonus ſis ſaltator. Vnde liquet, quanti ſit tuus Liber, qui totus pænè nititur hoc miſello fulcro: *Elementum aëris terram ambiens, moueri vt aërem in clauſæ nauis aluo*, vel (ſicut vulgus noſtrum loquitur) vt felem in ſacco. Itaque, quòd negas nos experturos, in editioribus præſertim locis, tamquam ventum ab Ortu contrà reflantem, ſi duplici terræ volatu, vno per 225. milliaria Germ. altero per 740. ſingulis horis rapiamur ab Occaſu in Ortum, perperàm facis, vti & in ceteris ad finem vſque Cap. exemplis. Nam perpetuò hoc falſum ſupponis, Aërem pari omnino & ad amuſſum gradu cum terrâ verſus Ortum, & tamquam in ſacco captiuum aſportari.

Lansbergij Apologia tota inædificata huic falſo & futili ſundo, Terram Copernicanorum ſimilem eſſe naui clauſæ; cùm potiùs ſimillima ſit apertæ.

Quod verò de Ioue tuo & Circumiouialibus ταυτολογεῖς, tibi iam aliquoties ad nauſeam diximus, quid vis iterùm audire? Plurimæ, inquam, cauſſæ motrices belliſſimè in cælos & ſidera cadere poſſunt, quarum nulla poteſt in aërem terræ proximum. *Somnium* deinde *febricitantis*, tamquam experiens Medicus, eſſe iudicas, quòd ſubridendo dixerim, terræ dandas eſſe alas quibus per orbem annuum volet, ſi motu animali, vt credebat Keplerus, orbem illum circumcurrat: dandas etiam aëri pares, vt eâdem circumciſè volatûs pernicitate terram valeat comitari. Nam *ſi terra animal ſit*, inquis, *terra tamen & aër, duo diſtincta animalia non erunt: non magis quàm caput & pes tuus duo diſtincta animalia ſunt*. Argutè. Neſcio, quibus tu baſibus inſiſtas, certè mei pedes continui cum reliquo corpore ſunt, non tantùm contigui, tamquam baſis cum ſuâ columnâ, aut terra cum aëre. Itaque terra & aër, licet contigua, duo tamen animalia erunt, volabuntque quaternis alis, vt grus cum proximâ grue, in eodem comitatu. Sed ſiue aër propriis, ſiue ſolius terræ alis volet: imò, ſiue alata, ſiue alarum remigio deſtituta ſit terra, modò volucris, aut animali motu circa centrum, aut orbem annuum ſe libret, vt plerique Copernicanorum credere ſoletis, illud adagiale fiet, * ἡ γῆ ἵπταται: quod veteres dicebant in abſurdiſſimis.

** Terra volat:*

In calce Cap. quæ de ſonis & circulis aëris inculcas, iam antè diſtinximus, quandonam breuiores futuri ſint in Occaſus (tamquam vento illinc in Ortum reflante) & quando breuiores in Ortus.

Ortus. Vtrumuis enim, ob aſpera aut plana terrarum, vti diximus, euenire poteſt. Cùm enim terra naui apertæ ſit ſimilis, nec aër circumfuſus vehatur, tamquam in naui aut vtre captiuus, ſed impelli debeat ad motum telluris; idcircò in illis regionibus quæ ab Occidente vallantur & præcinguntur montium catenis, aër impulſu montium in Orientem actus, & terræ motum celeritate aliquantum præuertens, imaginem cuiuſdam Zephyri ab Occaſu flantis nobis dabit, & circuli aëris, in campanarum ac in omni ſonitu, ab Oriente in Occidentem, quaſi contra venti flatum, erunt breuiores. Vbi autem ab Occidente omnia plana, aut ſine inſigni montium aſperitate ſunt (quemadmodum in Oceani Flandrici littoribus) contrà eueniet. Nam quia ibi aër nullâ montium plagâ verſus Ortum impellitur, ſed ſimplici terræ contactu attrahitur, ideò ſegniùs ſequitur, & retrò relinquitur à terræ motu: vt proinde neceſſe ſit, aërem Orientalem à terræ motu deſtitutum, obuiàm nobis occurrere, inſtar auræ Subſolani ab Ortu aſpirantis.

CAPVT IV.

Terra non pendet in aëre, vt corpus leue, ſed grauiſſimo pondere in centrum ſuum vndique incumbit. Motui ergo circulari reſiſtit. Vana eſſe omnia, quæ ex facilitate mouendi onera nauium in aquis, argutatur Lansbergius.

HIc iterùm ſolemni titubantis ſtili petulantiâ vndique me circuis. Næ, ſi parens tuus, vti vis, *non ex ſuâ, ſed Ptolemæi* Ant-ar. *ſententiâ* ſcripſit, *terram perinde in aëre pendere, ac ſi corpus leuiſ-* c.16. *ſimum eſſet*, egregiè Ptolemæo impoſuit. Ptolemæus enim numquam opinatus eſt, terram vt corpus leue ſuſpenſam eſſe. Suſpenduntur enim propriè corpora in ſublimi, terram verò deponit in centrum vniuerſi. *Si quis*, ait, *cauſſas motus grauium ad medium* Ptolemæ. *quærat, fruſtrà mihi facere videtur; cùm reipsâ manifeſtiſſimum ſit,* lib.1.c.7. *& terram medium mundi locum poſſidere, ponderoſaq; omnia ferri ad* Almag. *ipſam*. Itaque ſententia eius in Ariſtotelis & omnium qui verè Philoſophi, ſenſum cadit. Terram videlicet ponderibus ſuis libratam, & hemiſphæriis graui vndiq; incubitu in centrum idem nitentibus & inuicem reſiſtentibus, in meditullio, id eſt, infimo vniuerſi loco, ſuâ grauitate acquieſcere. Vnde ex eo quòd naturali

Terra propriè non ſuſpēditur in ſuo centro, cùm in infimo vniuerſi loco ibi ſit.

ſuo loco ſic librata quieſcat, inferre, poſſe etiam eadem aut maiori facilitate per aëra volare, nemo, niſi perperâ & vaniſſimâ conſequentiâ poteſt. Nam ſine impetu aliunde impreſſo, ſed ex naturæ ſuæ internâ propenſione in centro mundi ſe tenere poteſt, extra verò ipſum euolare aut emoueri, ſine vi maximâ extrinſecus incuſsâ, non poteſt. Nam dicere terram magnum quoddam animal eſſe, quod nullo alarum remigio, nullis, quæ intelligi poſſint, naturalibus inſtrumentis, per aërem ſe moueat, & ſpatio tantùm horario 740. milliaria Germ. traiiciat, nimis eſt melancholicum & deridiculum. Vnde, quòd ad minuendam admirationem ais, *animalia magna & ponderoſa, æquè ac leuia, moueri ſubtilium quorumdam ſpirituum beneficio*, verum quidē eſt, nam aquila non ſegniùs quàm hirundo per aëra remigat; attamen alas, neruos, & ſpiritus animales à naturâ ſatis validos habet, quibus corporis ſui grauitatem vincat & in altum leuet; talibus verò inſtrumentis, aut omnium mortalium oculi cæci ſunt, aut terra caret. Vnde cùm ais: *Grauitas terræ non ita reſiſtit motui eius, Fromonde, quin paruo negotio à naturâ moueri poßit*; velim à te reſcire, Lansbergi, quodnam illud *paruum negotium* ſit. Magna enim animalia magnas etiam alas & neruos habere oportet, vt tantâ præſertim rapiditate, corporum ſuorum grauitatem per aëra traiiciant.

Sed maioribus etiam neruis & viribus opus eſt, inquiet parens tuus, vt in aëre quieta ſine motu terra libretur. *Grauia enim*, ait, *in aëre moueri minùs nouum; nec miratur aliquis lapidem ſurſum iactum, per aërem ferri; ſed ea in ſublimi quieſcere, nemini vmquam viſum; & ſi contingeret, meritò mirarentur omnes.* Et tu patriſſans, *planè portentoſum eſt*, inquis, *corpus graue in aëre ſuſpenſum hærere cum quiete, in aëre autem motum hærere nemo miratur*. Ego verò nec mota, nec quieſcentia in aëre ſuſpendi tantopere, quantum vtriuſque μετεωρίαν, & humanæ mentis tenebras miror, quæ Ptolemæo, tamquam in mediâ luce deprehenſo, tam futili argumenti genere audet inſultare. Cogitate, quæſo, terram à Ptolemæo & verâ Philoſophiâ, non *in ſublimi* extra mundi centrum *quietam ſuſpendi*, vbi vos Copernicani iubetis eam volare, ſed in infimo loco, tamquam vniuerſi baſim & ſedimentum iacere, & propriâ grauitate naturaliter ibi conquieſcere; & pueri eſtis, ſi quietem iſtam pergitis admirari, & niſi nobiſcum admiramini & ridetis Copernici motum.

Sed

Sed non eſt tanta,ais deinde,terræ grauitas, quin Archimedes ſe emoturam eam centro ſuo ſperauerit, ſi locus ei extra terram dari potuiſſet, in quo ad mouendam eam ſtare poſſet. Hoc vis dicere, quod Regi Hieroni olim,inuento Chariſtio Pancratico Archimedes, *Δός μοι πού στῶ, ϗ κινῶ τὰν γᾶν, da mihi vbi conſiſtam*, ac inſtrumentum meum defigam, *& terram mouebo*. Et inde probas, quàm *paruo negotio* terra poſſit moueri, vt non ſit mirum, motu Copernicano tam leue corpuſculum volare. Sed ſcíſne, quot libras terreſtri globo donet Steuinus veſter? Totas 2|400|000|000|000|000|000|000|000. quod pondus, inquit, iugi decem annorum noctu diuque ſpatio, ab homine, qui ſingulâ quaq; horâ manubrium machinæ quater millies reuolueret,emoueretur tantùm ad $\frac{10512}{2400000000000000000000}$. vnius pe- Steuin.l. 3. prop. 10.
dis. Et hoc eſt illud leue pondus quod *paruo negotio*, ſingulis Praxis ſtatic.
horis motu diurno 225. motu annuo 740.milliaria Germ. iubetur circumuolare:

Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo, Virgil.
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent. ille actus habenâ
Curuatis fertur ſpatiis: ſtupet inſcia turba,
Impubeſq; manus, mirata volubile buxum.

Duplex enim iſta trochi vertigo, vna circa ſuum axem, altera vacua atria circum, graphica & gemella imago eſt duplicis motûs telluris. Næ igitur fruſtrà & fatuus fuit Archimedes, qui inuenti *Inſtrumentum Archimedis multis ſæculis Orbē terræ vno pede non emouebit.*
ſui gloriâ ſic exultauit,cùm multis ſæculis vno pede molem illam emouere non valeat, quam vnâ horâ tot centenis milliaribus Germ.volare inſtar trochi, fecit Copernicus.

Verumtamen terra motui circulari non reſiſtit,inquis,ideoque *paruo negotio à naturâ poteſt moueri.* Nempe hoc eſt quod ANTARISTARCHVS dixit,ex ſenſu tui patris, *terram minimo etiam digitulo impulſam in orbem poſſe circumagi*. Ant-ar. c.16.
Si enim nulla ei ad mõtum circularem reſiſtentia, quælibet minima vis illata eam ſuperabit & mouebit. Quod enim motûs capax eſt, nec contrario impetu aut vi vllâ ei reſiſtit,mouenti ſtatim & ad primum ac minimum impulſum obedit. Hinc,ſi vera ſententia Phil. Lanſbergij,aiebam ridiculum hoc poſſe euenire, Vt *pede vno in murum impacto, aut globo tormenti ſaltem in ſaxeum montem excuſſo,totum*

terræ orbem conuerteremus, & illicò ex die noctem, & retrò, ex nocte diem crearemus. Cur enim non poſſimus, ſi nulla in globo illo terreſtri ad motum circularem eſt reſiſtentia? Dixi, nec pœnitentiam ago. Et tamen, quæſo, camelum hîc ſaltantem ſpectate. *Hæc cùm lego*, inquit, *me continere nequeo, quin exclamem: Accurrite Hiſpani, Luſitani, Galli, Angli, Hollandi, Zelandi, & quotquot per maria longinquos terminos quæritis. Namque nouus Archimedes Louanienſis hîc ſe offert, qui telluris exemplo, ac inuento prorſus nouo & hactenus inaudito modum monſtraturus eſt, quo, deficiente vento & languentibus velis, haud difficile vobis erit, naues veſtras propellere & incitare. Quandoquidem enim leuiſſimâ venti aurâ mobiles ſint, & mobile ac liquidum aquæ elementum illis facilè cedit, huic ſi creditis, manibus pedibuſq; in proram irruite, & niſi vnus ſufficiat, decem aut plures ex robuſtiſſimis concurrant, atque hic manibus, ille pedibus in proram irruendo nauem impellat: & nauigatio ex animi ſententiâ procedet.* Quis credat huic homini ſanum eſſe ſinciput? Et tamen ad riſum oſtentare volui, & vt omnes videant cum quo Pancratiaſte luctam ſuſcepi. Verumtamen audi, Iac. Lansbergi. Gloriam naualis iſtius inuentionis meritò tibi relinquo, qui terræ nullam ad motum reſiſtentiam, naui minimam tribuis. Si enim nauis tam facilè in liquido elemento mobilis eſt, excita fatuos illos tuos proræ arietes, fortaſſe ventoſa tua inuentio pro vento illi erit.

Ridicula ſcena Lanſbergij.

Sed bellum & acutum eſt, quod etiam addis. *Videris certè*, inquis, *Archimedi Syracuſano inuentis tuis palmam præripere voluiſſe. Hic enim pro mouendâ terrâ extra terram ſibi locum dari petiit, tu verò in terræ globo permanſurus id promittis. At imaginatione ludicrâ & Philoſopho indignâ.* Tales imaginationes non à me natæ ſunt, ſed ex tuis parentiſque tui imaginoſis principiis. Dicitis terram motui circulari nihil obſiſtere; ego intuli, igitur vno pede, aut ſaltem tormenti ænei ictu, poteſt in orbem conuerti. Quomodo tu conſequentiam refelliſti? Clamore tantùm, vt ferè ſoles, & aduocando Zelandos aliquot nautas, qui incurrerent in ſtultæ, neſcio cuius, nauis proram. Debebas, tamquã parentis tui in Scholâ Copernici ſucceſſor, & magnus Magiſter, demonſtrare (aut ſaltem conari) tam vaſtum terræ corpus non poſſe perfunctorio vnius pedis incuſſu conuerti circa ſuum centrum, aut aliud affine balbutire. Sed neque ſic bellè defungi poteras. Nam vaſtitas

corporis,

corporis, niſi ex multitudine partium reſiſtentiam mobilis augeat, non retardat motum: vobis verò placet, terræ, quantumuis vaſtæ, nullam ineſſe ad motum circularem reſiſtentiam. Vides igitur iam, mi Lanſbergi, quomodo tu ille Archimedes Zelandus, ille Briareus, qui Orbem terrarum, tam leuiter centro ſuo innitentem, vno pede valeat circumagere, & ex die noctem & ſomnum nobis facere.

Quòd verò me etiam laudas, quaſi affirmarim elementari aëris ſphæræ nullam ad motum circularem reſiſtentiam ineſſe, facis lepidiſſimè. Dixi enim alicubi (hoc enim aſylum eſt, in quo ſæpè te abſcondis, *Atque oculis capti fodêre cubilia talpæ) ſuperficiem cæli glabram, glabrum ætheris dorſum leuiſſimè deſtringere, & mox deſerere.* Ant-ar. cap. 16. Nempe quia concauus proximi orbis cæleſtis fornix, putatur eſſe glaberrimus, & quia in eodem ſemper veſtigio circumuoluitur, non impellit ſanè contiguum ſubiecti ætheris dorſum, quaſi ſpatium eius nitatur inuadere: vnde deſtringit ſolùm leuiſſimè, & nihil, aut minimùm in ſequelam ſuam trahit. Eſtne hoc, ætherem nullam ad motum circularem reſiſtentiam habere? Imò potiùs aliquam habere diceres, quia raptum glabri fornicis nihil, aut non longè ſequitur. Deinde, leuiſſimus æther, eſtne grauiſſimum terræ elementum?

Sed videris etiam inde remoram aliquam quæritare, ne veſter Orbis terræ tam facili pedis vnius impulſu valeat circumagi; quòd hic impellens ſit in terrâ, Archimedes tamen poſtulauerit locum vbi conſiſteret extra terram. Verùm alia eſt tua, alia Archimedis cauſſa. Ipſe enim grauiſſimum & verum Orbis terræ elemētum, immani pondere centro ſuo incubans eleuare; vos imaginarium tantùm, & centrum ſuum leuiſſimè ambientem quemdam Pythagoricum globum gyrare debetis. Inſtrumenti etiam machinâ vſurus erat Archimedes, quam oportuit extra mobile ad eleuandum defigere: vobis tanto molimine nihil opus, qui tam leuem & ſpontaneam ad motum circularem tellurem creditis, vt nullâ reſiſtentiâ vel minimâ ei obſiſtat. Nec mirum, aut in mechanicis inſolens eſt, vt quis circularis, quam inſidet, machinæ circumactu, ſe etiam ipſum vnà circumducat. Deinde, idcircò tormenti ænei volante, nec telluri inſidente, pilâ excuſsâ in montem ſaxeum, tantum miraculum faciliùs vos patraturos dixi.

Pede vno, aut ſaltem ænei tormenti in montem ſaxeum ictu, Orbis terræ circumagi poterit, ſi nulla ei ad motum circularem reſiſtentia.

Sed hoc etiam non debet effugere. Argumento à parte ad

totum

Ant-ariſt. cap. 16. totum dixerat ANT-ARISTARCHVS, *falſum & contra experimentum eſſe, terram ſuâ grauitate non reſiſtere motui circulari. aliàs enim pars terræ à ceteris auulſa, ſine reniſu & difficultate poſſet in orbem duci, nec caballi noſtri tanto anhelitu curulia onera circulari tractu mouerent in terræ ſuperficie*. Quid ad hæc noſter Ariſtarchus? vix dignatur linguam, aut calamum mouere. *Nolo rationibus*, infit, *tecum agere, ipſi ſenſus te doceant. Videmus enim naues adeò vaſtas hominum induſtriâ parari, quæ ſeptingenta aut nongenta onera portent. Intra harum foros ſi quis duo aut tria tantùm onera caballis tuis mouenda obiiciat, non ſine reniſu & inſigni anhelitu id efficient, neque ad id perficiendum paruus caballorum numerus ſufficiet. Si quis tamen vnicum dumtaxat atque alterum caballum extra nauem in littore collocet, non tria tantùm aut quatuor onera, ſed nauem & nongenta onera, & caballos & homines qui in naui ſunt paruo negotio ducet. quia nauis fluido aquæ elemento incumbens minorem reſiſtentiam habet. Quid futurum cenſes, ſi adhuc minor vel nulla reſiſtentia adeſſet, vt in elementaris ſphæræ motu contingit?*

Hoc igitur, opinor, voluiſti dicere. Caballi curules maiore anhelitu paruum onus trahunt in ſuperficie terræ, quàm nauem longè onuſtiorem ducant per aquam: igitur ſi onus non in aquâ, ſed in aëre leuiore nataret (vt Orbis terræ Copernicanus) Pegaſus alatus, etiam vnus, iniecto leuiter vnco, ſine anhelitu aueheret. Hem, quàm legiſti & intellexiſti Archimedem * περὶ τῶν ὀχουμένων ἐφ' ὑγρῷ? Scin' enim cur nauis, etſi tam onuſta, in aquâ tamen natet? Quia leuior eſt, quàm aqua eiuſdem molis, docebit te Archimedes, aut etiam Seneca, ſi ex Latio auctorem mauelis. *Aliquid graue & leue eſt*, inquit, *non æſtimatione noſtrâ, ſed comparatione eius quo vehi debet. Itaque vbi aqua grauior eſt hominis corpore, aut ſaxi* (nauem potuit addere) *non ſinit id quo non vincitur, mergi*. Igitur non merguntur naues, quando vniuerſum ex ligno, oneribus, & aëre intercluſo concinnatum nauium, vt Statici appellant, volumen, leuius eſt quàm ſolidum corpus aquæ, quæ impleret iſtud idem ſpatium. Eadem prorſus Staticâ ratione, ſi quid in aëre natat, & ab eo ſuſtentatur, veluti nauis ab aquâ, debet eſſe leuius aëre. Cùm ergo elementum terræ ſit infinities quodammodò aëre grauius & propenſius, nemo, niſi fatuellus, exiſtimare poteſt, ipſum in liquido & mobili aëris elemento, ceu

* *de iis quæ vehuntur humido?*

Senec. lib. 3. c. 25. Natural.

nauem

nauem in aquâ, niti & fluctuare. Vnde patet iam vanitas & fatuitas argumenti, quo ex mobilitate onerariæ nauis, innixæ liquido & lapſabundo aquæ elemento, colligitur eadem aut maior facilitas mouendi totum terræ elementum in aëre. Nam terræ grauitas non aëreo & futili fundo incumbit, ſed vndique in centrum ſuum conuerſa, molem illam in meditullio mundi continet, ſine periculo casûs. quò enim vis cadat id quod ſpatium nullum habet ſe inferius? Vnde veriſſimè Spiritus ſanctus, *terram ſuper nihilum* (audin'? non ſuper aërem) *appenſam* dixit. Hinc ergo opinor, vides, quàm elumbis incedat iſthæc parentis tui ratiocinatio. *Videmus grauia*, ait, *vt lapides ſurſum proiectos, pilas ferreas è tormentis bellicis exploſas, ceſſante motu, neceſſariò aërem deſerere, atque in terram recidere. quin imò, ne ipſis quidem auibus, quamquam alarum remigio à Deo inſtructis, diutinam eſſe in ſublimi manſionem. ceſſante enim alarum & corporis agitatione, aliorum inſtar, in terram ſubſidunt. Terra igitur, cùm ſit corpus grauiſsimum, ſine motu in aëre pendêre nequit, ſed ex lege perennis librationis, ſemper in eo mouetur.* Vbi vir optimus metuit, ne, quemadmodum alia grauia euaneſcente motu in terram recidunt, ita terra ex aëre in ſeipſam (quò enim aliò poſſet?) decidat. Sed nimis timidus fuit. Terra enim non habet quò cadat, quandoquidem in imo ſit; cetera verò grauia, extra terræ globum in aëre peregrinantia, in terram, niſi motu ſuſpendantur, recidunt, quia terra mundi & omnium grauium centrum eſt.

Fatuũ eſt, exiſtimare terram in aëre, vt nauem in aquâ ſuſtineri.

Iob. 26.

Phil. Lanſberg. Controu. 1. de motu diur.

Itaque imaginatio illa quæ terram in aëre, tamquam lapidem in ſublimi, ſuſpendit, anilis & lippientium aliquot ex vltimâ antiquitate Philoſophorum fuit, quos collyrio olim Ariſtoteles reduxit ad ſanitatem. Thales aiebat eam ab aquâ ſuſtentari, Anaximenes, Anaxagoras, Democritus malebant ab aëre ſuſpendi, & latitudinem eius eſſe cauſſam cur non poſſet decidere. Xenophanes radice quadam infinitâ infernè eam firmabat, Empedocles vertigine cæli vndique ambientis in medium repelli canebat. Quidam per ſpatium infinitum perpetuò deciduam, Pythagorici & vos per circulum annuum circa Solem, volantem feciſtis. Sed omnia hæc vetuſtiſſimorum ægrotorum ſomnia ſunt: vigilate tantùm, diffugient, & ad mentem & veritatem redibitis. Reponite ſolùm terram in centro ſuo, ecce ibi ſponte acquieſcet, nec opus tot choreis & motibus eam contra lapſum fatigare.

Ariſt. lib. 2. c. 12. de Cælo.

Si igitur terra non ſuſpenditur & fluitat in aëre, ſicuti nauis in aquâ, profectò ingentibus viribus opus eſt, ad moliendum & mouendum, etiam tardiſſimè, tam enorme & ponderoſum corpus, firmandumque perpetuo motu, vt dicitis, ne ex ſublimi in neſcio quod centrum decidat. Quod hinc licet æſtimare. Nam ex diſciplinâ Archimedis & compertiſſimâ conſtat, corpora grauia in humido aut quocumque liquido graui mota, tantum amittere grauitatis ſiue propenſionis ad motum deorſum, quanta eſt grauitas liquidi per quod mouentur. Hinc natatus piſcium in aquâ eſt longè, quàm volatus auium in aëre, facilior. Nam auis volando totum pænè corporis ſui onus ſuſtinere in ſublimi debet, quandoquidem aër ſurripiat ei ſolummodò tantulum ponderis, quantula eſt grauitas aëris, paris quoad molem corpori auis volantis. Elementum verò aquæ, tantò denſius & grauius aëre, multò magis leuat piſcem; quia ſurripit illi pondus ęquale ponderi aquæ, quæ impleret locum quem in aquâ occupat corpus piſcis. Vt, exempli cauſsâ, fac piſcem eſſe grauem vt 6. aquam verò vt 4. grauitas piſcis in aquâ eſt ſolùm vt 2. & ab iſtis tantùm duobus gradibus corpus piſcis deprimitur. vnde virtus natatrix debet ſolos illos duos gradus ſuperare, cùm alij 4. in aquâ non grauitent, nec nitantur piſcem in fundum detrahere. Et hinc etiam liquet, quantò maiori tractabilitate onera in aquâ, quàm in aëre regi poſſint & moueri: ac proinde, vt iterùm antè dixi, argumentum Iac. Lanſbergij, quo ex facilitate iſtâ nauem mouendi in aquâ, demonſtrat facilitatem (& quidem maiorem, ſi Deo placet) motûs & volatûs terræ per aërem, vanum & pſeudomenum eſſe. Si enim Orbis terræ per aëra volat, vis mouens, vniuerſum propemodum eius pondus ferre & ſuſtinerę cõtra ruinam debet, quandoquidem minimam particulam aër ei detrahat, vt de auibus paullò antè monebamus. Quænam verò eſt iſta tanta vis terræ motrix? Non eſt eius anima, quia terra corpus inanime eſt, nec apparent vlla in eâ inſtrumenta animalis motus. Non virtus magnetica, quia terra magnes non eſt, & ſatis ANT-ARISTARCHVS virtutem illam à terrâ ſpreuit, tuque Kepleri & Gilberti *magnetiſmos* derides & reſpuis. Geniorum, ſiue Intelligentiarum, hîc operam in friuolis etiam habes. Et ſanè multas huic operi myriades pænè nugaciter admoueri oporteret, quæ non tantùm ſingula ædificia, plantas, aut animalia, ſed ſingulas terræ arenas aut pulueres,

Piſces minus ponderis natando portant in aquâ, quàm aues volando in aëre.

Cauſſa ſecunda mouens Copernicanã terram nulla probabilis afferri poteſt.

res,ſingulas aquarum guttas contineant,ne tam rapido & inſano terræ turbine diſſiliant; aut certè,quæ ſingulas fluidi & fluxi aëris atomos vbique diſtinctis officiis & curis ſic regant & impellant, vt numquam vel latum vnguem (niſi ventis, aut aliter aliò propulſæ) terræ comitatum anteuertant,aut ſegniùs ſequantur;quoniam nullum eſt ſolidum huius terreſtris nauigij tectum,quod ſupernè aërem includat,& eum cum terrâ æquo paſſu nauigare cogat,vt fusè antè diſſeruimus. Quære igitur aliam cauſſam ſecundam, ſi vis; numquam, aut mentior, inuenies. Deus tamen per cauſſas ſecundas, ſolemnes iſtos in rerum naturâ motus efficere & adminiſtrare ſolet. Quieſcat igitur terra,& ſenſui noſtro faueamus,quandoquidem cauſſam eius motricem nullam reperire valeamus, nec vlla ratio hactenus,niſi ſophiſtica,ſenſus noſtros correxerit.

Sed *cælum*,ais,*octauum, te volente, omnium corporum naturalium maximum,* 24.*horarum ſpatio ſemel circumducitur.* At enim iam toties tibi dixi,à quibus cauſſis cælum moueri poſſit, à quibus tamen terra non poſſit. Nec vaſtitas corporis eſt ſemper immobilis, quando non reſiſtit motui (vt ſi cælum nec graue nec leue ſit, quod Ariſtoteli placet) aut cauſſa ſatis ad mouendum potens ei admouetur: qualis in cælis belliſſimè poteſt, in terrâ non bellè poteſt.

Attamen fluxu & refluxu cottidiano multa maria, inquis iterùm,à *ſubtili Lunæ influentiâ* ducuntur; igitur *terræ grauitas haudquaquam naturæ obeſt, quò minùs illam mouere poſſit.*

Cauſſa marini æſtus in promptu eſt, cauſſa volatus Copernicanæ terræ, ex nullis naturæ arcanis erui poteſt.

Sed aliud eſt, molle & multo ſpiritu turgidum ſalſi maris elementum fundere & leuiter inflare; aliud,terræ Orbem cum omnibus aquis, plantis, animalibus, metallis, lapidibus, ac vniuerſis grauibus,tantâ rapiditate,duplici inſano motu per aërem raptare. Deinde fluxus & refluxus maris cottidie in oculos incurrit,& cauſſam parabilem ac promptam in motu lunari habet, cuius leges obſeruat; motum verò terræ ſenſus omnes reſpuunt (certè tamen nullus agnoſcit) & quidquid hactenus ingenia ſua fatigauerint Copernicani,nullam terrâ cæloque probabilem eius cauſſam potuerunt reperire. I iam,Lansbergi, & virili ſupercilio dic argumenta mea *meram infantiam ſapere*, cùm languidum & puerile hoc totum tuum Caput in cunis vagiat.

TRACTATVS TERTIVS.

PTOLEMAEI & ANT-ARISTARCHI magnâ ſtrage, vt credis, editâ, cum Scripturâ ſacrâ nullum Copernicanis eſſe bellum iam oſtendis. *Oſtendimus*, ais magnificè, *Solis & cæli motum diurnum abſurdum eſſe, & à ratione alienum.* At verò nos abſurdiſſimè Soli & cælo detrahi, & dari terræ oſtendimus. *Deinde omnes argutias, quibus tamquam tenebris doctrina hæc à varijs variè impedita fuit, diſcuſſimus.* Veritatis lucem clamoribus magis quàm argumentis perturbare, aut tenui quarumdam argutiolarum caligine obnubere voluiſti, quæ ſpontè ac ſine magno ſtudio tactæ diſſilierunt. *Adeò vt nihil ſcrupuli huc vſque manere poßit vlli, qui cum ratione & iudicio volet agere.* Hoc peponibus, non Philoſophis oportuit te ſcribere.

CAPVT PRIMVM.

ACIEM hîc ſolùm & ordinem inſtruis, quo parens tuus Scripturæ ſacræ teſtimonia, quæ agminatim in Copernicanos immittuntur, diſſipat. Quàm viriliter, ſpectatores mox erimus.

CAPVT II.

Ex Scripturâ ſacrâ lucem aliquam ſcientiis naturalibus accendi poſſe. Qui negant, impij ſunt. Hoc enim eſt, Deum rei naturalis ignarum, aut mendacem facere.

S. Paul. 2. Tim. 3. QVia Apoſtolus dixit, *Omnem Scripturam diuinitus inſpiratam, vtilem eſſe ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitiâ, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus,* negauit Phil. Lanſbergius, *vtilem eſſe ad inſtitutio-*

nem

nem quæ eſt in Geometriâ & Aſtronomiâ. ANT-ARISTARCHVS multis SS. Patrum Latinorum, Græcorum teſtimoniis oſtendit, plurima in Scripturis ſacris ſparſim inueniri, quæ in rem naturæ, & humanarum ſcientiarum lucem valere poſſint. Verba SS. Patrum iterùm hîc reſcribere, nihil vſus; Medicum iam potiùs loquentem audiamus: fortaſſe enim Iac. Lanſbergius Medicus auctoritatem eius vilem non habebit. Franciſ. Valleſius eſt, inter Æſculapij filios ingenio & eruditione (ſic cenſent vniuerſi) ſummus. Is in limine SACRÆ PHILOSOPHIÆ, quam ex variis carptim Scripturæ ſacræ locis contexuit, *Cùm quædam*, inquit, *in ipſo ſermonum* (Scripturæ ſacræ) *ductu texantur naturalia, ea omnia veriſſima eſſe exiſtimo: vtpote quæ à ſummè vero Dei ſpiritu dictata ſint, & ab ipſo Auctore naturæ fluxerint, quem latere nihil potuit. Velut profectò contexta ſunt in his libris quàm plurima pertinentia ad hiſtorias, quæ & ipſa aliorſum ſpectant, quàm vt antiquiorum facta & geſta prælia homines nouerint. Nemo tamen pius & Catholicæ Eccleſiæ filius putauerit, vel latum vnguem à veritate deuiare, aut rem aliter, ac narretur, geſtam eſſe. Cur non ergo eodem modo cenſeas de hiſtoriâ naturali? Nolit enim nos Deus naturales rerum cauſſas & ortus docere, vtpote quas nos certò ſcire, non adeò referat ad æternam ſalutem, atque ob id, de illis ne ediſſerat; ſed cùm obiter aliquid attingit, cur nos decipiat? Certè decipi non poteſt neque decipere: ſiquidem ſummè ſapiens & bonus eſt. Atqui naturales rerum cauſſas ſcire, vt non eſt ad ſalutem æternam neceſſarium, ita neque quidquam lædit.* Ac poſt pauca: *Veterrimi Philoſophi horum lectione ſunt plurimùm adiuti. Proinde ego, perfectis iam in omnes Auditorios Ariſtotelis de naturâ, & quàm plurimos Hippocratis & Galeni de re Medicâ libros commentariis, quod Deus conceſſerit vitæ reliquum, ſtatui in his philoſophari: tum quoniam nullâ aliâ ratione cenſeo certi quippiam de naturalibus* (arrige aures Lansbergi) *haberi poſſe; tum quia neſcio, quomodo eorum lectio, etiam hiſtorica, aut phyſica, animum pietate imbuit latenter. Quare huic lectioni conſecrare ſenectutem æquum eſt putare, ſcripta eſſe mihi hactenus Philoſophica ad opinionem, hæc autem ſcribi ad veritatem.* Satin' diſertè? Nihil ſanè velim, aut poſſim addere. Et hæc grauiſſimi & erudititiſſimi viri, tanto iudicio & affirmatione pronuntiata, ſatis eſſe poſſunt ad difflanda quæcumque contrà tenuiter nectitis & cauſſificamini. Et tamen terres me, quòd *Apoſtolo*, ſi Deo placet, *expreſſè li-*

Ant-ar. cap. 7.

Franciſcus Valleſius Procem. Philoſ. ſacræ.

Res naturales Scripturis ſacris intertextæ non magis à veritate recedunt quàm hiſtoricæ.

tem intenderim. Cur ita autem? An quia dixit, *Omnem Scripturam diuinitus inſpiratam, vtilem eſſe ad docendum, arguendum,* &c. ſequitur, ad diſciplinas humanas docendas, aut intelligendas inutilem eſſe? Quis te Chryſippus docuit tam varam conſequentiam? Si quis Iac. Lansbergium medicinæ Zelandorum vtilem affirmauerit, ad ceteráne dicit telluris inutile pondus? Quid attinebat omnes ibi Scripturæ ſacræ vtilitates tam explicate enarrare? Non volebat Apoſtolus Timotheum ad Geometriæ aut Aſtronomiæ ſtudium impellere, ſed ad comparandam ſcientiam muneri Epiſcopali neceſſariam, *vt homo Dei,* ſiue Epiſcopus, *perfectus & inſtructus eſſet ad omne opus bonum.* Non eſt, fatemur, principale propoſitum Spiritus ſancti, diſciplinas humanas (vti nec hiſtorias) per Scripturæ ſacræ campum diſſeminare; ſemina tamen quædam earum, diuinis illis permixta, excidunt quandoque; quæ nec ipſa falſa eſſe poſſunt, quia veniunt à tali & diuinâ manu. Spiritus ſanctus vbique ſanctus & verax eſt, nec in minimis iuxtà ac maximis poteſt vllum ei mendacium excidere. Sed *nuſquam,* ais, *Apoſtolus alium Scripturæ ſacræ vſum agnoſcit, quàm illum quem Lansbergius ei tribuit, doctrinam, redargutionem,* &c. Cur enim id feciſſet? an quia Geometriam venerat docturus, *Prædicator & Apoſtolus, Doctor Gentium in fide & veritate?* Sufficiat tibi dixiſſe, *Deum non mentiri,* &, *Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis.* Poſteà ex proportione diametri circuli ad circumferentiam, non ſecundùm omnem præciſionem à Spiritu ſancto expreſsâ, colligis cum patre tuo, Scripturam ſacram nihil ad Geometriam & diſciplinas humanas conducere. Næ profectò odioſus homo, & nimis nugator es. Cur igitur tu antè Tract. 11. Cap. 1. vt probares elementum aquæ non poſſe exundare & tranſilire fines ſuos, iuſſiſti me Spiritum ſanctum apud Iobum audire? *Audi,* clamabas, *Dei Spiritum loquentem: Clauſit oſtiis mare, poſuit nubem veſtimentum eius, & caliginem faſciã,* &c. Quid enim vis eum audiam, qui in re naturæ, te iudice, nihil certi & comprehenſi dicit? Cur deinde pater tuus, tot congeſtis Scripturæ ſacræ ſententiis, ternarium cælorum numerum comprobauit? Nempe vobis ſolis Scriptura iſta facta eſt, alij non ampliùs inde decerpere in rem naturæ poſſunt, quàm ex Æſopi fabulis.

Non fuit neceſſe, Timotheo omnes Scripturæ ſacræ vtilitates ab Apoſtolo enarrari, ſed neceſſarias muneri Epiſcopali.

S. Paul. 1. Tim. 2. Tit. 1. 1. Tim. 3.

Iob. 38.

Phil. Lanſberg. Comment. de tertio cæl.

Quantò circumſpectiores & prudentiores vobis alij Copernicani, & inter eos primos Clar. VVendelinus noſter, qui ex Scripturâ

râ ſacrâ veriſſimam & cælo conſentientem Chronologiam hinc vſque ad Diluuium deducit, plurimaq; cottidie naturæ arcana indidem eruere non ceſſat. Nam ecce etiam nuper, vt vobis, ſaltem in ſpeciem, ſuppetias veniret, ex Iobo per iſtas ambages & argumentationis labyrinthos, Copernicanum terræ motum educebat. Vbi enim S. Hieronymus vertit, *Numquid Heſperum ſuper filios terræ conſurgere facis?* Legebat ipſe, *Numquid axem*, ſiue, *polum ſuper filiabus ſuis quieſcere facies?* Nam עַשׁ ſiue עַיִשׁ putat ſignificare axem & polum, à radice עוש quod *congregare* ſignificat; quia circa polum coëunt & congregantur omnes Meridiani. Non quieſcit igitur polus (mihi inquiebat) ſuper filiabus ſuis, id eſt, ſuper ſtellis; quæ proinde ſunt immobiles eo motu quo mouetur polus. Quis autem eſt iſte polus, aiebat, irrequietus ſuper quieſcentibus ſtellis? Profectò, non cæli polus; igitur polus terræ: ac proinde totus terræ Orbis cum polis ſuis & axe, cælum & ſtellas fixas circuit annuo motu. Ingenioſa ſanè, ſed nimio acumine exerrans ratiocinatio. Nam inprimis תַנְחֵם non ſignificat *quieſcere facies*, ſed, *conſurgere facies*, aut potiùs *ἄξεις αὐτὸν*, *duces eum*, vt LXX. aut ad verbum, *duces eos*, vt Pagninus & alij verterunt. Deinde inſolens eſt, עַשׁ *axem* aut *polum* intelligi, cùm non tantùm S. Hieronymus, ſed LXX. *Heſperum* hîc reddiderint, alibi verò *Pleiadas*, & S. Hieronymus *Arcturum*. Vnde certum eſt, עַשׁ ſtellam, aut conſtellationem aliquam ex illuſtrioribus eſſe, non verò *polum*, præſertim terreſtrem. Omnia enim de quibus Iobum ibi interrogat Deus, cæleſtia ſunt, nec niſi poſteà deſcendit ad terram. Non de nihilo tamen S. Hieronymus & LXX. *Heſperum* interpretati ſunt, quia proximè præceſſit, *Numquid produces* מַזָּרוֹת *ſtellas orientales*, aut, *Luciferum in tempore ſuo?* vt ei videlicet opponatur Heſperus, qui paret ab Occidente. Verumtamen ſi Lector acutè circumſpiciat, intelliget tres iſtas voces Hebræas, עַשׁ כִּימָה כְּסִיל *Ghas, Cima, Ceſil*, quæ apud Iobum, & aliquando in Prophetis reperiuntur, ſignificare propriè tres conſtellationes maximè nobis conſpicuas, Booten cum ſuo Plauſtro ſiue Vrsâ maiore, Hyades ſiue Pleiades in Tauro, & Oriona. Permutantur tamen interdum iſta nomina, imò aliis etiam ſideribus illuſtribus (vt Heſpero, &c.) quandoque tribuuntur; quia, vt optimi Interpretum aduerterunt, Hebræi rei ſideralis minimè curioſi, cæleſtium nominum penuriâ etiam laborant. Itaque ſtet

fixum-

Iob 38.

Ingenioſa D. VVendelini ratiocinatio.

Iob. 9.

Ghas *apud Hebræos non ſignificat* polum, *ſed aliquã ſtellarum congregationem.*

Amos 5.

fixumq́; ſit, עַשׁ non ſignificare *polum* (præſertim terreſtris globi) ſed illuſtrem illam iuxta cæli polum, Vrſæ maioris cum ſuo Arctophylace ſeu Boote, conſtellationem. In quâ, quia Arcturus ſolus primę magnitudinis eſt, & velut ceterorum minorum ſiderum pater, idcircò eodem nomine, quo tota conſtellatio, עַשׁ *Ghas* (quomodo etiam ludiciſſimam in Lyrâ, Lyram appellitant Aſtronomi) ſolet appellari, & vicina, ac eiuſdem quaſi familiæ ſidera, ipſius filij vocantur. Vnde locum iſtum ex Hebræo graphicè & verbatim ſic tranſtulit Pagninus: *Numquid Arcturum cum filiis ſuis duces eos?* Nam עַל quod S. Hieronymus vertit, *ſuper*, ſæpè poni pro עִם *cum*, ex variis Scripturæ locis nimis eſt compertum. Quia verò filij iſti, ſiue ſtellæ minores Principem ſuum quodammodò criniunt, & inſtar comarum hàc illàc laciniatim diſperſarum videri poſſunt, ideò Interpretes LXX. loco, *cum filius ſuis*, ἐπὶ κόμης αὐτοῦ, *ſub*, aut, *cum comâ ſuâ*, belliſſimè verterunt. Itaque licet in veſtigandis naturis rerum, quæ in fertili ſacrarum Scripturarum agro ſparſim deliteſcunt, aliquando aberretur, quia verum Scripturæ ſenſum quandoque non aſſequimur; id tamen ceteris eius dogmatibus eſt commune. Vbi verò de legitimo eius ſenſu conſtiterit, omnia, ſiue dogmata Fidei neceſſaria ad ſalutem, ſiue hiſtorica, ſiue res naturæ fuerint, pari & diuinâ auctoritate ſtant ac firmantur, quia pariter vniuerſa illa *Os Domini locutum eſt.*

3. Reg. 7. 2. Paral. 4. Sed Scriptura, inquitis, narrat Salomonem *feciſſe mare fuſile decem cubitorum à labio vſque ad labium, rotundum in circuitu, &* tamen *reſticulam triginta cubitorum cinxiſſe illud per circuitum:* vbi non exprimit circumciſam proportionem diametri ad circuli circumferentiam. Si enim diameter fuit 10. cubit. circũferentia erat 31. cubit. & paullulùm ampliùs. Quid ergo vultis? Spiritum ſanctum debuiſſe nobis illam proportionem cædere, & naturæ arcanum euulgare, quod nec Archimedes, nec vllus hactenus mortalium inuenit, & multi in ambiguo ponunt, an inueniri poſſit? Satis ergo fuit Spiritui ſancto obiter & aliò tendenti, nihil falſum dixiſſe. Vbi enim ſunt 31. ſunt etiam 30. & ſolemne eſt in numeris, minutias quaſdam excreſcentes contemni. Deinde, cùm Scripturam iam reuiſo, non ait ſummum labium & circumferentiæ marginem fuiſſe 30. tantùm cubitorum, ſed *reſticulam*, ſiue, *funiculum*, qui mare æneum cingebat, fuiſſe 30. cubit. Cinctura

verò

verò iſta erat aliquantulùm infra ſupremum labium vbi vas illud erat maximè patulum, & vnde paullatim in anguſtias ſe arctabat verſus fundum. Hinc de altero inferiori & inſculptili circulo narrat: *Et ſculptura ſubter labium circuibat illud, decem cubitis ambiens mare.* Vides ergo iam (quando ſic tricari amas) Scripturæ veritatem reddi poſſe, ſecundùm omnifariam Geometriæ præciſionem. Nam *reſticula* illa, vt dixi, non coronabat ſummum & latiſſimum maris ænei labium, nec circumferentiæ par erat, ſed aliquantum infrà, vbi vas anguſtius ipſum circumligabat. Denique, vt fila aranearum, quæ texis hîc & retexis, ſimul & ſemel excutiamus; nobis ad euincendos Copernicanos ſufficit, Scripturam ſacram in omni materiâ, etiam hiſtoricâ, aut naturali, eſſe veram, & id in ſenſu maximè proprio, niſi circumſtantiæ, aut ratio euidens flagitet traduci ad metaphoram. Vnde quòd ais, eam negligere quaſdam in Mathematicis præciſiones, & relinquere artificibus, quis id neſcit? ſed iſto mantelo numquam ſe ſatis tegent Copernicani, modò (quod Chriſtiani omnes confiteri debent) Spiritus ſanctus eloqui falſum non poſſit.

Falſiſſimum quoque eſt, Auguſtinum (& quare eum non legis, vbi loci indicium tibi fecit ANT-ARISTARCHVS?) *erraſſe occaſione Scripturæ in quæſtione naturali & Aſtronomicâ.* Non enim negauit, aut Orbem terrarum eſſe rotundum, aut homines aduerſa nobis recalcantes veſtigia poſſe ibi ſine lapſu conſiſtere (in quo pueriliter, non ex Scripturâ ſacrâ, ſed ex imaginatione ſuâ allucinatus eſt Lactantius) ſed errore Ariſtoteli, Ciceroni, & toti ferè antiquitati, communi lapſus eſt, negauitque noui Orbis terras, aut ſolibus exuſtas, aut aquis obrutas, aut certè deniq; hominibus ex vno Adamo progenitis, interiectâ Oceani vaſtitate, impenetrabiles, habitari. Eſtne hoc in Aſtronomiâ aberraſſe? Falſitatem certè iſtam non Aſtronomia, ſed Columbi & Hiſpanorum nauigatio confutauit. Qui niſi tamen ætatem meam anteceſſiſſent, σιβυλλιάς & ſpiritu prophetico mihi edicis, negaturum me fuiſſe Antipodas cum Auguſtino & ex meis Bibliis. *Fit mihi omnino veriſimile*, ais, *quòd ſi experientia nunc tandem, Antipodes dari, non docuiſſet; Theologi quamplures Aſtronomis cedere noluiſſent* (non contendiſſent potiùs, mi homo: nam Aſtronomi plerique Theologis in Antipodum negatione conſentiebant, neque ex ſolâ Aſtronomiâ eos certò diſcere potuerunt;) *ſed fortè in*

D. Auguſt. non errauit in re Aſtronomicâ, occaſione Scripturæ ſacræ.

Lactant. lib. 3. c. 23.

D. Auguſt. lib. 16. c. 9. Ciuit.

hunc vſque diem ex ſuis Bibliis, de Antipodibus cum Aſtronomis diſputaſſent. Et tu, Fromonde, qui inter alios, verâ rationis luce abnegatâ, Scripturis adeò mordicus inhærendum cenſes, iurares, credo, Antipodas non dari. O te vatem! imò, betam & blitum! ita omnia languent & betizant.

CAPVT III.

Malè quibuſdam exemplis, Scripturæ ſacræ, ad rerum naturalium intelligentiam, inutilitas à Iac. Lansbergio oſtenditur.

PErſeueras Scripturam ſacram ad res naturæ intelligendas inutilem facere: & cùm dixiſſem, Moyſen ſcientiam natu-
Ant-ariſt. c.7. ralium, quam Geneſi ſuâ nobis deſcripſit, *partim ab Aegyptiis, aut traditione Hebræorum, partim à Spiritu ſancto infuſam accepiſſe*, tu vis totam *à magiſtris Aegyptiis habuiſſe*; metuens opinor, ne quid veri dixerit in totâ illâ hiſtoriâ naturæ. *Diuinam ſcientiam*, inquis, *quæ ad ſalutem ducit, à Spiritu ſancto infuſam habuit, humanas autem ſcientias ſimiliter habuiſſe infuſas, non tantùm incertum eſt, ſed etiam falſum: quia Scriptura dicit Moyſen ſcientias illas non ex reuelatione habuiſſe, ſed ab Aegyptiis. Act.7.* Quid ais? Negátne Scriptura *ex reuelatione* quidquam ſcientiarum humanarum
Act.7. *habuiſſe?* Lego enim ſolùm: *Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientiâ Aegyptiorum.* An non potuit omnem eorum ſapientiam veram ac falſam iuuenis hauſiſſe, & adultior ac ſcriptioni ſacræ iam deſtinatus, veriore ac ſinceriore à Deo perfuſus eſſe? Et vnde tibi conſtat, ſapientiam Ægyptiorum fuiſſe illam quam de cælo & elementis nobis tradidit in ſuâ Geneſi? Nónne deinde, ſi ſapientiâ Ægyptiorum vti vellet, à Spiritu ſancto ſacri Scriptoris ſtilus ita regi debuit, vt nullibi extra veritatis terminos exerraret? Sed tantùm *ſcientiam quæ ducit ad ſalutem*, infis, *infuſam habuit.* Quaſi verò ſcientia naturalis, & hiſtoria illa conditi vniuerſi, ad cognitionem & cultum Conditoris, mortaliumque ſalutem nihil referat. Denique, quantulum ad ſalutem nos ducunt tot vbique ſacrorum voluminum diſperſæ hiſtoriæ? Et tamen nemo Chriſtianus tam audens eſt, vt vllius, quantumcumque obſcuræ hiſtoriolæ fidem ſuſpectet. Tibi dixi nuper: Spiritus ſanctus, ſui vbique ſimilis eſt, nec in luce nec in tenebris, non in magno aut in

paruo,

paruo, non in re diuinâ aut naturali mentiri poteſt.

Quid mihi deinde SS. Patrum teſtimonia recinis, quæ tibi præiui? Quis neſcit, *non eſſe curam ſanctis, axem cæli & elementorum ſpatia Philoſophico more, numeroſq; deſcribere?* Non fuit etiam ſacrorum Scriptorum princeps cura, res naturæ aut hiſtoriarum nobis ſpargere; multa tamen iſtiuſmodi certâ & diuinâ fide interſperſerunt, quod SS. Patres ab ANT-ARISTARCHO interſcripti tibi dicunt. Sed ad vulgi captum ſe demittit Scriptura, inquis. Si velis eloquium eius vulgare eſſe, & per omnes pedeſtris ſermonis figuras incedere, verum dicis. Aliàs altiſſimi & abditiſſimi ſenſus ſæpiſſimè eſt. Et Auguſtinus de initio Libri Geneſeos loquens: *Vt volet vnuſquiſque,* ait, *accipiat, quod ita profundum eſt, vt ad exercitationem legentium à fidei regulâ non aberrantes plures poſſit generare ſententias.* Vnde Hebræis olim propter inſignem altitudinem non licuit ante annum ætatis triceſimum initium primi capitis Geneſis attingere.

D. Ambr. Pſal. 118.

D. Auguſt. lib. 11. c. 32 Ciuit.

Quia tamen rudibus Iudæis ſcribebat Moyſes hiſtoriam mundi, Interpretes illi probabiliores ſunt, inquiunt SS. Patres, qui per *cælum* cælum, per *terram* terram, &c. intelligunt, nec ea omnia ad ſenſus allegoricos, vt olim Origenes, traducunt. Regula enim generalis eſt: *Quantum fieri poteſt, à proprietate verborum in ſacræ Scripturæ interpretatione, minimè eſſe recedendum.* Quæ profectò regula Copernicanis egregiè os batuit, & ſilentium indicit, vbi Scriptura tam ſæpè & diſertè affirmat, terram quieſcere, Solem moueri, ſine vllo improprij ſermonis indicio aut ſuſpicione. Loquitur ergo vulgariter ſacra Scriptura, ſed tamen verè, & propriè, niſi circumſtantia textus, aut manifeſta ratio ad metaphoram deducat. Aliàs enim quid certi & affirmati ex eâ reſcire poſſemus? Itaque Auctores ex ſuperuacuo congeris, vt extorqueas (quod ANT-ARISTARCHVS vltrò tibi ſuggeſſit) Scripturam quandoque vti metaphoris, & paginam illam totam lucrifacere poteras, quam impleſti Caluini tui Commentario in Cap. 1. Geneſis. *Hanc ſententiam,* inquis, (tamquam rem ingentis moliminis ſuperaturus) *Reformatæ religionis Theologi quoque tuentur. Pro quibus omnibus, vnicus Caluinus noſter dixiſſe ſufficiet.* Μάρτυρ ille nempe ἐκ Διὸς δέλτων, qui Quadrageſimam, Quatuor Tempora, & Vigilias (ſed ſicuti Hiſpani Capitaneos ſuos ſolent) vobis egregiè reformauit, & tantam vndique bonorum operum fugam & ſtragem

Scriptura vulgari ſermone, ſed vero & proprio vtitur, niſi circumſtãtia aut aperta ratio ad metaphòram trahant.

Hiſpanis Capitaneos & milites reformare, eſt diſcingere & expũgere albo militari.

ſtragem fecit. Quam tamen reformationem non valdè probant, quicumque etiam inter veſtros pluſculum ingenij habent & bonæ mentis. Et pro omnibus ſufficiat Clar. & eruditiſſimus Vir, Muſarumque delicium, Daniel Henſius.

Aliter, inquit in primo THEOPHANIAE ſuæ limine, *ſanctiſſimi illi Patres, quorum lectione oblectari vehementer me confiteor. Vbique in iis pietatem, vbique ieiunia, vbique eleemoſynas, vbique ſanctas meditationes, commendari videas.* O verè, & diuinè! Perge, lege, Vir doctiſſime, legite cultiores quotquot ibi in mediâ Batauiâ & minimè Batauæ animæ. Breuî (ſpondere audeo, ſi modò tantillum affulgeat diuinæ lucis) videbitis veterem & caſtam SS. Patrum religionem adulteratam, & ſubærato auro mendoſum tinnire quidquid interpolatum ab iſtis mangonibus. Per Deum immortalem, ſiqua ſalutis, ſiqua beatæ æternitatis vobis cura, hoc ſeriò & cum curâ facite.

Nugas deinde quaſdam & pueris nuces Iac. Lanſbergius ſpargit. Quòd S. Iobus omnes piſcatores à piſcatu balænarum deterreat, cùm eam tam formidabilem beſtiam facit. Quòd de tonitru, tamquam re inexplicabili, interroget, *quiſnam poßit tonitruum magnitudinis eius intueri*; ſiue, intelligere? Cùm tamen *nunc*, inquit Lanſbergius, *inuento puluere pyrio, id explicare non ſit valdè difficile.* Quòd deinde ſimplicior quiſpiam ex Scripturâ aliâ facilè exiſtimet, Lunam omnibus ſideribus maiorem, quia ipſam & Solem *duo luminaria magna* appellauit. Quòd alius *omnia Ariſtarchi, Hipparchi, & Ptolemæi præclara inuenta, vnico quaſi ictu cum Fromondo exploderet: quòd ſcriptum ſit, Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyßi quis dimenſus eſt?* Si quis de motu Solis ex Pſalte vellet ſententiam aliquam concipere, putaret totâ nocte dormire, & *manè tamquam ſponſum è cubili prodire*; cùm tamen de ſponsâ & nuptiis eius nihil vmquam, niſi in Poëtarum fabulis, ſit hactenus inauditum. Ac tandem concludit, *eſſe perſpicuum, Scripturam ſacram ad dirimendas Aſtronomorum & Geometrarum controuerſias prorſus inutilem eſſe*. Et licet ſparſim quædam de naturalibus miſceat, ruditer tamen id facit, imò *rei veritatem ſæpè negligit, & ſermones ſuos falſis hominum opinionibus non raro accommodat.* Exempla ſunt: *Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt.* Vbi alludi videtur ad hiſtoriam, quam multi pro fabellâ habent: quòd in partu aſpidis, viſcera rumpantur

Iob. 40 41. Iob. 26. Gen. 1. Eccli. 1. Pſal. 18. Iſaiæ 59.

tur

tur filiorum nixu. Et alibi dicitur *aſpis obturare aures vt non exaudiat vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* quod tamen etiam fortaſſe falſum,& ex medio errore vulgi ſumptum eſt. Quò verò hæc omnia properant? Nempe, vt quoties Scriptura dicet nobis,terram in quiete,cælum in motu eſſe,Copernicani interpretentur ſimiliter eam ex errore vulgari nobiſcum balbutire. Pſal. 57.

Sed nequidquam. Nam vt omnia à Iac. Lansbergio iam contexta à nouiſſimo breuiter retexamus, aliud longè eſt, prouerbium aliquod errore vulgi temerè vulgatum, in Scripturam ſacram aſſumi, aut comparationem aliquam ex tali ſententiâ vulgari & falsâ inſtituere; aliud in planâ & clarâ narratione, voces apertas & proprias, ſine vllo improprietatis indicio, tantùm quia ſic expedit Copernicanis,in ſenſus obſcuros & improprios detorquere. Priori enim loquendi modo, Scriptura nihil affirmat, ſed vulgare tantùm adagium aut ſententiam refert. *Furor illis*, quaſi dicat, *ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas*, vt vulgus dicere ſolet. Et iterùm: *Oua aſpidum ruperunt,& telas araneæ texuerunt*, vt vulgare prouerbium habet. Cùm verò Scriptura ait, *Oritur Sol & occidit,& ad locum ſuum reuertitur.* Ac mox,*Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur:* nullum hîc adagium, aut ſolemne vulgi dictum affert,ſed ſimplici ac proprio ſermone rem narrat,& eodem modo Solem, ac flumina *reuerti* dicit. Flumina autem vero & ſuo motu in mare decurrunt & reuertuntur; igitur & Sol vero,non imaginario motu,ab Occaſu ad Ortum per mediam noctem redit. Quando verò, *tamquam ſponſus de thalamo ſuo procedere* dicitur, vox, *tamquam*, ſimilitudinem tantùm & comparationem euidenter ſignificat, nec magis appellatur *ſponſus*, quàm mox, *gigas*, vbi ſubditur, *Exultauit vt gigas*, &c.

Scriptura aliquando prouerbiis vulgi vtitur, ex falsâ hiſtoriâ vulgatis.

Eccle 1.

Ariſtarchi deinde,Hipparchi,Ptolemæi, Alphragani, Copernici,Maurolyci,ceterorumque de cæleſtium dimenſione præclara inuenta, incerta ſunt, ipſorum etiam confeſſione, & tot millia milliarium,quibus eorum menſuræ inter ſe diſtant,fluctum & incertitudinem ſatis publicant, vt ANT-ARISTARCHVS oſtendit. Verus etiam terræ ambitus in incomperto eſt, & Eratoſthenes,Poſidonius,Ptolemæus,Alphraganus,Alhazenus, Ferne- Ant-ar. cap. 19.

 lius,

lius, Io. Bapt. Benedictus, Tycho, Snellius ſatis largiter à ſe abeunt. Denique abyſſi profunditas plurimis locis incognita, nec vllâ bolide penetrabilis. Veriſſimè igitur, *Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* Aſtronomorum tamen *præclara inuenta*, mi Lansbergi, non *explodo*, quibus à iuuentute meâ mirificè ſemper faui. Sed ſint opiniones tantùm, inter quas princeps ſit & palmaria, quæ proximè aberrat à vero.

Eccli 1.

Fieri etiam poteſt, quod dicis, vt quiſpiam Aſtronomiæ rudis ex Scripturâ, aut oculorum fidem ſecutus, exiſtimet Lunam inter ſidera amplitudine proximam Soli. Sed quid mirum, cùm tot vera & recta poſſint in prauum ex ignorantiâ detorqueri? Interim verum eſt, Lunam eſſe *luminare magnum*, & omnibus ſideribus, excipuo Sole, *maius*; quia virtute nos illuminandi, etſi mole corporis minus, vniuerſis anteſtat. Vnde dialectico more dixit ANT-ARISTARCHVS, *magnum* appellare formale, non materiale ſignificatum *luminaris*; quemadmodum, cùm Ariſtotelem Philoſophum magnum dicimus, non mole corporis, ſed Philoſophiâ magnum accipimus. Quod interpretamentum ſubtile, & à me commentitium, poſteà Cap. vltimo dicis, cùm ſit Interpretum commune, imò Caluini tui (vbi eſt tua memoria?) in Commentario illo iſto quo iam iam me oppugnaſti. In iſta enim verba, *Fecit Deus duo luminaria magna*, diſertè ait, *Non hîc Philoſophicè diſſeri, quantus ſit Sol in cælo, & quàm magna vel parua Luna, ſed quanta lux ex ipſis ad nos perueniat.* Hoc habe & retine, Lanſbergi.

Gen. 1.

Quòd facilem tonitrui, poſt inuentum puluerem pyrium, explicationem dicis, rei iſtius difficultas, vt video, adhuc te fugit. Nam Io. Bodinus & alij quidam illuſtri ingenio & eruditione viri negant, pulueris & tormentorum æneorum exemplo, rem ſatis extricari. *Id probabile eſſet in nubibus*, ait Bodinus, *ſi materia nubium ænea aut ferrea eſſet, & fuga vacui pulueres ſulphurei ac nitroſi concluderentur: ſed cùm nihil ſit vapore mollius, nihil exhalatione leuius, cùm nullæ ſint anguſtiæ, quibus aër quaſi carceribus quibuſdam concludatur, ſed patentiſſimus regionibus excurrat, quis tam hebes, tam cæcus qui rationes iſtas ſine riſu audire poſſit?* Itaque puluerem tuum, non in æneo tormento, ſed in mensâ aut aëre libero accende, Lansbergi, & ſimilitudinem fulguris nubium habebis; ſed non tonabit. Vides igitur, non de nihilo difficultatem

Bodin. lib. 2. Theatr.

Difficile eſt intellectu, quomodo in tam rarâ nube ſic crepet fulminum exhalatio.

intel-

intellectûs tonitrui (quamquam alia & verior eſt illius Scripturæ enarratio) exaggeratam à S. Iobo. Aut ſi tu vir es, aggredere Bodinum, *Illum aſpice contrà*, & puluere pyrio riſum ei & os compeſce.

Quantum ad piſcationem balænæ, ne deſperent piſcatores Zelandi: ſcis enim, opinor, omnium Patrum & Interpretum conſenſu, vires & artes diaboli, ſub typo Leuiathan ſiue balænæ, ibi deſcribi. Ipſe enim eſt, qui *omne ſublime videt, & rex eſt ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*. Et alibi perſpicuè. *Viſitabit Dominus in gladio ſuo duro & grandi & forti ſuper Leuiathan ſerpētem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetum qui in mari eſt*. Ac ne te auctoritatibus fatigem, lege tantùm primum limen libri S. Hieronymi contra Vigilantium. *Iob*, inquit, *Leuiathan & Behemoth myſtico ſermone deſcribit*. Denique, vt ſemel hoc bellum duello finias, *Si tibi, Fromonde, hæc non ſatisfaciant, prodi*, exclamas, *& omnes ſacros codices euolue, ipſoq́; facto hanc rem experire. & Aſtronomicum, vel etiam Geometricum problema tibi elige, illudq́;, vt par eſt, ex tuis Bibliis demonſtra. ſed ipſo facto redarguet te irritus labor tuus*. O te audacem, aduerſus eum quem antè ſciuiſti tam ſtulto certamine nolle tecum experiri! Sic ſolent, qui linguâ boni, *ſed frigida bello dextera*. Dixit tibi in anteceſſum ANT-ARISTARCHVS, ſparſa tantùm quædam hinc inde obiter & rarenter, ex illis diſciplinis per ſacræ Scripturæ paginas, & vis tamen iam, *problemata aliqua Aſtronomica aut Geometrica*, VT PAR EST *ex Bibliis meis demonſtrari*. Non faciam, Lansbergi; ſed ſententias tantùm quaſdam, non in contextum demonſtrationis illigatas, ſed ſingulares & auulſas dare poſſum, quibus omnes ſcientiæ, ſiue potiùs opiniones humanæ, non niſi falſiſſimè poſſint aduerſari; quod ex D. Auguſtino te docuit ANT-ARISTARCHVS. Vis autem pauca quædam raptim & ex tempore congeramus in experimentum?

Iob. 41.

Iſaiæ 27.

Ant-ar. c. 7.

D. Aug. lib. 1. c. vlt. Geneſ. ad litter.

In principio creauit Deus cælum & terram. En fluctus Ariſtotelis compoſitus, & omnes errores correcti de mundi æternitate. Eius verò innouationem & Stoicorum ἐκπύρωσιν narrat D. Petrus. *Cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem & quæ in ipſâ ſunt opera, exurentur*. Quia alibi deinde Scriptura ait.

Geneſ. 1.

2. Petr. 3.

Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Falluntur Democritus,

Gen. 2.

tus, Epicurus, & quotquot animæ humanæ immortalitatem ademerunt, eamque putauerunt è materiæ potentiâ educi; veri autem Plato & Ariſtoteles, qui *θύραθεν ἐπεισιέναι extrinſecus aduenire*, & in corpus inſpirari. *Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & carnibus veſtiſti me*, &c. vbi Valleſius veſter *naturalem hominis ortum* putat *exactiſſimè explicari*. Ac pro Medicinâ ſuâ ex Prouerbiis, Iſaiâ, Eccleſiaſtico nonnulla congerit; & quis omnia exequatur, quæ pro diſciplinis naturalibus & humanis vniuerſim poſſunt? Quædam tamen etiam addamus, quæ ad rem Copernicanam propiùs alludunt.

Iob. 10. Franciſcus Valleſ. c. 45 Philoſ. ſacræ.

Iob. 38. *Super quo baſes terræ ſolidatæ ſunt?* Non ſuper aërem nempe natando, vt nauis in aquâ ſolet, & Iac. Lansbergio placuit, ſed *ſuper nihilum:* nam ponderibus librata ſuis, ſine aliâ baſi, in medio pendet, id eſt, in imo iacet & quieſcit.

Iob. 26.

Iob. 38. *Numquid noſti ordinem cæli, & pones rationem eius in terrâ?* Et mox: *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* Hæc omnia tamen, ſi iis credimus, Copernicani poſſunt. Nam vno motu terræ annuo, omnes epicyclorum rationes liquidò ſe explicare autumant, & excitatâ terrâ, motuum cæleſtium admirabiles concentus dormire faciunt. Cetera de motu Solis, & ſtatu terræ iam vulgata, nil attinet ex ſuperuacuo cumulare.

CAPVT IV.

S. Ambroſius perperàm accuſatus, quaſi ſacrâ Scripturâ ad probandas naturæ quæſtiones ſit abuſus. Zacharias Papa à Lansbergiorum cenſurâ iterùm vindicatus.

ACcuſas hîc SS. Patres, qui *multa ad rerum naturam pertinentia, ex Scripturis ſanctis, probarunt frigidè*, inquis, *& conſequentiis longè petitis*. Duo deinde D. Ambroſij ex ANTARISTARCHO (nam vt plura alibi legeres, pugnæ huius ardore nimis turbatus & occupatus eras) loca ſumis, vt in vno omnium imperitiam caſtigares.

Iob. 26. Primùm, *cæli rotunditatem*, ais, *colligit ex loco Iobi*, Suſpendit terram in nihilo. *Quæ tamen conſequentia in rigore nulla eſt*. Hem! vbi tua fides? Redi ad Ambroſium, & reſpice idemtidem. *Cæli rotunditatem* inde *colligit?* Non facit profectò, ſed eâ ſuppoſitâ,

terram

terram nulli fundamento, ſed ſoli ſuo centro innitentem, in meditullio cæli conſtituit, & Copernicanos refellit. Si ſat feriatus non ſis, vt eum adeas, totum eum tibi adducemus. Explicat verſum iſtum non valdè Copernicanum: *Fundaſti terram, & permanet.* Ac ſic enarrat: *Quomodo fundauerit Deus terram, Scriptura nos docuit* (audis, res aliquas naturæ etiam à Scripturâ doceri?) *dicente Prophetâ,* Deus ſapientiâ fundauit terram, parauit autem cælos in intellectu. *Terra autem tamquam fundamentum eſt, in quâ conſiſtimus: licet ipſam vel in hemicyclo cæli eſſe & is qui foris eſt ſermo* (Philoſophorum) *concelebret, & Scriptura ſignificare videatur, dicente Iobo,* Suſpendens terram in nihilo. *Includitur ergo orbe cæleſti, & ideò Sol noctibus non videtur, quia gyrando, in inferiore inuenitur orbis parte cæleſtis.* Ain' verò iam, *conſequentiam* iſtam *nullam eſſe,* aut *frigere:* Terra ſuſpenſa eſt in nihilo (id eſt, nulli alteri fundamento innixa eſt;) igitur includitur orbe cæleſti? Quod enim grauitate ſuâ non alteri, quàm centro ſui corporis incumbit, in medio ſanè ac centro circumeuntis cæli eſſe oportet.

Pſal. 118.

Prou. 3.

D. Ambr. rectè colligit, terram eſſe in medio & centro orbis cæleſtis, quia ſuſpẽſa eſt in nihilo.

In altero D. Ambroſij teſtimonio enarrando, ne hilo felicior es. *Colligit cæli ſubſtantiam ſubtilem & inſtar fumi eſſe,* inquis; *quòd apud Iſaiam ſcriptum ſit,* Cælum inſtar fumi interiturum. *Quæ certè conſequentia nulla eſt: quia terra, licet veſtis non ſit, dicitur tamen eodem loco, vt veſtis veteraſcere.* Fidem hîc iterùm tuam deſidero. nam in ANT-ARISTARCHO vidiſti, Ambroſium & Patres illius æui, non *interibit,* aut, *conſumptum eſt,* vt Hebraica habent, ſed legiſſe ἐστερεώθη *firmatum eſt,* vt Interpr. LXX. verterunt. Si igitur, *cælum inſtar fumi firmatum eſt,* quis neget non ineptâ conſequentiâ colligi, ſubſtantiam eius ex ſubtili quadam materiæ naturâ contextam eſſe? Cetera quæ hîc de Ambroſij ſenſu poſſem, reuiſe, ſi lubet, Tract. II. Cap. I.

Iſaiæ 51.

Ant-ar. c. 7.

Addis deinde, tamquam magnum quid & arcanum: quòd, *qui inter Patres prudentiores fuere, non in eum finem quæ Philoſophica ſunt, ex ſacris Scripturis probarint, vt vera & certa Philoſophorum dogmata ex Scripturis refellerent.* Ne Carneades quidem id dubitet. Quis enim velit, aut poſſit veritatem veritate refellere? Non vera igitur, ſed falſa Philoſophorum dogmata ex Scripturis reiiciunt, & falſitatem eorum, diuini verbi contrarietate explorant. Nam *quidquid de naturâ rerum veracibus documentis,* inquit optimè D. Auguſtinus, *demonſtrare potuerint, oſtendimus noſtris*

SS. Patres non vera, ſed falſa Philoſophorum in re naturali dogmata ex Scripturis reiiciũt.

D. Aug. lib. I. c. vlt. Geneſ. ad litter.

noſtris litteris non eſſe contrarium. Quidquid autem de quibuſlibet ſuis voluminibus his noſtris litteris, id eſt, Catholicæ fidei, contrarium protulerint, aut aliquâ etiam facultate oſtendimus, aut nullâ dubitatione credimus eſſe falſiſſimum. Credamus igitur Solis ſtatum & terræ Copernicanum motum falſiſſimos eſſe, quos non ſolùm S.R.E. Cardinalium Congregatio, ſed tot illuſtres Scripturæ ſacræ Interpretes, litteris noſtris & fidei Catholicæ contrarios exiſtimant. *Poſſes etiam*, inquis, *pluribus exemplis probare aliquos Patres & Theologos, optimâ Auguſtini regulâ* (quæ te refutat, & iam proximè adſcripſimus) *neglectâ, & ſpretis veris Aſtronomiæ documentis, ex ſacris Scripturis quædam dogmata ad Aſtronomiam pertinentia malè extruxiſſe.* Et in tanto, vt fingis, exemplorum delectu, tam infelix es, vt ad vnicum illud protritæ iam antè falſitatis, de Lactantio, manum extendas. Nam Lactantius ex propriâ & varâ imaginatione, non ex Scripturæ vllâ ſententiâ (de Scripturâ enim ne mutit verbum) aberrauit in negatione Antipodum.

Ant-ar. cap. 4. Lactant. lib. 3. c. 23.

Poſteà veterem de Virgilij Salæburgenſis Epiſcopi, ob Antipodum affirmationem damnati, querelam nobis recinis. Et tandem veritate ab ANT-ARISTARCHO tibi extortâ, amicè mones. *Noli te fatigare, mi Fromonde; non enim contendit Lansbergius, quod tu ſuſpicaris, Pontificem Romanum pro ſolio ſedentem, ſententiâ definitiuâ Antipodes damnaſſe.* Habeo gratias, mi Lansbergi. Quidam tamen inter veſtros ſimile quidpiam muſſitabant. & tu ipſe ſtatim poſteà haud multò molliùs cenſes, & parenti tuo aſſentiris, qui disertè ſcribit, *Theologos* (Zachariam Papam, & S. Bonifacium Epiſcopum Moguntinum, te interprete) *poſt Auguſtinum ſententiam, quæ negat Antipodas, amplexos eſſe, cõtrariâ reiectâ & hæreſeos damnata.* Et iam etiam *vix riſum compeſco*, ais, *cùm te in re planâ præ labore ſudantem & quaſi anhelantem video, vt Papam tuum in hoc caſu omni culpâ & crimine liberes.* Non facerem autem, pro Eccleſiæ Catholicæ Capite, & quaſi parente filius? Ipſe ſentis, quanto animi & lucubrationum æſtu parentem tuum, leuiter ab ANT-ARISTARCHO deſtrictum, biennium iam totum defenſites; quod mihi ſæpè etiam riſum, aut miſericordiam interdùm fecit. Volui deinde omnes hiſtoriæ in fuſco illo quo tenebras, in quibus perpetuò ſe abdunt cõtra Scripturæ ſacræ, & Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, Copernicani, ſemel diſpellere, quod in anteceſſum te monuit ANT-ARISTARCHVS; vt proinde mirer,

mirer, quomodo tu tantus Heraclitus, fueris riſûs tam incontinēs.

Sed quodnam, quæſo, Pontificis Zachariæ crimen? Quòd *nimis properè*, ais, *Bonifacÿ Epiſcopi Moguntini* (qui Virgilium, tamquam alterius mundi aſſertorem, ad Zachariam detulerat) *accuſationibus auſcultauerit, & bonum Virgilium indignis modis tractauerit, cùm eum, tamquam de peßimâ hæreſi malè ſuſpectum, à Sacris & Eccleſiâ ſuſpendi iußit. Si enim Pontifex ille non nimiùm ſuis Bibliis inhæſiſſet, & Aſtronomiæ peritus, ex Aſtronomiæ fundamentis rem omnem æſtimaſſet, certè aliter iudicaſſet, & Bonifacio potiùs ſcripſiſſet comminatorias litteras, & Virgilium, vt par erat, omni crimine & culpâ liberaſſet.*

An Aſtronomiæ conſultus aut ſcius fuerit Zacharias, ſanè neſcio: hoc ſcio, in Virgilium videri nihil peccaſſe. Quod enim peccatum, vt Virgilius, *ſi erroneus fuerit inuentus* (ſic ſcribit Zacharias ad Vtilonem Bauariæ Ducem) *canonicis decretis condemnetur?* Nec enim à Sacris ſuſpenſus eſt, ſed ſuſpendi iuſſus, ſi errorem de hominibus in altero Orbe, ſub alio Sole, Lunâ, aſtris, cælo, degentibus confiteretur. Sed ſi *Aſtronomiæ peritus fuiſſet*, inquis, *aliter iudicaſſet*. Vis eius rei periculum facere, mi Lanſbergi? Hodie Zachariæ poſt annos fermè 900. ſucceſſorem, Sanctiſſimum D.N. Vrbanum VIII. Aſtronomiæ, & omnium diuinarum humanarumq; diſciplinarum ſcitiſſimum cultiſſimumque habemus. Fac iam Catholicum quempiam Epiſcopum, aut Doctorem (vt plurima nunc Democriti, Epicuri, Diagoræ, aliorumq; è veteri & mucenti illo æuo, fugitiua olim ſomnia, impiâ ſæculi noſtri curioſitate, reuocari videmus) alios nouo Orbe & ſideribus incluſos homines prædicare, aut certè doctrinam eius (etſi aliam) ſic temerè accipi, & ad Pontificem vſque Max. auctoribus fide dignis euulgari: putáſne rem iſtam inſuper habiturum, neglecturumq; examen, vt, ſi eum in errore fortaſſis iſto inueniat pertinacem, pœnis Eccleſiaſticis compellat in viam veritatis redire? Itaque, officium hîc ſolùm ſummi Paſtoris, nullum verò crimen in Zachariâ reperire poteris. Certamini verò Virgilij & Bonifacij modus & finis eſt impoſitus, vbi de veritate & doctrinâ Virgilij, ſolùm in Orbe hoc eodem noſtro Antipodes altrinſecus collocantis, enituit, vt ex Velſero tibi ANT-ARISTARCHVS narrauit. Qui etiam exiſtimat (& verba, quæ ex Epiſtolâ Zachariæ ad Bonifacium citaui, faciunt fidem) doctrinam Vir-

Zacharias Papa nihil peccauit in Virgilium Epiſcopum Salaburg.

Velſer. lib. 5. Boicar.

gilij de Antipodibus, *ignoratione audientium, perperàm acceptam detortamq́, longè alio ſenſu ad Bonifacium perlatam*, & hinc ad Pontificem: quaſi aſſereret *alium mundum & alios homines ſub terrâ, aliumq́ Solem & Lunam*, vt Pontifex ad Bonifacium ſcribit. Cùm itaque cernerem & probauiſſem, nec à Zachariâ, nec à Bonifacio ſententiam Antipodum reiectam (ſed nouum cum alio Sole, Lunâ, & ſideribus mundum) multò minùs hæreſeos damnatam, rogaui: *Quid igitur muſſat Lansbergius, dum ait, ſententiam Antipodum à Theologis hæreſeos damnatam? Quinam illi? Veteres, an nouitij? Nullus enim mihi ſuſpectus iam in mentem venit, præter D. Auguſtinum & Lactantium*. Quæ verba mihi videbantur ab homine vigili & memorioſo dicta, Expertiſſimus tamen D. Iac. Lansbergius, neſcio ex quo Hippocratis ſui Aphoriſmo, cenſet, non potuiſſe, niſi à lethargico & veternoſo exire. *Ignoro Fromonde*, inclamat, *quo tandem tu ſtupore correptus fueris, cùm hæc verba promeres. Hîc enim, quaſi veterno correptus rogas, quinam illi Theologi fuerint, veteres, an nouitij? Quid igitur? An ergo Epiſcopus Moguntinus & Zacharias Papa, Theologi non fuere?* Sternuta tu, ex Galeni tui præſcripto, aut periiſti, mi Lansbergi; ita cranij medullam in lethargo, aut aquis ipſis Lethæis natantem habere videris. Sunt enim ſanè duo iſti Theologi, ſed ex Velſero, ex parentis tui celebri Hiſtorico, Io. Auentino, aliiſque argumentis ANI-ARISTARCHVS proximè te docuit, nec hæreſeos damnatam nec reiectam ab ipſis veram ſententiam Virgilij Salæburgenſis de Antipodibus, ſed falſam aliam, de mundo altero, cum inuſitato nobis Sole & ſideribus. Pergis tamen dormire & ſomniare. *Hæccine* (quòd Virgilius Sacris excludi, & ſuſpendi iuſſus, ſi in errore alîus Orbis inuentus eſſet) *tibi Fromonde, ab hæreſi omnino libera videntur?*

Ant-ar. cap 4.

Zacharias & Bonifacius Moguntinus non damnarunt hæreſeos ſententiā Virgilij de Antipodibus.

Non longam te Iuri Canonico operam nauaſſe apparet, mi Lansbergi, qui ob ſolam hæreſim Clericos à Sacris arceri exiſtimas. Maculoſæ aliæ infra hæreſim ſententiæ ſunt (vt *temerariæ, malè ſonantes, hæreſim ſapientes, ſcandaloſæ*, &c.) in quas pœna iſta cadere etiam poteſt. Nondum tamen taces. *Næ tu ex illorum numero videris*, inquis, *qui (vt eſt apud Comicum) neq; quod ius, neque quod æquum eſt, cenſent. velis, nolis, proſis, obſis, nihil vident, niſi quod lubet.* Quid hîc dicam?

Non ſolùm propter errores contra Fidem, Eccleſia aliquos excommunicat, aut à Sacris ſuſpendit.

Aëre ſic pendent nemorum conuicia picæ.

CAPVT V.

Fruſtrà Scripturæ ſacræ & D. Auguſtini nodos iactat, & conatur excutere Lansbergius.

NEſcio, ridere, an miſerari labores tuos hîc debeam, mi Lanſbergi, qui per tot gyros & anfractus te reuoluis & conſpiras inſtar ſerpentis, vt inter denſas & comprimentes SS. Patrum ſententias elabaris. Sed

Nequidquam patrias tentaſti lubricus artes.

In ſummâ, quæ tu longo verborum circuitu, verbulo immediatè expediri poſſunt: Scripturam ſacram multa de rebus naturalibus dicere, ſed quæ naturaliter ſciri non poterant. Vt quòd mundus à Deo conditus, ſtellæ in cælo defixæ, & alia id genus. Sed largiter aberras: nam ea etiam ſæpè dicit, quæ naturali ratione, imò oculis etiam ipſis cernimus. Veluti, *omnia flumina intrare in mare, & mare non redundare.* Eccle. 1. Item, *Facere ventis pondus*, & *ligare aquas in nubibus.* Iob. 28. Quia nempe, exhalationes refrigeratæ & denſatæ, ex alto in ventos defluunt; aquæ verò calore ſolis rarefactæ in nubes ſuſtolluntur, & per leges æquilibrij ibi ſuſpenſæ, quodammodo, ne depluant, alligantur. Deum etiam *appendiſſe terram ſuper nihilum*, Iob. 26. Ariſtoteles, Ptolemæus, & Aſtronomi paſſim naturali ratiocinatione intellexerunt: quemadmodum, *terram ſtare*, *Solem oriri & occidere, ad locum ſuum reuerti, gyrari per Meridiem, & ad Aquilonem flecti.* Eccle 1. Numquid etiam iſti à diuinâ prouidentiâ fuiſſe factum cognouerunt, vt mare alueo illo capace concluſum ſit, circumiectis ferè vbique ad caſtigandam inclementis elementi ferociam, montium aut rupium catenis? Hoc tamen idem deprædicat apud Iobum Dominus. *Circumdedi mare terminis meis, & poſui vectem & oſtia, & dixi: Vſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Iob. 38. Quod tu etiam videns, & effugium vndique quæritans, negas ex cauſſis ſecundis poſſe intelligi, quomodo *mare, furioſiſſima*, vt ais, *creatura adeò valeat cohiberi, vt præfixos ſibi limites nequeat tranſilire.* Vnde addis, *huius miraculi ſolutionem meliùs & certiùs peti à cauſſâ primâ & Theologicâ, quàm à cauſſis ſecundariis & Philoſophicis. quia illa eſt potentiſſima, & omnium cauſſarum cauſſa, ac proinde ſola nos ſecuros facere poteſt.* Hæccine à Zelando dici, qui cottidie videt, ter-

reno aggere humanâ manu aggeſto, non diuinâ omnipotentiâ immediatè, furentis Oceani iras contemni? *Quò moriture ruis?* Perſuade Zelandis tuis demoliantur tam impendioſos aggeres, ſi ſine iſtis obicibus & cauſſis ſecundariis, Deus aquarum moles ſuſtinet, ne Inſulas illas obruant. Deus Oceani ceterorumq; marium ferociam, mi Lanſbergi, domat, adhibitis rupium aut littorum clauſtris; quæ ideò altiùs circumquaque extulit, ne fluctus ſuperfundi & mediterranea longè valeat obruere. Aliubi etiam, vt in Zelandiâ veſtrâ, humanâ induſtriâ mare ſummouendum reliquit. Quâ verò ratione per cauſſas ſecundas, id eſt, per obiectas rupium, littorum, aggerum moles, id fiat, nemo pænè nauta Zelandus, opinor, eſt, qui non ſatis comprehendat, quod tu iam ſcire te diſſimulas. Vis deinde etiam ex Scripturâ ſacrâ, de Me-

Prou. 25. dicinâ tuâ aliquid deguſtare? *Sicut tinea veſtimento, & vermis*

Prou. 31. *ligno, ita triſtitia viri nocet cordi.* Et poſteà. *Date ſiceram mærentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo.* Fœtum deinde imagi-

Gen. 30. natione matris variari, exemplo ouium Labani docebit te Iacob, coagulationem, fermentationem, & totam pænè humani partûs

Iob. 10. conformationem Iobus graphicè enarrabit; quæ tamen omnia diſcere etiam potuiſti à Galeno & Hippocrate.

Multa de naturalibus narrat Scriptura, quæ naturaliter poteramus ſcire.

Fruſtrà igitur es, & in ventos verba & operam ſpargis, dum nihil de naturâ à Spiritu ſancto euulgari contendis, quod per naturam ipſam à Philoſophis valeat reſciri. Fruſtrà etiam SS. Patrum certas & liquidas ſententias in omnes figuras Proteu verſas, & clariſſima fuſcis quibuſdam interpretatiunculis obſcuras. Talpis te ſcribere putaſti? Oculis noſtris, non tibi credimus. Sed effuſiſſimè riſimus, vbi ludos, quibus D. Auguſtinum circuis & in ſententiam tuam vellicas, & in fine deſperationem tuam aduerſus

D. Auguſt. lib. 1. c. 9. Geneſ. ad litter.

pertinacem, conſpeximus. Obiicit enim ſibi Auguſtinus: *Quomodo non ſit contrarium iis qui figuram ſphæræ cælo tribuunt, quod ſcriptum eſt in litteris noſtris, Qui extendit cælum ſicut pellem?* Et ſtatim reſpondet: *Sit ſanè contrarium, ſi falſum eſt quod illi dicunt. hoc enim verum eſt quod diuina dicit auctoritas, potiùs quàm illud quod humana infirmitas coniicit.* Vbi palàm Scripturæ ſacræ au-

Ant-ar. cap. 7.

ctoritatem, in re naturali Philoſophis anteponi, dixit ANT-ARISTARCHVS. Quid hîc agat? quâ ingenij lubricâ volubilitate hunc nodum Lanſbergius eludet? Sudat tantùm, & aquâ hæret. *Dici hîc poſſet, ait, Auguſtinum obiectiunculam hãc mouere, non in propriâ*

perſo-

perſonâ , aut hominis cuiuſdam Chriſtiani, ſed in perſonâ hominis Philoſophi & profani. O acumen ! Etiámne tam fungino capite nos credidiſti,vt nõ ſentiremus hunc fungum? Sed aliàs Auguſtinus ſibi non conſentire videtur,inquis; cùm alibi dicat,*Scripturas ita interpretandas eſſe,vt quidquid Philoſophi de naturâ rerum veracibus documentis demonſtrare potuerint , oſtendamus noſtris litteris non eſſe contrarium.* O iam egregium diſſenſum ! Harmonia cæli non æquè ſibi conſonat,quàm iſthæc, mi Lanſbergi: *Falſa ea eſſe quæ contra Scripturam dicunt Philoſophi, quæ autem vera , Scripturæ non repugnare.* Vt,exempli gratiâ,falſum eſt,quod de ſtatu Solis & motu terræ, contra Scripturæ auctoritatem vulgauit Copernicus; quia tamen,Solem eſſe terrâ maiorem, veracibus documentis demonſtrat,ideò hoc Scripturæ non repugnat. Vnde inania , & ſenſu vacua ſunt quæ deinde addis. *Haudquaquam induci poſſum,* ais,*vt credam , Auguſtinum loco à Fromondo citato,id voluiſſe quod Fromondus contendit. Nam ſi id voluit , non equidem video, quo pacto à contradictione & errore poterit ſaluari .* Quid autem contendo,mi Lansbergi? *Scripturæ verbis*,inquis,*potiùs, quàm veriſſimis Aſtronomorum & Philoſophorum documentis fidendum eſſe.* Egóne vmquam id ſomniaui ? Hoc volo & contendo,& memoriæ,quæſo,ſemel reconde. *Scripturæ verbis potiùs, quàm falſiſſimis Aſtronomorum & Philoſophorum documentis fidendum eſſe.* Nam, vt ſtatim ab Auguſtino audiuiſti : *Hoc verum eſt quod diuina dicit auctoritas,potiùs quàm illud quod humana infirmitas coniicit.* Copernicana autem infirmitas Solem quieſcere coniicit (non veracibus documentis demonſtrat) diuina auctoritas moueri dicit. Et nuper monebat te iterùm idem Sanctus, vt *crederes falſiſſimum eſſe , quidquid litteris noſtris contrarium , de ſuis voluminibus Philoſophi protuliſſent.* Vnde cernis , opinor , vtrumque cornu ſponte excidere languido illi dilemmati, quo me arietas & petis. *Hunc in modum tecum diſputo*, inquis. *Auguſtinus eo quem tu citaſti loco , vel contradicit veritati, ſibiipſi, & Theologis ; vel non contradicit.*

D. Aug. lib. 1. c. vlt. Geneſ. ad litter.

Vera dogmata Philoſophorum non repugnant Scripturæ , ſed falſa ſunt tamen quæcumque Scriptura reiicit.

Non contradicit veritati,ſibi,aut Theologis,mi Lansbergi. veriſſimè enim ait,falſiſſimum eſſe,quod contra diuinam Scripturæ ſacræ,etiam in rebus naturalibus, auctoritatem humana infirmitas coniicit. Nec alibi diſſentit , aut vlli verè Theologi poſſunt. Ait tamen , *Quidquid Philoſophi de naturâ rerum veracibus documentis*

mentis demonſtrare potuerint, nos debere oſtendere, litteris noſtris non eſſe contrarium. Nam falſæ profectò eſſent litteræ noſtræ, ſi documentis veracibus contrariæ eſſent. Hæc autem prioribus non contradicunt. Quis enim ſanus dicat iſta compugnare, *Falſa ſunt quæ Scripturæ aduerſantur*, &, *Vera quæcumq; ſunt, nequeunt Scripturæ aduerſari?* Sed vin' ſcire, vnde hæc tibi in Auguſtini verbis tam aperta allucinatio? Quia ſupponis quod numquam probaſti: Motum terræ Copernicanum eſſe euidenter à parente tuo & Copernicanis demonſtratum, ideoque verba Scripturæ trahenda iam eſſe in illam ſententiam. Abige ab oculis allucitas & muſcas iſtas, ſpondeo, allucinari deſines. Cogita, inquam, Copernici ſententiam, vt minimum, dubiam eſſe, ac proinde, non oportere, iuxta obſeruatas à SS. Patribus interpretandi regulas, clara Scripturæ ſacræ verba, propter tenebras obſcuræ & incertæ opinionis, infuſcare. Imò cogita (ſic enim omnes iudicant, quibus ingenij maior aliqua lux aut ſerenitas obtigit) vniuerſa Copernicanorum hactenus argumenta (exceptis paucis, quæ aliquo fuco blandiuntur & ſimplices decipiunt) ſi rectè æſtimentur, vix caſsâ nuce pendenda eſſe. Hîc tibi (mores tuos noui) maſcula bilis in naſum & oculos emicabit, ſolemniterque in me deſpues.

Sed ira cadat naſo, rugoſaq; ſanna.

Res ita habet, mi Lansbergi, & omnia veſtra plus fulguris & flammæ, quàm fulminis habent. Irâ, inquam, & bile ſplendent, aut atroci interdum eloquio tonant, nullo, aut irrito teli iactu.

Admones tandem nos concionabundus, ne talibus Scripturæ ſacræ, quæ Solem moueri, terram quieſcere iubent, interpretationibus, abigamus à nobis Copernicanos, ne ad Eccleſiam & fidem veniant. *Cùm enim illi qui extra Eccleſiam ſunt*, inquis, *quiq; naturæ luce firmiter tenere poſſunt, terram, non Solem moueri, iuxta Scripturas ſacras, Solem non terram moueri audient, idq; illorum calculo approbari qui Scripturas tuentur, & de illis interpretandi ſummum ius ſibi vendicant, quomodo à riſu ſe continebunt? Illorum igitur ſaluti & fidei oberitis, quorum fidem & ſalutem debebatis ſollicitè anhelare.*

Non ſolet Eccleſia, fauendo erroribus, & ſacræ Scripturæ ſenſus in falſas eorum qui extra ſunt opiniones deprauando, in Petri nauem pellicere. Eccleſia Chriſti, veritatis Schola eſt, & falluntur quicumque in eâ falſitatis patrocinium ſperant inuenire. Cyni-

ci, Stoici, Epicurei, Athei (non ſoli Pythagorici & Copernicani) querelas iſtas mittere poſſunt, & vanâ religione illigare Catholicos, ne quidquam aduerſus eorum errores ex ſacrâ Scripturâ depromant, metu ſcilicet fugæ, aut ne longiùs ab Eccleſiæ limine abſtineantur, ſi intelligant in eâ falſas ſuas de Deo, diuinâ prouidentiâ, & virtutibus opiniones condemnari. Hoc verò erit, Scripturam ſacram Vertumno mutabiliorem facere, & formoſos diuinoſque eius vultus, in omnes errorum deformitates transfigurare. S. Paulus *omnibus omnia factus eſt, vt omnes ſaluos faceret*, non tamen eouſque Protea egit, vt Scripturam ſacram falsâ & à ſenſu Spiritus ſancti abhorrenti interpretatione ad humanos errores transferret. 1. Cor. 9.

Verumtamen, ſi ſolus metus deſerendi Copernicum, te ab Eccleſiâ Catholicâ alienat, nimio fortè terrore, mi Lanſbergi, à ſummo bono & ſpe æternæ felicitatis abſtineris. Nam Catholicum & Copernicanum eſſe fortaſſis adhuc licet: & ANT-ARISTARCHI verba iſta vidiſti. *Copernicum apertæ hæreſeos condemnare nondum auſim, niſi à Capite ipſo Eccleſiæ Catholicæ expreſſius aliud videam: nam Scripturæ ſacræ auctoritatem, licet imbeciliter, vtcumque tamen defenſitant*. etſi Serarius & alij quidam Interpretes, etiam ante Cardinalium cenſuram, aliquid aſperius loquantur. Redi igitur ad Eccleſiam in quâ Maiores tui, in quâ Copernicus ipſe feliciter vixerunt, & vnde parentes nuper infelici fugâ elapſi ſunt. Vir eruditus es, & hiſtorias, non dubito, præteriti æui perluſtraſti, & quibus de cauſſis vexillarij veſtri Eccleſiæ Catholicæ caſtra deſeruerint. Prudens etiam es, vt cogites, poſt vitæ præſentis breuitatem, manere æternam, & ad huius felicitatem vnicâ iri viâ, quæ per Chriſti Religionem, non nouitiam & in tot capitalibus Fidei Articulis interpolatam, ſed veterem, ſinceram & orthodoxam.

Ant-ar. cap. 5.

Serar. in c. 10. Ioſ.

Quod ex D. Thomâ Aquinate in me iacis, in te & Copernicanos potiùs redit. Nam omnium Philoſophorum & Aſtronomorum Scholæ, ac totus pænè mundus, exceptis pauculis è ludo Pythagoræ & Copernici melancholicis, Eccleſiam Chriſti *delirare* exiſtiment, ſi velit Scripturæ ſacræ verba ad ſtatum Solis, & terræ inſanam illam & duplicem vertiginem deflectere.

CAPVT VI.

Copernicanos peßimos ſacræ Scripturæ interpretes eſſe. Pſalten à Iac. Lansbergio malè & inſolenter enarrari.

SOlemnem parentis tui & Copernicanorum cantilenam recinis. Omnia quæ Scriptura ſacra de motu Solis loquitur, non ſecundùm verum, ſed veri apparentiam accipienda eſſe, quæ Cap. III. iam reiecimus, & aliàs ſatis diffuſè aduerſus Keplerum ANT-ARISTARCHVS. Exempla quædam, & muſcas centies abactas iterùm reuolare facis, ac præſertim ſponſum illum Solis, è thalamo ſuo in ſcenam reducis. Vno verbo antè ſilere te iuſſimus: Pſaltes diuinus non vocat Solem ſponſum, aut gigantem, ſed *tamquam ſponſum*, &, *vt gigantem:* ait verò alibi, eum, *ad locum ſuum reuerti, gyrari per Meridiem, flecti ad Aquilonem*, nullibi *tamquam reuerti, tamquam gyrari, tamquam flecti.* Vero igitur motu locali, non ſolâ imagine motûs, de loco in locum tranſit. Vaniſſima igitùr ſunt quæ tu & Keplerus ante te ex Virgilio aut Metamorphoſi Naſonis iactatis. Ille enim,

Ant-ar. cap. 6.

Pſal. 19. Eccle. 1.

Virgil. *Tithoni croceum linquens aurora cubile,*

Ouid. Iſte —— *vigil nitido patefecit ab ortu*
Purpureas aurora fores, & plena roſarum

Atria, dantque ſimpliciter Soli & auroræ domum ac cubile; Scriptura verò aliter. nam Hebraicè ad verbum, *Ipſe tamquam ſponſus egrediens de thalamo ſuo: gaudebit vt validus ad currendam viam. Ab extremo cælorum egreßio eius, & reuolutio eius ſuper extrema eorum.* Vbi primò ſimilitudinem tantùm ſponſi egredientis, & validi currentis Soli tribuit, deinde abſolutè veritatem *egreſſûs* ab extremo cælorum, & *reuolutionis*; quæ poſtremæ voces propriè verum, non imaginarium motum ſignificant.

Sed motum tamen iſtum ſolùm eſſe apparentem, *ipſe Pſalmi introitus ſatis demonſtrat*, inquis. *Cæli, inquit Dauid, enarrant gloriam Dei, dies, inquit, poſt diem eructat. Atqui realem Solis vel terræ motum neque cælum enarrare, neque dies poſt diem eructare poteſt. Ergo non loquitur Dauid de reali Solis motu, qui videri, aut oculis* (nempe Copernicanorum) *dignoſci non poteſt, ſed de motu apparente, quem cælum enarrat, dies poſt diem eructat, & quem indocti pariter ac docti ſolo viſu cognoſcunt.* Mirabor profectò, ſi hæc in vigiliâ

Mirabile & ridiculũ Lansbergij interpretamentum.

giliâ ſcripſeris. Somnium enim audire mihi videor; ita inconſequenter omnia, & mutuo conflictu diſſilientia dicis. Scriptura, & tu ipſe initiò ais, *cælos enarrare gloriam Dei*, mox dicis, eos enarrare motum apparentem Solis, non verò realem. Quid autem iſtud eſt, *Cæli enarrant motum Solis?* Scriptura deinde ait, *Dies eructat diei verbum*, ſiue, *ſermonem,& nox nocti indicat ſcientiam*, tu verò vertis, *dies poſt diem eructat*. Quam rem autem dies iſte eructat? Motum apparentem Solis, vt ſignificas, ſenſu nullo, aut à Scripturâ alieno. Cur autem cæli vobis enarrare, aut dies eructare non poteſt motum realem Solis, amabo te, niſi quia Solem re verâ moueri non creditis? Nobis ſanè enarrare & eructare poteſt, oculiſque noſtris ingerit. Itaque non ex Scripturâ didiciſti motum apparentem Solis, ſed imaginatio tua ſecum attulit, & ad eam Scripturæ verba attraxiſti. Breuiter, omnia conturbas & deformas, quæ pulcherrimâ imagine compoſita & dicta ſunt à Spiritu ſancto.

Cæli, inquit, motu ſuo & compoſitiſſimo illo ſiderum agmine, annuntiant hominibus gloriam & maieſtatem Conditoris. Nec ſemel tantùm, ſed cottidie. Nam veluti in λαμπαδοδρομίᾳ, qui curſum excurrerat, lampadem alteri ad currendum porrigebat; ita dies antecedens finito curſu, diei ſequenti quaſi lampada tradit, vt etiam currat in laudem & gloriam Creatoris. Et quia dies diei ſimilis eſt, & ſequens antecedenſque eodem tono & modo cantant laudes Conditoris, idcircò dies antecedens videtur loqui ſequenti, ac ei ſermonem eructare, docereque, quo pacto celebrare oporteat nomen & laudes Omnipotentis. Et ſimili modo, nox præcurrens ſequentem docet & ſcientiam ei indicat. Hic eſt verus, formoſus, & tanto Auctore dignus verborum illorum ſenſus, quem præferunt Hebraicus, Græcus, Latinus textus: in quo, valdè ſubtilis eris, ſi reperire valeas motum tantùm apparentem Solis. Quia verò deinde dixeram, *Inſolentiſſimum eſſe in Scripturâ ſacrâ, vt verbum quod motum localem ſignificat, ad imaginem tantùm motûs localis, ſine leuiſſimo eius inſolentiæ indicio, perpetuò transferretur*, addidiſſemque Deo quidem aliquando motum metaphoricῶs tribui, ſed ex ipsâ ſubiecti (ſiue, Dei qui vbique eſt) naturâ, metaphoram ſtatim denudari; cùm ſit euidens, eum qui immenſus eſt & omnia ſpatia replet, non poſſe, niſi metaphoricῶs, locum mutare; Iac. Lansbergius, prorſus lepidiſſimè, contendit,

Vera interpretatio Pſalmi 19.

Ant-ariſt. c.6.

Ridiculum eſt, metaphoram ſeipſam manifeſtare, cùm dicitur Sol moueri, & terra quieſcere.

metaphoram non minùs ſe denudare, cùm Scriptura de Solis motu & terræ quiete loquitur. Quid ais, mi Lansbergi? Tam nudum & apertum eſſe, Solem non magis poſſe vero motu locali moueri, quàm Deum? En, quò te ardor & pertinacia defenſitandi parentis euexit. Ita, tamen, inquis. Et oſtendis duplici argumento.

Primò, ex rei naturâ, quæ veracibus documentis ab Aſtronomis probatur. A quibus Aſtronomis? A paucis vertiginoſis, dicere debuiſti, qui imaginationis ſuæ vertiginem putant eſſe telluris. Aut à Zelandiæ aliquot nautis, qui nauigationis ſolentes & ferè continui, nauigare etiam & moueri ſe credunt, dum quieſcunt in continente. Documenta quoque eorum inania ſunt, & vento pleniora quàm vllâ micâ veracitatis. Deinde, fac eſſe veracia: an idcircò legentibus Scripturam loquentem de motu Solis, ſtatim ſe nudat & ingerit natura illa Solis quieſcentis, & terræ mobilis? Pauciſſimi eam intelligunt, & ſomniare potiùs conuincuntur, tantâ diuinarum humanarumque auctoritatum mole obruti, tantâ argumentorum luce obtenebrati.

Secundò, addis, metaphora ſe nudat, *ex vſitato Scripturæ loquendi modo, quo vtitur, cùm de aſtris nobiſcum agit.* Igitur quidquid Scriptura de Sole aut aſtris nobiſcum loquitur, ſemper ſecundùm apparentiam tantùm, numquam ſecundùm verum, illud ebalbutiet? Ecce, dicitur alicubi, *Sol in ortu ſuo ſplendere.* Senſus igitur erit, videri quidem ſplendere, ſed reuerà nihil habere veri ſplẽdoris. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum.* Id eſt, ex lege interpretandi Copernicanâ: apparet eſſe alia claritas Solis, &c. etſi verè non ſit alia. Si hæc ergo & infinita alia quæ de aſtris, aut de terrâ dicuntur, nemo, niſi fatuus, impropriè & ſecundùm oculorum apparentiam tantùm accipit; cur ſpecialiter, vbi motûs localis mentio iniicietur, ſtatim relictâ vocis proprietate, ad metaphoram, relicto vero ad veri vmbram (nullo alio mutatæ locutionis indicio, quàm quia placet & ſic expedit Copernicanis) decurrere oportebit? *Sol egreſſus eſt ſuper terram, & Lot ingreſſus eſt Segor*, ait Scriptura aliubi. dic quibus indiciis, Solis egreſſum magis imaginarium fuiſſe, quàm Loti ingreſſum, Scriptura ſignificet? Dices, opinor, ſic oportere accipi, quia Sol eſt immobilis. Ecce, petis principium. Id enim eſt, in quo diſceptamus. Nam nondum demonſtraſti Solem immobilem eſſe, ſed futilibus partim, aut tenuiſſimis ratiociniis facere tantùm conatus

Iudic. 5.

1.Cor.15.

Gen. 19.

natus

natus es: Ptolemaici verò inuictas tot rationes contrà obiiciunt, munitique ſunt inſuper ſacræ Scripturæ præſidio, quæ ab ipſis diſertè loquitur, neque quidquam cauſſæ eſt, cur in motu locali ſiderum impropriè loqui interpretemur, cùm tam multa alia de ſideribus dicat propriè.

Telas denique aranearum circa Lunam nobis retexis, quas iam Cap. III. difflauimus. Tibi enim, ex tuo etiam Caluino, oſtendimus, Lunam non alio ſignificatu *luminare magnum* appellari, quàm quia multum luminis nobis fundit. Quod hinc etiam euidenter intelligi poteſt: quia Sol dicitur *luminare maius*, & Luna *luminare minus*, quod ad apparentem diſci vtriuſque ſideris diametrum referri nequit; nam Luna pleno diſco, apparenti magnitudine Solem excedit. Sol ergo *luminare maius* eſt, quia radiorum & luminis flumen abundantius effundit, ideoque diei præfectus, Luna verò nocti, quam minùs illuſtrem eſſe oportuit. Sed etſi daremus, Scripturam ad apparentem Lunæ diametrum aſpexiſſe, cùm eam *luminare magnum* appellauit, an ideò quidquid de eius motu dicetur, non ex vero, ſed ex apparenti tantùm dictum exiſtimabimus? Si ita eſt, igitur cùm dicitur Luna metiri menſes, & à Deo *facta in tempora*, oportet de apparenti ſolùm motu id intelligi. Et tamen certum, nec infitetur Copernicus, Lunam vero, non imaginario motu per menſes ſuos volui & reuolui. Si nullum ergo inde argumentum pro apparenti Lunæ motu rapi poteſt, cur apparentem Solis motum hinc aſtrui, aut verum motum deſtrui, aut debilitari poſſe exiſtimabimus? Vtrumque ſidus vnâ phraſi & indiſcretim narratur, *factum in tempora, dies, & annos*, ac Luna ſuo veroque motu tempora ſua decurrit ac metitur; quo iam indicio nudat & manifeſtat ſe diſcrimen illud Copernicanum, quòd Sol non ſimiliter ſuo motu tempora ſua dieſque ac annos adminiſtret, ſed ſic appareat tantùm; terra verò ſit, quæ vicem eius, dies & annos perambulet?

Gen. 1.

Quo ſignificatu Luna luminare magnum.

Pſal. 103.

Gen. 1.

Sol dicitur eodem modo factus in tempora, quo Luna. Hæc autem vero motu tempora ſua adminiſtrat.

Oppreſſus tandem mole auctoritatis, ſuſpiras tantùm in fine. *Si Patres & Theologi antiqui*, ais, *veritatem cognitam habuiſſent, ſicuti nos hoc ſæculo, tot editis Aſtronomorum libris, eam perſpectam habemus, procul dubio interpretationes ſuas facilè Aſtronomorum placitis accommodaſſent.* Quis tam ferreus, vt hîc à riſu ſe contineat? Iſti homini eſt *perſpectum*, terram vero, Solem imaginario ſolùm motu moueri. Si dixiſſes, aliquâ probabilitate & cum flu-

ctu ſic opinor, ferendum eſſet. Et vnde tibi *perſpectum*, mi Lanſbergi? *Tot editis Aſtronomorum libris*, inquis. At iſti plerique Copernico infeſti, & eum atrâ bile delirare credunt. Imò Commentatores Copernici, quique ei fauent tam enixè quàm per vires illuſtris ingenij ſui poſſunt, aiunt *Copernicum difficultates à Ptolemæo aduerſus motum terræ productas, ingenioſè magis quàm ſolidè ſoluiſſe.* Et Copernicus ipſe pro tuâ certitudine tam *perſpectâ*, formidinem potiùs oſtentat; nam opinionem ſuam ſolùm pro probabiliori, non pro certâ, nobis venditat. *Vides ergo*, inquit poſt omnia argumenta octaui illius Cap. *quòd ex his omnibus probabilior ſit mobilitas terræ, quàm eius quies, præſertim in cottidianâ reuolutione, tamquam terræ maximè propriâ.* Vbi etiam cernis, quomodo motum terræ annuum, magis quàm diurnum & cottidianum ſuſpectet. Quo ſemel euerſo, in ſententiam Origani recidimus, & omnia debilitantur quæ pro motu etiam cottidiano ſtruitis. Si enim Sol proprio & vero motu circulum annuum conficit, iam quies eius excitata eſt iſto motu, & facillimo negotio intelligitur, quomodo alterum motum adiicere poſſit, & vnâ eademque operâ cottidie circa terram reuolui; vt neceſſe iam non ſit, terram fatigare, & cottidianâ vertigine centrum ſuum circumcurrere, quod etiam ANT-ARISTARCHVS tibi dixit.

Nic. Muler. Medic. & Matheſ. Prof. Groning. in lib. 1. c. 8. Copernic.

Non ignoro tamen Copernicum inconſtantem eſſe, & alibi ampliùs quàm probabilitatem, ſententiæ ſuæ tribuere, dicereque magnificè: *Quæ omnia cùm difficilia ſint, ac penè inopinabilia, nempe contra multorum ſententiam, in proceſſu tamen fauente Deo, ipſo Sole clariora faciemus, Mathematicam ſaltem artem non ignorantibus.* Sed hyperbole (nec inuſitatâ, vbi rem aliquam perſuadere volumus) ſine dubio, eſt vſus. Nam doctiſſimus Mulerius, ex aliis eius ibidem iſtis verbis, *Quod* (ſphæræ octauæ immanem illam amplitudinem, & totum Copernicani mundi ſyſtema) *faciliùs concedendum puto, quàm in infinitam penè orbium multitudinem diſtrahi intellectum: quod coacti ſunt facere, qui terram in medio mundi detinuerunt*, coniectat non ignoraſſe Copernicum ſyſtematis ſui abſurditatem, ſed voluiſſe hypotheſi aliquâ imaginariâ ſimpliciori, quàm epicyclorum Ptolemæi, colligere & adiuuare humani intellectus diſtractionem. *Non ignorauit*, inquit Mulerius, *ingenioſiſſimus Copernicus ſententiam iſtam videri & eſſe* * ἄτοπον, *ſed excuſat eam dicens*, Faciliùs hoc concedendum, &c. *Vbi videre*

Copernic. lib. 1. c. 10.

Muler. lib. 3. c. 15. Copern.

* *abſurdū.*

re

re eſt,ait, *humanæ mentis imbecillitatem, explicare nequeuntis admirandum Dei opificium, ſiue mundi machinam, ſine occurſu* τοῦ ἀτόπου. Si autem ſententia tibi magis, quàm Copernico ſedet, dic vnde acceperis incrementum illud certitudinis. Non per oculorum fidem (fallor enim, ſi vmquam in Sole fueris) nec diuinâ reuelatione, opinor. An ex Kepleri, Gilberti, & paucorum aliquot Copernicanorum libellis? Sed ego & tot mecum oculi eos etiam vidimus, & ſimplicis ac anguſti ingenij es, ſi argumentis eorum tam facilè acquieſcere & impleri poſſis. Vnica igitur reſtat paterna reuelatio, quæ te perſpicere facit quæ non perſpicis, cuius deliciæ & amor oculos tibi eripiunt, & in tot vbique abſurditates impingunt, quas toto hoc Libello collegimus. Iſte ipſe etiam paternus & cæcus amor fluctus illos animi & intemperias excitauit, quas in ANT-ARISTARCHVM, tamquam parenti tuo iniurium, exerces. Et fateor, veritatis amor, quam ab eo videbam nimis alto ſupercilio deſpici, animum & ſtilum mouit, vt aliquid in eum paullò dicerem aſperius, ignotum aliàs, & extra omnes cauſſas irarum longiſſimè poſitum.

TRA-

TRACTATVS QVARTVS.

HACTENVS pænè in ſocco, iam cothurnatus incedit, & tragica omnia loquitur Iac. Lansbergius. Atreum in ſcenâ ambulantem diceres. Tres autem, Io. Bapt. Morinus, Pet. Bartholinus Mathematici, & ego duriſſimè, vt ſoleo, vapulamus. Cauſſa tantæ tempeſtatis, quòd ego demonſtrationem quamdam ἐπιστημονικὴν Phil. Lansbergij parentis, *cui nullâ ratione poterat contradici*, nimis audacter *puerile ſophiſma*, Morinus *vanam & viro Mathematico indignam*, Bartholinus *non vnius flocci*, vocauerimus. Hîc vltra liberalem, & pænè humanum modum excandeſcit, iurgatur, rixatur, fulminat, deſpuit, & fermè viſcera in nos euomit filius Lansbergius. Omnia quippe ſus deque voluit ac reuoluit, vt diem turbet, & parentem in clariſſimo demonſtrationis pſeudographæ errore deprehenſum, nebulâ aliquâ tegat. Quiſquis rei iſtius ſtatum animo antè non vtcumque præcepit, nihil cernet in iſtis tenebris & fluctuum quos excitat procellis, putabitque nos tres ab vno in triumphum abduci. Nullibi enim clamoſior & magis triumphator, quàm hîc noſter Lansbergius. Sic enim ferè feruidi illi argumentatores ſolent: vbi ratiocinationis ſuæ improuiſam imbecillitatem ſubitò deprehendunt, clamore diſputationem incendunt, & omnia perturbant, ne omnibus appareant ſucciſæ ſuffragines argumenti claudicantis. Aut veluti inter fæminas in foro poma putrida vendentes, illa vincere ſe putat, quæ vocalior & animoſiùs conuicia ſpargit. Ego enim Lansbergio, *hiſtrionicam pro meis Cardinalibus ago*, ſum *inuerecundus nec ingenuæ frontis*, vbique *caulla-*

Modeſtia Lansbergij, non doctrinam, ſed homines remordentis.

cauillator, fabuloſus, malignis dentibus, &c. Morinus etiam *cauillator, momus*, & omnia *Aſtronomo indigna* dicit, Bartholinus *phalangij more, dulciſſima quæque in venenum vertit*, in eo *craſſi ingenij ſtupor*, & quaſi de boue Dano loqueretur, *animam pro ſale habet*. Breuiter, in tribus nobis *vix eſt lucula ingenij aut rationis*. Eſtne hoc Muſas colere, an Bacchas imitari? Abſcede paulliſper & obtege verecundam frontem, mi Lansbergi, digere ruborem, ſi quid ingenui pudoris habes. Non debent virgines & pudentes Muſæ ſic tractari. Aliis ſacra iſta relinque. De naui, aut plauſtro, non de Parnaſſo & domicilio Muſarum iſta veniunt. Λοιδορεῖσθαι οὐ πρέπει φιλοσόφους, ὥσπερ ἀρτοπώλιδας, *non decet Philoſophos conuiciari, tamquam piſtorum vxores.* Aristoph. Viros illos non nouiſti, & (Dei munere) meliùs à naturâ, ſpero, compoſiti ſunt, nec tam bruti, quàm eos inuerecundâ tuâ metamorphoſi transfiguraſti. Parentis tamen tui demonſtrationem illam, in quâ ſic inſolenter ampullabatur, *puerile ſophiſma* vocaui; quia auctoritatis ſacræ Scripturæ & veritatis intererat, modico aliquo contemptu ſupprimi eum, qui tam altè ſe ſupra eam efferebat, vt diceret debellatam & proſtratam eſſe *demonſtratione ſcientificâ à priori, cui nullus poſſet contradicere*. Et vt videas, quâm iudicij iſtius me non pœniteat, appello publicam humanæ rationis lucem, ſi iam iam non euidenter ita eſſe demonſtrauero.

CAPVT PRIMVM.

Demonſtratio Lansbergiana ab apparentiis Lunaribus ſumpta, pſeudographa eſt, & euidenter principium petit, aut à potentiâ ad actum, vt Logici loquuntur, ſophiſticè procedit.

TRES iſtas figuras Geometricas tui parentis poteras omittere & lucrifacere; nihil enim nos docuiſti quod non reſciueramus ab ipſo. Demonſtratio autem ſumitur ex motu Lunari, & hoc conficit: Quòd ſi terra vnà cum orbe Lunari, motu annuo incedat ſub Eclipticâ, poſſit dari cauſſa proxima & neceſſaria coniunctionum Solis & Lunæ, quæ ſolemnibus temporum interuallis redire ſolent. Et nemo eſt qui hoc diffitetur. Sed neque tamen etiam iſtud inficiantur Copernicani, & ipſe diſertè affirmas, *Ex hypotheſi terræ quieſcentis Lunarium apparentiarum cauſſas fingi poſſe.* Si ita eſt; igitur apparentiæ iſtæ Lunares, ſunt effectus qui à duabus cauſſis prodire poſſunt. Sed vbi effectus eſt talis, non poteſt per demonſtrationem à poſteriori colligi altera cauſſarum determinatè, vt ex Dialecticâ, & lumine naturali conſtat. Nam, exempli gratiâ, ſi conſpiciam inter tenebras noctis lumen aliquod per rimam in cubiculum radians, nequeo ex ſolo conſpectu luminis, per infallibilem conſequentiam, colligere Lunam eius cauſſam eſſe; quandoquidem idem effectus poſſit etiam à face produci. Igitur neque ex coniunctionibus luminarium poſſumus, aut determinatè terræ motum in Zodiaco, aut etiam Solis certò coniectare. Nam, tam ex Solis, quàm ex terræ motu poteſt effectus iſte prodire. Siue enim Sol, ſiue terra Eclipticæ longitudinem circumcurrat, luminaria leges ſuas ſeruabunt, & iiſdem temporibus ad cœtus ſuos & coniunctiones redibunt. Hinc conſectaneum eſt, vt neque Ptolemæi, neq; Copernici ſyſtema, ex iſtis luminarium coniunctionibus valeamus infallibili conſequentiâ colligere & aſſequi.

Ex effectu qui duas cauſſas habere poteſt, alteram certò colligere non licet.

Verùm Lanſbergius demonſtrationem inuertit, & vnam ex duabus illis cauſſis aſſumendo, demonſtrat à priori illum effectum; vanè prorſus & pueriliter. Aſſumit enim terræ motum in Zodiaco, tamquam coniunctionis luminarium cauſſam, id eſt, manifeſtè petit principium. Illam enim cauſſam negamus eſſe in rerum ratione, & circa eam verſatur & circumagitur tota noſtra velita-

velitatio. Itaque aliis argumentis, id eſt, omnibus Copernicanorum machinis aſſerenda fuit terræ in Zodiaco mobilitas,& ex eâ deinde certâ & confeſsâ,procedere oportuit ad demonſtrandas à priori luminarium coniunctiones. Vnico verbo igitur, Lansbergiorum demonſtratio ſupponit,non colligit terræ in longitudine Zodiaci motum. Vnde liquet,quàm facili ſpiritu tota illa inaniũ figurarum ſupellex diffletur. Si quid autem vtiliter in rem ſuam & Copernici meditari volebant, oportebat potiùs ex effectu illo & legibus coniunctionis luminarium, colligere à poſteriori certam & determinatam eius cauſſam, aliam eſſe non poſſe, quàm annuum terræ motum. Sed id non poſſunt, quia publicâ omnium confeſſione, effectus idem enaſci poteſt, ſi terræ adimamus, & Soli reddamus annuum illum motum.

Demonſtratio Lansbergiana non colligit, ſed ſupponit terræ motũ.

Numquid igitur iam puerile petitionis principij ſophiſma eſt, vt probes terræ motum,in antecedente terræ motum, tamquam confeſſum aſſumere? Hoc enim eſt,quod Logici noſtri vocant, *Idem per idem probare.* Aut ſi poſſibilem tantùm terræ motum, non actu exiſtentem,aſſumant, alio iam ſophiſmate ſe apertè intricant. Argumentantur enim à potentiâ ad actum, vt loquuntur, cùm potiùs debuiſſent ab actu ad potentiam. Actus enim potentiam ſupponit,non potentia actum. Vnde hæc conſequentia (poſſibile eſt terræ motum, ſi in rerum naturâ exiſteret, eſſe cauſſam apparentiarum Lunarium, ergo actu & ipſo facto eſt cauſſa earumdem) ſimillima & gemella eſt iſti (poſſibile eſt Deum aliud cælum & alia aſtra creaſſe, igitur actu ipſo & reapſe ſunt creata.) Sed cauſſæ per quas parens meus apparentias Lunares probat, *ſunt proximæ & neceſſariæ*, ait Iac. Lansbergius. Ita, mi Lanſbergi,ſunt proximæ & neceſſariæ,hoc ſenſu: Si ponantur in rerum ratione,proximè & neceſſariò producent illum effectum. Verumtamen, motus Solis & Lunæ Ptolemaicus etiam eſt ſic cauſſa proxima & neceſſaria coniunctionis luminarium, ſi is in rerum ratione ponatur. Sed vniuerſa difficultas & diſceptatio inter nos eſt, vtra ex iſtis cauſſis,ipſo facto, in rerum ratione exiſtat,&,non poſſit tantùm (nam vtraque poteſt) ſed reipsâ efficiat coniunctiones luminarium.

Lansbergij aut petunt principiũ, aut ſic argumentantur, Poteſt hoc eſſe, ergo eſt.

Quin per motum terræ annuum valeant etiam ſtationes, directiones,rerrogradationes ſuperiorum Planetarum bellè enarrari,quòd tertia tua figura demonſtrat,nemo ponit in ambiguo; &

hoc vnicum pænè argumentum eſt, quod ſpecie aliquâ probabili ludit, & æſtimari potuit ab ANT-ARISTARCHO. Sed in epicyclos tamen Ptolemaicos, aut ſimilem aliam cauſſam, quæ motus illos & luſus Planetarum adminiſtret, quemadmodum ad influxus in mundum elementarem expedit, referri poſſunt. Nam *effectus iste à pluribus cauſſis eſſe potest*, vt monuit te ANT-ARISTARCHVS, *& vnicam, quia concinna videtur, ita amplecti vt ceteras nolis in aſpectum venire, ingenij pertinacis eſt & fatuelli.* Et tamen ad calcem Cap. quaſi victor ſolemnem ſuam tubam inflat. *Est ergo euidens, ſolam hypotheſin quæ terram in Eclipticâ mouet, ex veris, certis, & neceſſariis cæleſtium apparentiarum (Lunæ & Planetarum) cauſſas neceſſarias oſtendere poſſe.* Quænam autem ſunt illa vera & certa, mi Lansbergi? Nempe, quòd terra in Eclipticâ moueatur, inquies: ex hoc enim principio poſito ſequentur neceſſariò illæ Lunæ & Planetarum apparentiæ.

Ant-ar. c. 18.

Sed ecce, mi Dialectice, iterùm principium petis. Nam pro vero & certo ſumis id de quo nobis altercatio eſt. Nam Ptolemæus eodem iure Solis motum aſſumere, & inde apparentias Lunares tam neceſſariâ, quàm tu, conſequentiâ deducere poteſt. Motus deinde Planetarum veros, & ſpiras illas per quas ſurſum deorſum gyrantur ſumit Ptolemæus, & ſine vllo terræ motu, ſtationes, directiones, retrogradationes Planetarum expedit. Nam ab vtraque cauſsâ effectus iſti effluere poſſunt, nec ex ipſis ad alteram determinatè cauſſam, conſequentia valet. Alterutram verò cauſſam ad demonſtrandos illos effectus aſſumere potes, & per eam explicare cæleſtes apparentias; ſed id ad demonſtrandum terræ motum ne hilum te adiuuat, quia per aſſumptionem alterius cauſſæ quam è duabus eligis, incertus manes, an talis cauſſa potiùs quàm altera in cælo reuerà ſit, an ſolùm imaginata. Nam *propter tuum cogitare & aſſumere*, canent tibi barbari noſtri Logici, *nihil mutatur in re.* Attamen *nihil fingis*, inquis, *vel aſſumis, quod ex cælo certiſſimè cognitum non ſit: & ex vi conſequentiæ, terræ motum in Eclipticâ, inueſtigatione verâ & ſcientificâ, quæ ex veris & neceſſariis procedat, ſcientificè inuenis.* Credis, opinor, perplexo iſto verborum conuolutorũ vortice, caput & oculos in vertiginem nobis dare, ne in turbido liceat veritatem cernere. Inſpiciamus enim, ſodes, an non ſint carbones pro theſauro. Quod eſt inprimis, illud *ex cælo certiſſimè cognitum*, *quod aſſumis*; & vnde

terram

terram moueri in Ecliptica, ex vi conſequentiæ ſcientificè inuenis? Sine dubio, eſt, *terram moueri in Ecliptica:* nihil enim aliud hactenus à te audire licuit. Igitur, terra mouetur in Eclipticâ, quia mouetur in Eclipticâ. Et tamen tibi tanto elenchorum artifici, ego, Morinuſque *ignoratione elenchi hîc laboramus*. Verùm, terram moueri in Eclipticâ, *eſt ex cælo tibi certiſſimè* cognitum, vt ais. Ex quo cælo? Quandò inde rediiſti? Nam ex apparentiis Lunæ & Planetarum quas hinc è terrâ ſuſpicimus, id à poſteriori *certiſſimè cognoſcere non potes*; cùm effectus iſti alligari & dependere poſſint ab aliis cauſſis, quàm ab annuo terræ motu.

Sed *nihil fingendo*, ais iterùm, reddimus *cauſſam immediatam, neceſſariam, & vnicam apparentiarum Lunæ & Planetarum.* Vnde tibi conſtat, à te nihil fingi? Nam Ptolemæus & omnes nos, fingi vaniſſimum quemdam terræ raptum, quo ſingulis horis 740. milliaria Germ. ſub Eclipticâ volat, tam ſæpè iam diximus. Igitur hic eſt cardo in quo totam controuerſiam noſtram circumagimus. Tu ais, nos fingere Solis & Planetarum motus, nos verò te motûs terræ figulum facimus. Ille autem reuerà nihil falſum & chimæricum finxit, qui veram & quæ reapſe in cælo eſt, cauſſam coniectauit. Sed quis iſte eſt? Tu affirmas Copernicum, nos Ptolemæum, Ariſtotelem, & tot alios ſummi ingenij & ſolertiæ viros malumus.

At, fortaſſe inquies, cauſſam quæ Solem & Planetas ſic moueat nondum exploratam habemus. Sed neque tu, mi Lanſbergi, hactenus à quâ cauſsâ motrice raptetur terra Copernicana, ſcire potuiſti. Nam aliqui veſtrûm animam, alij vim quamdam magneticam, aut quiddam aliud affine, & vobis ignoratum diuinaſtis. Imò nuper oſtendimus, omnes cauſſas mouentes quas telluri veſtræ admouere poteſtis, longè probabiliùs in cælum & ſidera competere. Malè igitur & præcipitanter terræ motum *vnicam cauſſam* apparentiarum cæleſtium, paullò iam antè vocaſti. *Vnica* demum erit, cùm debellatum, & tota cauſſa Ptolemæi victa & proſtrata fuerit: quod eueniet, *quando terra volabit*, vt vetus adagium dicit, id eſt, *ad Calendas Græcas*, ſi hoc Auguſti Principis meliùs intelligis.

Tractat. 2. cap 2.

CAPVT II.

Clamores & iniuriæ in Fromondum ac Morinum ſparſæ, Lanſbergios demonſtrationis ſuæ pſeudographæ laqueis irretitos, nequeunt liberare.

Hic verò *primam partem argumenti ſcientifici* tui parentis *à Fromondi & Morini cauillis* (nam totâ vitâ noſtrâ nihil aliud facere didicimus) egregiè *vindicas*. Morinum primùm aggrederis, ſed ita vt ei concedas quantum poſtulat (ſic opinor, nam Morini librum, quamuis ſtudioſè quæſitum, videre nondum licuit;) certè quantum mihi ſufficit. *Vides Morine*, inquis, *licet Ptolemæus, Tycho, & Copernicus eaſdem in cælo apparentias ponant; tamen, vt Lansbergius ſcribit, ſecundùm cauſſas, toto cælo differre* (illi enim Solem, iſte terram moueri iubet:) *& proinde D. Lanſbergij argumentum quod à cæleſtium apparentiarum cauſsis deducit, rectè procedere: vt nobis erat demonſtrandum*. Bellè ſanè procedit inclytum illud & verè iam famoſum argumentum, cui pro pedibus *nec vera, nec prima, nec notiora conſequente*, ſed ipſum conſequens probandum, in antecedente ſubieciſtis. Nam terræ motum in Eclipticâ tamquam vnicam cauſſam apparentiarum cæleſtium aſſumitis, vt terram moueri in Eclipticâ demonſtretis. Aut certè, ſi non cauſſam actu, ſed ſolùm cauſſam potentiâ, vt Phyſici loquuntur, aſſumere mauultis; alio iam ſophiſmate æquè puerili vos inuoluitis, & à potentiâ ad actum demonſtratio veſtra procedit, vt Cap. proximo monuimus. Sic enim argutamini: Motus terræ in Eclipticâ poteſt eſſe cauſſa apparentiarum cæleſtium, ſi ponatur in rerum naturâ; igitur reapſe eſt in rerum naturâ, & actu ipſoque facto, apparentias illas efficit. Tamquam ſi hoc pſeudographo pueros circumuenire velim: Sol quidam alius imaginarius quem Deus condere poteſt, diem nobis perinde producere poſſet atq; iſte quem cottidie manè orientem conſpicimus; igitur Sol ille imaginarius reuerà nobis cottidie diem producit.

Relicto Morino, ſtatim me repetis. Sperabam longiorem commeatum, mi frater. Non, inquis; quia *naturâ mordacior* es quàm Morinus. Ideo, *faxo propediem, mi Fromonde, vt mundus intelligat, te pro tuis Cardinalibus hiſtrionicam egiſſe*. Verùm, ſaltare neſcio, mi Lansbergi, neque delicias iſtas diſcere vmquam curaui.

Tu

Tu ſalta potiùs,ego *calamos inflare leues,aut dicere verſus.* Quòd *mordacem* appellas, falleris; morſico, & ludo tantùm. Cur verò demonſtrationem tui parentis & totam illam figurarum ſupelle-ctilem,* σκεύεια κατατετριμμένα, poſt Platonem (vnde & mol-liùs debueras accepiſſe) appellauerim, iam antè audiuiſti. Sed *Thraſonem* etiam nominaui. Hoc verbum mihi excidit,mi Lanſ-bergi,quia quædam in eo notabam germana illi Plautino, quem ætate iuuenili memineram glorioſè ambulantem in proſcenio. Non potui,inquam,iſta bono ſtomacho digerere. *Demonſtratio-nem ſumam à cauſſâ proximâ rei demonſtrandæ: cui, vtpote ſcientifi-cæ, nullâ ratione contradici poterit.*

Plat. in Alcib.

* *Scruta detrita,*

Phil. Lanſberg. Controu. 2. de motu terræ.

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

(tuos enim tibi reddere verſus,ne neſcias,etiam nouimus) cogita-bam tacitus. Igitur,aiebam, veritas quam in Scripturâ ſacrâ, ac in tantâ argumentorum luce videre oculis pænè ipſis hactenus putaui, phantaſma & μορμολύκειον tantùm fuit. Itaque inſpicio auidè demonſtrationem,video elenchi fucum,obſtupeſco oculos auctoris potuiſſe effugere, & in fine iterùm magnificè recantari: *Hæc eſt demonſtratio noſtra* ἐπιστημονικὴ, *cui nullâ ratione quis contra-dicat*. Poſteà aliquoties, tamquam de Ptolemæo & veritate triumphans, ſe *apodicticè oſtendiſſe, motum annuum non conuenire Soli, ſed terræ,* ſublimis & in cothurno iactat. Quid facerem? Tam patiens non ſum,vt hæc in apertam veritatem dici,ferre po-tuerim. Quod etiam addit, *Lunæ motum non eſſe cælo conſenta-neum, ſi terra in centro mundi quieſcat* (& tu aliquando ſubmur-muras,& libenter diceres) falſum eſt. Nam iam fateris, *In hypo-theſi terræ quieſcentis aliquas ſaltem Lunarium apparentiarum cauſ-ſas fingendo excogitari poſſe,neque id dubium eſſe,neque nobis contra Phil.Lansbergium probandum fuiſſe.* Cælo igitur etiam Ptolemai-co,non tantùm Copernicæo, conſentit motus Lunaris. Sed *fin-gimus iſtas cauſſas,* & motum Solis,inquis. Imò veſtras, & terræ motum à vobis fingi,omnes clamamus,mi Lansbergi: & hæc eſt Helena,propter quam Ilium veſtrum obſidemus.

Quod de Antipodibus iterùm retractas, diſſimile, vanum & nihili eſt. Quòd nos verò exiſtimas de *vano hominum genere eſſe, qui vix micam habent ingenij*; Deo pro micâ noſtrâ gratias agimus. Certè,dum hæc tua lego,dubito, an natura etiam in te fuerit valdè liberalis.

Sed

Sed lepidiſſimum prorſus eſt, quòd parentis tui demonſtrationem alteri comparas & parias, quâ Aſtronomi demonſtrant *interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam, eclipſis Lunaris vnicam cauſſam eſſe.* Et quia hæc demonſtratio certa, nec *puerile ſophiſma* eſt, exclamas: *Fromondus tamen, licet Theologus, quem verecundum & ingenuum* (vbi veritas ſuperbè peſſumdatur, nimia verecundia nocet) *quem animo ſedatum* (nullos ſenſi animi fluctus. vtinam tu tam tranquillus eſſes!) *ac minimè in aſſerendo temerarium* (temerarius non eſt, qui lucem humanæ mentis, & Scripturam ſacram ducem habet) *eſſe oportebat; Lansbergij demonſtrationem iſti Aſtronomorum* (de eclipſi Lunæ) *demonſtrationi ſimillimam, atque eodem prorſus medio vtentem, puerile ſophiſma vocat, ſcuta detrita,* &c. Hęccine à viro ſcribi qui micas aliquas ingenij & eruditionis hîc & ibi ſparſit? *Simillimam, atque eodem prorſus medio vtentem,* tui parentis demonſtrationem, Lansbergi? Per Deum immortalem, aperi oculos, videbis quod quilibet puer poteſt. Componamus enim inter ſe iſtas demonſtrationes.

Ant-ariſt. cap.19.

Demonſtratio eclipſis Lunaris firma, legitima, ac diſsimillima Lanſbergianæ.

Aſtronomi primùm, conſpicantes Lunæ eclipſin, & requirentes cauſſam, animaduerterunt accidere in plenilunio, quando terra interpoſita eſt inter Solem & Lunam; ac deinde, numquam extra illud plenilunij tempus, ſimilem defectum ſideri accidere. Collegerunt igitur à poſteriori & euidenter, vnicam Lunaris eclipſis cauſſam eſſe, telluris inter Solem & Lunam interpoſitionem. Vnde à cauſâ poſteà redeuntes ad effectum, demonſtrarunt redituram & futuram eclipſin, quoties talis cauſſa rediret & in rerum ratione poneretur. In demonſtratione Lansbergianâ omnia diſſimillima. Nam nec ex apparentiis Lunaribus poteſt à poſteriori certò & euidenter colligere earum vnicam cauſſam eſſe, telluris in Eclipticâ motum (quandoquidem omnia eodem modo euentura ſint, etiamſi cum Ptolemęo arbitremur terram quieſcere & Solem moueri:) nec à priori etiam poteſt aſſumi terræ motus tamquam cauſſa certa, & quæ reuerà in cælo ſit, & actu efficiat coniunctiones & apparentias Lunares; quia iſtæ fortaſſe, non motum terræ, ſed motum Solis pro cauſâ habent. Non enim euidentius eſt, terram quàm Solem ſub Eclipticâ incedere: imò ſi ſenſum ſequimur, terrâ quieſcente Sol circulum annuum ſolus circumuoluitur. Itaque cernis iam, quantâ diſſimilitudine demonſtrationes illæ inter ſe comparatæ, à ſe diſſiliant. Quæris deinde

deinde feruidè, *ex quo cælo didicerim, in hypotheſi terræ quieſcentis, Lunam poſſe Solem ſub Ecliptica incedentem, debito tempore aſſequi.* Ex cælo Ptolemæi, & eorum quos ANT-ARISTARCHVS adnotauit ad marginem, mi Lansbergi. Ex parente tuo, & ex teipſo etiam iam, qui dicis, *hypotheſes Ptolemæi & Copernici, quoad cæleſtes apparentias, non magis inter ſe differre*, quàm viam quæ Athenis Thebas, & quæ *Thebis Athenas ducit; etiamſi toto cælo differant quoad apparentiarum cauſſas.* Deinde, eſt lumine naturæ tam euidens & compertum, ſimili vtriuſque ſideris motu, poſſe luminaria regulariter mota, ad ſuas coniunctiones, conſtitutis temporum interuallis redire, quàm duos veredarios eadem viâ currentes oportere alicubi coniungi, ſi poſterior ſit velocior priore. Nec tamen ex cælo didici, aut diſcere potui, hanc eſſe reuerà, & ipſo facto, cauſſam apparentiarum Lunarium; ſed ſolùm contendo, has apparentias in ſimilem cauſſam poſſe referri, ac proinde, vos ex iſtis apparentiis ad alteram cauſſam, ſiue terræ motum, inualidè argumentari. Itaque tecum ſum & ſentio: ſolas apparentias nos aſpicere in cęlo; ſed quia effectus iſti à variis cauſſis dependere poſſunt (id eſt, à motu Solis, aut terræ) nego te, aut me, ex iis ſolis effectibus, alteram determinatè duarum cauſſarum poſſe ſolidè coniectare. *Ex apparentiis Lunaribus, nec motus terræ, nec motus Solis determinatè poteſt certò colligi, ſed alteruter confusè.*

Corrigis etiam raptim neſcio quem meum errorem, quaſi dixerim Lunam *in ſuo circulo*, ſpatio menſis grad. 389. &c. conficere, cùm tamen debuerim, *in longitudinem Eclipticæ* dicere. Sed ad ANT-ARISTARCHVM redi, ſi lubet: aut oculi me valdè fallunt, aut non reperies, *in ſuo circulo*. Deinde exertâ voce interrogas: *Dic etiam Fromonde, vbi locorum Ptolemæus Aſtronomorum omnium facilè Princeps* (fidem igitur potiùs huic Principi habe, quàm Copernico) *tria illa quæ tu liberaliter aſſumis & pro Ptolemaicis venditas, tamquam ex cælo certa, & demonſtrata propoſuerit?* An tria ſint, an duo, an vnum, cæde tu & computa vt vis, ego quod dixi repetam. Parens tuus aſſeruerat (quod tu obnixè files, quia non habes vnde defendas) ex doctrinâ Ptolemæi, quâ docet motum Solis adiiciendum motui Lunari, vt ſciamus, quot gradus Luna vno menſe conficiat, conſectaneum eſſe, vt *orbis Lunæ ſimul cum Sole circumuoluatur; quod tamen impoſſibile eſt, & præter Ptolemæi ac Tychonis poſtulata. Nam quia*, inquit, *orbis Lunæ idem centrum habet cum orbe Solis, ſcilicet centrum terræ; nequit* Ptol. lib. 4. cap. 3. Almag. Phil. Lanſberg. Controu. 2.

etiam illo ampliùs promoueri. Atqui orbis Solis non mouetur, ſed penitus quieſcit (vbi iterùm, principium egregiè petit) *ergo & orbis Lunæ.* Deinde oſtendit, ob interiectos Mercurij & Veneris orbes, Lunam non poſſe epicyclo ambire Solem, tam longè remotum, quemadmodum aſtra Medicea, Galilæi inuento, ambiunt Iouem. Reſpondi (quod etiam itero) parentem tuum manifeſtâ allucinatione circumuentum eſſe; & quemadmodum in ſyſtemate Copernicano videbat Lunam cum terrâ eodem communi motu, per longitudinem Zodiaci incedentem, ita vt vniuerſa regio elementaris videatur Lunam vnà deportare, veluti nauis ſuũ nautam; idcircò putaſſe, idem Soli & Lunæ in ſyſtemate Ptolemaico debere contingere: quaſi verò motus luminarium eodem prorſus modo, in vtroque ſyſtemate adminiſtrarentur, Solem & terram tantummodò inter ſe commutando. Sed fallitur. Sol enim non debet eodem motu ſecum auehere Lunam, quemadmodum terra Copernicana circumducit eamdem, vt vera ſint quæ Ptolemæus loco citato diſſeruit. Ptolemæus & Aſtronomi paſſim, aiebam, *ſolùm docent, vt Luna menſem ſuum abſoluat, & ab vnâ cum Sole coniunctione ad alteram redeat, non ſatis eſſe 360. gradus, id eſt, totam Zodaici longitudinem proprio & ſuo motu emenſam eſſe, ſed motum inſuper 29. grad. (& quod excurrit) adiiciendum; quia Solem non inuenit in eodem Zodiaci loco, vbi eum in proximâ coniunctione reliquerat, ſed inde verſus Orientem ad gradus 29. motu proprio ſub Eclipticâ promotum. vnde vt eum iterùm aſſequatur, debet etiam ſuo motu ſpatium illud conficere, & in ſupputatione temporis integræ Lunationis, oportet 2. circiter dies, quibus hoc ſpatium emetitur, addere ad 28. dies, quibus Zodiaci longitudinem circumcurrit. Et hoc eſt, Lunæ integrum, ab vnâ coniunctione ad alteram motum, ex propriâ* (id eſt, non Solis) *circa totum Zodiacum periodo, & motu intereà Solis (id eſt, particulâ motûs Lunæ tantâ, quantus intereà temporis fuit motus Solis ſub Eclipticâ) compoſitum eſſe, vt ex Ptolemæi loco, quem citat Lansbergius, ex Albategnio, Maurolyco, Tychone, & omnibus à caluo ad caluum, eſt manifeſtum.*

Ant-ar. cap. 19.

Ptol. lib. 4. cap. 3. Al mag.

Lansbergius Ptolemæum non intelligit, aut ſe intelligere diſſimulat.

Quid iam ex me quæris Iac. Lansbergi? Ex quo loco Ptolemæi hæc didicerim. Dixi tibi, ex illo citato à tuo parente. Sic enim incipit. *Si diurnum Solis medium motum* 0.59.8.17.13.12.31. *proximè, in dies vnius menſis* 29.31.50.8.20. *multiplicauerimus, & ſummæ addiderimus, vnius circuli gradus* 360. *habebimus, quot in*

menſe

menſe vno Luna motu medio per longitudinem mouetur gradus, qui ſunt 389,&c. Vbi gradus integri menſis Lunaris cõponit ex 360. quos Luna totum Zodiacum ambiendo emetitur, & auctario 29.graduum (& quod abundat) quos Sol intereà conficit, dum Luna vniuerſum Zodiacum circumcurrit. ideò enim iubet, vt *diurnum motum Solis in dies vnius menſis multiplicemus*, vt ex eius ſyſtemate & totâ Aſtronomiâ Ptolemaicâ eſt compertiſſimum. Nec ad hanc compoſitionem motus Lunæ integri menſis, magis eſt neceſſe, *Lunam à Sole aut à terrâ raptari, quàm opus mihi naui, vt Louanio pedes Bruxellam vadam*, vt dicebat ANT-ARISTARCHVS. Numquam tamen dixit, aut venditauit, motum vtriuſq; ſideris eſſe cauſſam *ex cælo certam & demonſtratam* apparentiæ illius cæleſtis, vt tu liberaliſſimè ei imponis; ſed ſatis ei eſt ad tuam & parentis demonſtrationem diſſipandam, cæleſtem iſtum effectum & apparentiam facillimè tribui poſſe motui vtriuſque ſideris, etiamſi vnum non trahat alterum, vt nauis nautam, aut vt terra Lunam, in ſyſtemate Copernicano; vt proinde non ſit ideò neceſſe terram mouere, ſed ſufficiat ad Lunæ motum adiungere motum Solis concomitantem, non trahentem ſecum Lunare ſidus. Vnde quod addis: *Ptolemæus vir ſolidus & iudicio incomparabilis, nihil hîc ſcripſit, quàm quod certiſſimâ demonſtratione ex cælo cognitum habuit: ſcilicet, Lunam motu medio in longitudinem Eclipticæ, menſis ſpatio moueri grad.*389. &c. *hoc eſt, quot grad. Luna menſis ſpatio in ſuo circulo periodicè mouetur, & Sol in Eclipticâ procedit*; verum eſt, & hoc eſt quod vnicè contendo. Nempe Solis, non terræ, motum ſub Eclipticâ, comitantem, non trahentem ſecum Lunæ motum (de tali enim tractione Ptolemęus numquam ſomniauit) cauſſam probabiliſſimam (non dico, *certam & ex cælo demonſtratam*, vt tu fabularis) Lunarium apparentiarum à Ptolemæo conſtitui. Igitur perperàm & peſſimè, vnicam cauſſam, & quidem *certam, ſcientificam* (& cetera quæ in ventos ſpargitis) Lunarium apparentiarum in vno motu terræ annuo collocatis. Quid igitur clamas? *Videte inſignem Theologi Louanienſis audaciam, & in aſſerendo temeritatem, qui tria illa figmenta* (mi homo, illa ſunt turbati tui capitis) *non Tychonis & Maurolyci ſolùm pallio, ſed tamquam certa & vera* (fallis & imponis. effectus certus eſt, ſed ex eo non poteſt, vt toties dixi, certò inferri motus terræ, aut Solis) *Ptolemæi auctoritate palliare auſus fuit.* Falſa nulla pallio, ſed

vera quæ volui, etiam à te palàm iam accepi. Sed altiùs etiam, homo pudens & ingenuus, vocem tollis. *Iudicet nunc Lector, an Fromondus bonos oculos* (iam vidiſti antè, ſi tu oculos habes) *habuerit & ingenuam frontem, qui tot eruditis hoc ſæculo, in quorum manibus Ptolemæus teritur, figmenta ſua pro Ptolemaicis venditare auſus fuit. Sunt enim quæ aſſumit, aliorum inuenta, qui non ex cælo, ſed ex ſuis hypotheſibus certam quamdam & ſcientificam Aſtronomiam nobis cudere voluerunt, quiq; omnia ad libitum fingentes; certa, incerta, veriſimilia, abſurda, vera, falſa aſſumpſere, modò cum ſuis hypotheſibus conſentirent.* Lacon quidam ad Echo: *Das ſine mente ſonos.* O Morine, quæ mens tibi & cogitatio erit, dum hæc à Belgis (quos fortè æſtimaſti hactenus) ſcribi, & in oculos eruditi huius ſæculi mitti videris? Omnia verò quæ iam effutis, Iac. Lansbergi, ex vero data ſunt parenti tuo ab ANT-ARISTARCHO, & in eum teque veriſſimè cadunt: habete, vt nacti, quid in alios ex irâ & vindictâ regeritis? Nihil finxi quod Ptolemæi non ſit, nec ex ſolis apparentiis Lunaribus ſcientificam Aſtronomiam (nam hoc ſolo argumento nec Solis, nec terræ in Eclipticâ motum poſſe certò coniectari, ad rauim iam pænè dixi) cudimus; ſed vos inde ἐπιστημονικῶς *& ſcientificè, per cauſſam proximam, certam, neceſſariam* (& alia, quę ſine riſu non poſſum dicere) Aſtronomiam Copernicanam totam iam ἐπιστημονικὴν, *& cui nemo contradicere valeat*, egregiè fabricati eſtis.

Quod ſub exitum etiam obiter ſpargis, *Per hypotheſin terræ quieſcentis non poſſe dari cauſſas neceſſarias cæleſtium apparentiarũ*, apertè falſum eſt, & Magini, Origani, & tot aliarum Ephemeridum calculus te reuincit, qui per Solis & Lunæ (non terræ) in Zodiaco motus, Lunæ phaſes, & omnes luminarium aſpectus explicant, tamquã effectus per cauſſas neceſſarias, ſiue, ex quibus neceſſariò reſultant illi effectus. An autem cauſſæ illæ veræ ſint, id eſt, an reuerà Sol in cælo moueatur, an tantùm ſic appareat, ex ſolis illis apparentiis ſciri certò nequit, ſed aliis aduerſus Copernicanos plurimis argumentis, moueri eum euincimus, & terrã quieſcere.

Veterem autem cramben recoquis, & antiquum principium petis, dum iterùm ais cauſſas Ptolemæi fictitias, Copernici veras eſſe. Id enim nondum probaſti, & nos dicimus, cauſſas Ptolemæi veras & cælo, ipſo facto competere, veſtrum verò terræ motum in ſpatia imaginaria & in chimærarum patriam relegamus.

CAPVT III.

Demonſtrationem Lansbergianam à feſtinatione, ſtatu, regreſſu Planetarum ſumptam, eodem vitio laborare.

QVia aiebam, *nullo argumento in ſpeciem probabiliori, motum terræ annuum à Copernicanis aſtrui, quàm illo ſtationis, directionis, regreſſionis Planetarum*, interrogas me, *Quid ergo dubitas Fromonde, motum terræ in Eclipticâ, vt veram amplecti?* Tibi dixi, Lansbergi: quia omnes iſti Planetarum luſus, alio modo, aut per epicyclos Ptolemæi, aut per ſpiras Tychonis poſſunt expediri: quâ igitur certitudine, ex illo effectu poſſim colligere terram moueri, cùm poſſit ab aliâ cauſsâ dependere? Sed terræ motus annuus ſi ponatur, cauſſa concinna erit, inquies, cur Planetæ ſuperiores appareant interdum ſtare, feſtinare, regredi. Sit ita, mi Lanſbergi. Attamen multæ cauſſæ ad eumdem effectum concinnæ eſſe poſſunt, nec ego ex meâ mente (vt perperàm refers) ſed Copernicanorum, quorum argumentum proponebam, dixi, *cauſſam concinnam huius phænomeni, in Ptolemæi aut Tychonis philoſophiâ reddi non poſſe.* Poteſt enim ſanè, etſi in ea plus ſit artificij, & pluribus motibus res adminiſtranda ſit. Deinde licet vnicus terræ motus videatur nobis cauſſa concinna, fortaſſe tamen reuerà inconcinniſſima eſt, quia ex tanto cæli interuallo intelligere non poſſumus omnes modos & rationes, quibus corpora illa aſtrorum torqueri & retorqueri debent, vt ſecundùm leges & ſapientiam ſummi Opificis, influentias ſuas diſpenſent per elementa mundi inferioris. Vnde ſtatim apparet coniecturæ incertitudo ac imbecillitas, quâ ex tali effectu, terræ motum vnicam eius cauſſam eſſe colligimus. Ant-ariſt. cap. 18.

Sed veteres tuas nænias iterùm recantas: quæſo tace, ſomnum mihi facis. *Plures cauſſas*, inquis, *ex hypotheſi terræ quieſcentis prætendi & fingi poſſe: Nullas autem ex neceſſariis & veris ſcientificè deduci poſſe, quas ex hypotheſi terræ motæ D. Lansbergius demonſtrauit, & Fromondus hîc diffiteri non poteſt. Qui cùm has ſcientificè inuentas reiiciendas, illas verò confictas, recipiendas cenſet, veræ rationi contradicit.* Vis igitur iterùm audire? Centies iam propemodum tibi inculcauimus. Demonſtratio tua ſcientifica principium petit. Vt enim probes terram moueri in Eclipticâ, aſſumis

eam moueri in Eclipticâ, vt inde tamquam ex cauſsâ (quam tamen eſſe in cælo neſcis) ſtationes, directiones, retrogradationes Planetarum explices. Quid hoc, ad oſtendendum terram actu & ipſo facto, in Eclipticâ moueri, te iuuat? Probare debueras, à nullâ aliâ quàm à terræ motu, illos effectus poſſe dependere. Id autem compertæ falſitatis eſt, nam Ptolemæus, Tycho, & omnes non Copernicani per veros Planetarum, non terræ, motus, luſus illos expediunt, nec in deſignandis temporum, quibus recurrunt, interuallis magis aberrant quàm Copernicani. Vana igitur ſunt, quæ de *inuentione cauſſarum ſcientificâ*, & cetera quæ hîc & vbique iactas. Ex motibus Planetarum non minùs quàm ex terræ annuo motu, poſſunt effectus illi ſcientificè demonſtrari, nec hoc quæritur, ſed vtræ cauſsarum reuerà ſint in cælo. Neque motus Planetarum ſunt magis fictitij, quàm motus terræ. Sed cauſſa ſolùm quæ Planetas agitat in obſcuro & ambiguo eſt; ſed nónne etiam cauſſa quæ terram Copernicanam per aërem volare facit? Ecce enim ipſe nuper fatebaris, cauſsam terræ motricem *à te, & à me fortè ignorari.* Quid igitur hîc certitudinis & cauſsæ habes, cur Copernicum Ptolemæo aut Tychoni præferas, & tantopere glorieris? Quid etiam erat, quod me *non diffiteri*, iam ſtatim dicebas? Hoc ſolùm faſſus ſum: Argumentum Copernici à ſtatione, directione, &c. Planetarum eſſe *in ſpeciem probabile*, terræ motum etiam *videri cauſſam concinnam* iſtorum effectuum. Sed multa in ſpeciem probabilia, ſunt falſa, mi Lansbergi (quale etiam iſtud veſtrum Copernicanum paradoxum eſt:) multa deinde *videntur concinna* quæ non ſunt, aut certè aliis concinnioribus cedere debent. Accipe meam confeſſionem, & iſtâ rem Copernicanam adiuua, ſi potes.

Non quæritur, An per motum terræ imaginatum poſſint vtcumque explicari motus Planetarum, ſed an illa cauſſa reuerà ſit in rerum ratione.

Quod primâ fronte concinnum apparet, nõ ſtatim eſt tale: & deinde concinno aliud dari poteſt concinnius.

Quid etiam raptim & in fugâ de vi Solis magneticâ, Angelorum miniſterio, aut choro Planetarum circa Solem ſubmurmuras? quæ omnia tibi *fabulæ*, & ab homine *fabuloſo*. Sta paulliſper, non tam perfunctoriè defungi potes, & tamquam veſpa infixo aculeo auolare. Hoc eſt quod admordes. *Itaque vel Ptolemæi epicyclis, vel ſpiris (quod magis opinor) quæ non longè à Tychonicis abludunt, & proprio Planetarum motu, in acceleratione illâ eorum & retardatione, vti maluit Deus, quàm paradoxo telluris motu. Et quamuis ſpiræ, quas in altum exſiliendo & deſiliendo deſcribunt Planetæ ludendo circa Solem, perplexæ ſint, extricari tamen vtcumque*

Ant-ar. c. 18.

à no-

à nobis valent; & ſatis eſt Artifici ſuo, & Angelis fortaſſe rectoribus perſpectas eſſe. Oſtendo deinde omnia etiam apud Copernicanos intricatiſſima eſſe; quod ſatis clamant Kepleri, Gilberti, Origani, Lansbergij, aliorumque pugnæ aut diſſenſus. Dicebam poſteà, ſi vera eſſet ſententia Kepleri, omnium Copernicanorum ſine controuerſiâ acutiſſimi, Solem nempe reuolutione circa ſuum centrum, vi magnetica circumducere Planetas in orbem, poſſe hinc fortaſſe peti cauſſam ſtationis, curſus, ac recurſus Planetarum. Omnes hæ cauſſæ tibi diſplicent, quarum tamen quædam ceteris Copernicanis tantopere allubeſcunt. Sed quid Ptolemaici ſe fatigant, vt tibi inueniant cauſſas ſecundas motrices Planetarum? Quære tuipſe. Nam moues etiam vniuerſos Planetas (vno Sole excepto) motu periodico ab Occaſu verſus Ortum. Dic ergo cauſſam motûs huius effectricem; tibi eamdem facilè reddiderimus, quæ vnâ eademq; operâ, nunc incitet, nunc retroagat, aut ſtare faciat corpora Planetarum. Si dicas (quod ſoles, & credo) te neſcire cauſſam; patere ergo etiam aliquid in re iſtâ à nobis ignorari. Itaque ſi cauſſæ iſtæ motrices fabuloſæ ſunt, veras tu inueſtiga pro motu Planetarum periodico, & dicemus tibi quid reuoluat, ſine motu terræ, epicyclos Planetarum. Sed, mi homo, fruſtrà intra latebras cauſſarum efficientium te abſcondis, ex quibus te facilè protrahemus in mediam lucem. Vide enim iterùm cauſſæ noſtræ ſtatum. Sidus Martis, exempli gratiâ, apparentem diametrum, ſiue magnitudinis ſpeciem manifeſtè euariat. Aliquando enim vt primæ, aliàs vt ſecundæ, aut tertiæ magnitudinis ſtella apparet. In hoc nullus inter nos eſt diſſenſus, quia eſt effectus ſenſibilis. In cauſsâ verò proximâ diſſentimus. Nos enim arbitramur Planetam ipſum, vero & ſuo motu deſcendere verſus terram, ideoq; ex maiori propinquitate apparere quandoque ampliorem, vos exiſtimatis terram potiùs euehi ſurſum, & oculum noſtrum ſideri propiùs admoueri. Itaque motus ſideris nobis, vobis autem motus terræ eſt cauſſa proxima huius effectus. Si verò remota cauſſa inquiratur, id eſt, quæ motum ipſum ſideris, aut terræ efficit, nobis & vobis perinde in abdito eſt. Neſcimus enim certò quænam vis motiua corpus ſideris ſummittat, aut in altum reuocet, vos autem ignoratis (& fatemini) à quâ virtute pellente tellus veſtra circulum annuum circumcurrat. Cernis igitur, mi Lansbergi, nos vndique eſſe pares. Vnde quem-

Omnia etiam apud Copernicanos perplexa & intricata eſſe, ſatis dicunt pugnæ eorum & conflictus.

Dicant nobis Copernicani cauſſam efficientem motuum periodicorũ in Planetis, dicemus directionũ, ſtationum, retrogradationum.

Cauſſa proxima quæ mutat apparentem magnitudinẽ Martis, eſt motus ipſius ſideris: cauſſa verò remota, id eſt, quæ mouet ſidus, in obſcuro eſt; veluti cauſſa quæ terram Copernicanã mouet.

quemadmodum difficultas reperiendæ veræ cauſſæ quæ terram mouet, à ſententiâ Copernici vos non abſterret; ita neque ob perplexitatem cauſſæ mouentis ſidus, Ptolemæum deſerere debemus.

Hinc liquet quàm miſerabiliter iſta in me expuas. *Vt autem argutiarum tuarum,* inquis, *ineptiam hîc magis videas: dic Fromonde, numquid mente captus, & primam tibi rationis luculam amiſiſſe videretur, qui probatâ ex cælo eclipſis Lunaris cauſâ per interpoſitionem terræ, illi demonſtrationi aſſentiri nollet; quòd alias iſtius obſcurationis cauſſas, incertas tamen & ſibi incognitas prætendere poſſit: puta vim magneticam, vel interpoſitionem nebuloſi & tenebroſi corporis, eo ipſo tempore factam ab Angelo aliquo ad nutum ſui Conditoris omnia dirigentis?* Ita, mi Lanſbergi, tale ſinciput non valdè ſanum eſſet. ſed quid hoc ad rem tuam? Nam ex effectu & à poſteriori manifeſtè demonſtramus, vnicam & ſolam cauſſam Lunaris eclipſis, eſſe terræ interpoſitionem; quia quotieſcumque accidit Lunæ deliquium, luminaria toto cælo diſtantia, etiam oculis ipſis cernere poſſumus, & inde certiſſimâ coniecturâ aſſequi, terræ globum inter vtrumque luminare interiectum eſſe, & Lunæ luminibus officere. Ex amplitudine autem Planetæ ad ſpeciem variatâ, aut ex alio quocumque cæli phænomeno colligere certò à poſteriori non potes proximam & vnicam cauſſam eſſe terræ potiùs quàm ſideris motum. Si verò de cauſâ remotâ quæſtio ſit, neſcis, an à vi magneticâ, an ab Angelo, an aliâ cauſâ tellus Copernicana motu annuo circumcurrat; perinde atq; nos de cauſâ motrice ſiderum, in ambiguo & fluctu ſumus. Quin imò, antè tibi oſtendimus, longè citiùs nos reperturos cauſſam probabilem quæ ſidera, quàm vos quæ terram Copernicanam, agitet. Igitur probabiliori ſpecie argumentum tuum ſic formaſſes. Eſſétne is ſani capitis, qui videns Solem & ſidera mutare locum, terram verò pigram & immobilem deſidere, nec vllo ſolido aut probabili argumento, oculorum fidem refelleret, pertinaciter tamen imaginaretur id tantùm ita apparere, & ſidera re verâ loco non dimoueri, ac apparentiæ cauſſam eſſe in inſenſibili aliquo & rapidiſſimo terræ motu, qui ab occultâ, & ipſis opinantibus ignoratiſſimâ virtute, fortè animatâ, aut magneticâ, aut Angelicâ, &c. efficeretur? Crede mihi, mi Lansbergi, tale caput eſſet *Fromondo magis fabuloſum*, & diſpeream, ſi P. Ouidius Naſo

Tractat. 2. cap. 2.

ſo à mortuis exiſteret, cui olim

——circumfuſo pendebat in aëre tellus,
Ponderibus librata ſuis,—— Ouid. Metam. 1.

audieris iam à Copernicanis iuſſam in cælum auolare, niſi hoc prodigium, & tam craſſi corporis metamorphoſim collocaret in capite omnium fabularum.

Me tandem paulliſper dimiſſo, Morinum repetis, & negas *attigiſſe quidem D. Lansbergij argumentum, tantum abeſſe, vt illud deſtruxerit.* Næ tu Morine, malus iaculator es, qui rem tam craſſam & expoſitam tangere non valueris. Cur non autem? Quia *D. Lansbergius*, ait filius eius, *numquam negauit, ex hypotheſi terræ quieſcentis, apparentiarum cæleſtium cauſſas fingi poſſe: vnde, Morine, D. Lansbergij demonſtratio, ſicut apparet, tibi incognita fuit, neque vim eius percepiſti, tantum abeſt, vt eam refutare potueris.* Quid Morinus hîc tacturus ſit, neſcio: ridebit tamen, opinor, & dicet demonſtrationem D. Lanſbergij à ſe bellè inſpectam & introſpectam fuiſſe. Vis enim eius hæc eſt. Ex motu terræ poſſe à priori apparentias & phænomena cæleſtia demonſtrari, & ceteras cauſſas quæ à Ptolemæo, Tychone, & aliis paſſim afferuntur, fictitias eſſe: id eſt, petit principium & aſſumit quod oportebat ſolidè in anteceſſum probaſſe. Negant enim alij cauſſas iſtas falſas & fictitias eſſe, aiuntque eſſe veros & poſitiuos motus ſiderum, fauente etiam oculorum ſenſu. Hi enim ſiderum motus tam poſſunt eſſe cauſſæ proximæ, cur ſidus nunc in iſto, nunc in illo loco appareat, quàm motus terræ. Cauſſæ verò remotæ (id eſt, ſiderum, aut terræ motrices) æquè arcanæ ac in incerto ſunt, vt iam aliquoties inculcamus. Vnde cùm clamas, *Si tibi, Morine, poſthac propoſitum ſit, demonſtrationem Lansbergij impugnare, doce ex hypotheſi terræ quieſcentis, iſtarum apparẽtiarum neceſſarias cauſſas ſcientificè oſtendi poſſe*, parere ſtatim tibi poteſt, & pro cauſſis neceſſariis afferre ſiderum veros motus, quos ad calculum vocant Ephemeridum conditores. Cur enim non tam ei hoc liceat, quàm vobis aſſumere motum annuum telluris? Vnde cùm tritum & intercalare tuum epiphonema (*Manet igitur immota D. Lansbergij demonſtratio*, &c.) iterùm audio, non abeſt, quin cum Horatio exclamem, *O te Bollane cerebri felicem!* ita nos obtundis; nam ridendo iam dudum ſaturi & fatigati ſumus.

CAPVT IV.

Fruſtrà fumos alios & nebulas ſpargit, vt paternæ demonſtrationis mendum obſcuret Iac. Lansbergius. Compendioſius & concinnius eſt, ſidera omnibus neceſſariis motibus onerare, quàm horologio cæleſti nouam terræ rotam inſerere.

VT nos tandem, opinor, tædio mactes, eadem iam iterùm, ad aurium vſque ſurditatem reculcas & dicis. * οὐδὲν γὰρ ἐςʹ ἀλλʹ ἢ κοὰξ, κοάξ. Vis per meriſſimam vim, *D. Lansbergij* ἀποδείξει *& demonſtratione controuerſiam de terræ motu diremptam eſſe, vt nulla poſthac dubitandi occaſio iis ſaltem relicta ſit, qui rationi cedere non grauabuntur*. Deinde Morinum & me, & id genus *ſciolos* ſinis contemptim *in ſuis dubiis contabeſcere*, homo minimè Pyrrhonius, & qui non magis dubitas terram, quàm muſcam volare. Poſtremò omnem lapidem moues, & nodum tentas, vt parentem laqueis mendoſæ demonſtrationis captum expedias. Sed vulpem videre mihi videor plagis inuolutam, quæ quò pertinaciùs retia iactat, aut ſecretiores exitus quærit, eò arctiùs & pluribus nodis ſe circumuenit. Non enim aduerſus veritatem eſt conſilium, mi Lansbergi. *Magna eſt terra*, inquit ille, *& excelſum eſt cælum, & velox curſus Solis* (hic profectò non erat Copernicanus) *conuertit in gyro cælum in locum ſuum in vnâ die. Nónne magnificus eſt qui hæc facit, & veritas magna, & fortior præ omnibus?*

* *Nihil præter coax, coax.* Ariſtoph. in ranis.

3. Eſdr. 4.

Primùm igitur dicis, poſſe ex terræ motu reddi *cauſſas proximas & neceſſarias* (id eſt, ex quibus neceſſariò ſequerentur illi effectus) *omnium* (multarum, voluiſti dicere; ſcis enim non omnes à motu terræ pendere) *apparentiarum cæleſtium:* quod toties iam antè tibi dedimus. Sed quod addis, *ſolam illam hypotheſin* id poſſe, nimiſquàm eſt falſum. Per veros quippe ſiderum motus, iuxtà, imò ſuprà ac longè meliùs concinniuſq; ab aliis explicantur proximæ & neceſſariæ iſtorum phænomenûm cauſſæ.

Secundò, *ex vi conſequentiæ*, ais, *terræ motum in Eclipticâ, veram & adæquatam cauſſam iſtarum apparentiarum eſſe*. Ex eo quòd per terræ motum cauſſæ apparentiarum reddi valeant, nullâ ratiocinatione ſequitur, cauſſas illas veras & adęquatas, & ipſo facto in rerum ratione eſſe. Nam cõſequentia à potentiâ ad actum,

tam

tam apertè eſt clauda, vt vix vllo apparenti fulcro valeat imbecillitatem ſuam ſuſtentare. Perinde enim eſt, ac ſi dicas, Anti-chriſtus poteſt eſſe, igitur eſt. Aut, mundus alius à Deo condi poteſt, igitur conditus eſt. Item, Sol quidam alius poſſibilis diem efficere nobis poteſt, ergo actu nobis facit diem; vt antè toties eſt tibi inculcatum. Deſertis tandem Lunæ & Planetarum motibus, ad quædam alia commoda decurris, quæ naſci videntur ex annuo terræ motu. Summa ferè eſt (cetera enim non magnum pretium habent:) quòd duplex terræ motus, diurnus & annuus, plurium cæleſtium motuum vicem ſuppleat. Deus autem & natura amant compendium, & à ſuperfluis abhorrent; nihil enim faciunt fruſtrà.

Verumtamen in promptu eſt reſponſio. Fruſtrà enim aut ſuperfluum non eſt, quod neceſſitatem, aut vtilitatem habet ad aſſecutionem finis qui intenditur. Motus autem illi ſiderum tam multiplices & varij, ad modulandas & diſpenſandas eorum influentias, eâ menſurâ ac lege quæ diuino Opifici collibita eſt, fuerunt neceſſarij. Voluit præthereà, dicebat ANT-ARISTARCHVS, in cælis, *tamquam in horologio quod multiplici rotularum inſtrumento tempus regit, ingenium ſuum oſtendere*, & inde admirationem ac reuerentiam apud creaturas omnes rationales, faberrimam illam cælorum machinationem intelligentes, ſibi facere. Sed compendioſiùs influentiæ diſpenſari poterant, inquiunt, ſi terra ſola ſubuehatur in cælum, & admoueat ſe aſtris, quàm ſi tot aſtra eant & redeant in officium & obſequia vnius telluris. Verùm hoc minimi momenti, & dudum iam antè reiectum eſt. Non enim elemento telluris propriè, ſed homini in eâ degenti, famulantur aſtra: decentius verò eſt, vt famuli dominum circumcurrant, quàm vt dominus famulos accedere debeat, vt officia ab iis recipiat. Itaque homo quietus potiùs in centro vniuerſi permaneat, & ſiderum famulitia circa ſe diſcurrentia tranquillus ſpectet, & in cælum mente potiùs quàm corpore, ac in admirationem Conditoris aſcendat. Vt quid enim famulos aliquot motibus exuimus, vt iis dominum oneremus? Non ſolemus eſſe tam parci & verentes in diſcurſibus & operibus famulorum. Seruiant qui debent, currant toties & recurrant, quoties expedit vtilitati dominorum. Igitur, non magis miror tot eſſe ſiderum motus, quàm tot eſſe ſidera. Et veluti ſine magnâ (quæ nobis appareat) iacturâ, cælum

Ant-ar. cap. 18.

Sideribus tot motus dare oportet, quot neceſſarij vt famulentur homini.

aliquot aſtris carere potuit, & tamen Conditor, ob arcanā quamdam vtilitatem, ea deeſſe noluit; ita etſi paucioribus fortaſſe ſiderum quorumdam motibus, non magno damno mulctaretur mundus elementaris, ſua tamen ratio Opifici conſtat, cur ab illis motibus cælos conquieſcere, pro bono non iudicauerit: præſertim cùm illa motuum cæleſtium multitudo, duplici rapidiſſimo terræ motu redimi debuiſſet. In his autem duobus terræ motibus tot ſunt remoræ & impedimenta, tot abſurditates & paradoxa, vt longè etiam pluribus cælorum motibus, ſi neceſſarij aut vtiles fuiſſent, ea oportuerit vitare & effugere. Clamat tamen Iac. Lanſbergius, *certum & indubitatum eſſe, omnia aut falſa, aut ex falſis perſuaſionibus orta, quæ terræ motui abſurda obiiciuntur.* Alij iudices ſunto. Non credimus tibi in propriâ cauſsâ, mi Lanſbergi, & tua *certa* nimis iam ſæpè incertauimus.

Vt deinde oſtenderem, non ſemper ſimpliciſſima, etiam perfectiſſima eſſe inter cetera, hoc etiam iucundè & renidendo interieci. *Ciconiæ & aliæ quædam ἄσαρκοι & macilentiſſimæ aues vnicum & ſimpliciſſimum ile à roſtro ad caudam habent, an ideò meritò gloriari, & homini cui tot flexuoſiſſimis ſpiris & orbibus ilia implicantur, obſtrepere poſſint?* Hanc autem *ratiocinationem* Iac. Lanſbergius, qui ſemper * ὀρίγανον βλέπει, nec magis ridere aut renidere nouit, quàm olim M. Craſſus, *valdè ridiculam* appellat. Sed quàm verum ridendo dixerim, inde liquet, quòd totâ frontis aſſeueratione, tam tenuem nodulum non ſatis valuerit diſſoluere. *Poſſent ciconiæ equidem*, *Fromonde*, inquit, *homini obſtrepere, & gloriari, ſi hoc vnico inteſtino præditæ ac carnoſæ, non magis quàm homo, gulæ & aluo inſeruire tenerentur.* Nempe, id eſt quod volumus, mi Lansbergi: Reſpiciendum eſſe finem, qui normam & legem mediis præſcribit. Quia enim homo habitiùs & carnoſius ali debuit, quàm ciconia, nec animal rationale decebat, toties cibum ſumere & ventri indulgere, idcircò natura, humanorum inteſtinorum orbes & volumina multiplicare (vt cibus diutiùs ante exitum circularetur, & plus vtilis ſucci in iecur abiret) reuerita non fuit. Non enim quàm multa ſint ad finem media, ſed quàm vtilia & concinna inſpicere oportet. Medium enim illud perfectius eſt, quod concinnius & accommodatius ſuo fini. Concinnius verò fuit, ſidera in miniſterium hominis creata, motibus onerare, quàm hominem ipſum: & alias tot antè rationes diſſemi-

** toruè aſpicit.*

diſſeminauimus,cur duos illos rapidiſſimos motus terra perferre non poſſit,ceteraque quibus Lanſbergij fugas interclufimus. Veluti ergo cælos & ſidera Deus ad humanos vſus numeroſiſſimè multiplicauit;ita etiam tot iis motus, quot fini ſuo vtiles erant, vnâ & facillimâ operâ addere potuit, & debuit. Addo etiam (quandoquidem compendia naturæ ita vrgent & laudant) hoc fuiſſe compendioſius. Nemo enim negabit,artificem illum compendiosè horologium fabricare, qui paucioribus rotis ipſum abſoluit,etiamſi vnam eamdemque rotam pluribus motibus ire iubeat. Ille verò artificij craſſioris, & minimè compendioſus eſt, qui multa mobilia operi ſuo inſerit, vbi per vnum facilè & concinnè res expediri poteſt. Quandoquidem igitur in ſyſtemate Lansbergiano omnia ſidera aliquos habeant motus, non amat compendium qui terram vnà cum cælis mobilem facit;cùm iſtud vniuerſi horologium nouâ hac rotâ non indigeat,ſed omnia concinnè adminiſtrari poſſint, ſi alij quidam motus iniiciantur veteribus & mobilibus rotis. Simplicius enim, ſine dubio, & magis artificiale eſt horologium,quod paucas rotas multis motibus circumducit. Nam ſola motuum in eodem mobili multiplicatio, præterquàm quòd plurimum ingenij habeat,nihil aut leuiſſimè naturam onerat; cùm plurimi & fermè omnes veteres Philoſophi exiſtiment motus locales nihil ſuperaddere mobili internum; in Philoſophiâ verò nuperâ ſint ſolùm puri modi,vt hodie loquuntur, tenuiſſimæ eſſentiæ & pænè nullius. Deinde, motus qui in cælis multiplicantur,plerumque diſtincti motus reuerà non ſunt, ſed vnicus qui plurium imaginem habet, vt nuper dicebamus. Nam Philoſophi iam paſſim deſciſcunt à Clauio & quibuſdam aliis nimis liberalibus cælorum fabricatoribus. Et olim apud diſcipulos oſtendi orbem fixarum eſſe primum mobile, ac vnico motu agitari (aut certè duplici, quorum vterque immediatè ei imprimi poteſt, ſi librationem quamdam octauæ ſphæræ, cum Magino & Clauio admittimus) licet trium aut quatuor motuum ſimilitudinem oſtentet. Totum etiam Planetarum officium paucioribus longè veris motibus explicari poteſt, vt aliquando etiam in Scholis Philoſophorum diſſeruimus. Vnde nimis, & vltra verum, opinor, multitudinem cæleſtium motuum exaggerat Lansbergius, vt tantâ eorum numeroſitate quietem terræ infamet. Sed penitiorem horum inſpectionem Clariſſimo

Mathematico, Io. Bapt. Morino, cuius hæc eſt profeſſio, relinquimus; præſertim cùm ad deſtruendum Lansbergij argumentum, id neceſſarium non ſit. Iſta enim, vt dixi antè, cæleſtium motuum numeroſitas ſimplicius vniuerſi horologiũ relinquit, quàm ſi ei aliam mobilem rotam (quod faciunt Copernicani) adiiciamus. Vides iam, credo, mi Lansbergi, quomodo argumentum tuum in te reſiliat, & quàm verè Deus compendium quæſierit, quando cælos tantùm, non terram vnà moueri iuſſit. Nam & ipſe, vt iam cerno, tuo te telo transfodiens diſertè ais: *In fabricandis horologiis, non extollit artificis ingenium rotularum copia ſuperflua, ſed eius imperitiam arguit. Nihil enim inter artifices æquè ingenioſum, quàm ſimpliciſſimo inſtrumentorum apparatu multa perficere.* Igitur imperiti artifices Copernicani, qui nouam terræ rotam cælo inuehunt, & in Planetario ſyſtemate choros cum ceteris ducere iubent. Nobis verò Planetæ, ſine vllâ eccentricorum aut epicyclorum (niſi imaginariâ) ſupellectile ſufficiunt, & horologium, quàm Copernicani, ſimpliciùs concinnamus.

Horologiũ cæleſte ſimplicius & ingenioſius apud nos quàm apud Copernicanos, qui terram ex ſuperuacuo ei adiiciunt, vt quintã rotam curru.

Multa deinde falſa, aut inter Aſtronomos ambigua pro veris & certis raptim interſeminas.

Falſum eſt, in hypotheſi terræ quieſcentis, *multa aſſumenda & fingenda eſſe, quæ neque cum cælo conſentiant, neque ex eo vllâ veriſimilitudinis ſpecie deduci poßint.* Aſſumuntur enim veri ſiderum motus, qui tam conſentiunt cum cælo & cæleſtibus phænomenis quàm terræ Copernicanæ motus; quandoquidem parens tuque fatemini, *Sphæram Copernici non alias à Ptolemaicâ in cælo exhibere apparentias.* Quòd verò motuum illorum cauſſas non callidè teneamus, commune id vobiſcum habemus, qui etiam cauſſam terræ veſtræ motricem ignorare non abnuitis. Quamquam parens tuus Deum nobis ſuggerat, terræ cælique motorem. *Nam vti nemo*, inquit, *terram mouere poteſt, niſi ſolus Deus qui eam condidit, Hagg. 2. Ego mouebo cælum & terram* (etſi tamen hæc verba, de motu cæleſtium ſphærarum, aut terræ Copernicano intelligi non debeant, vt ex proximè ſequentibus liquet) *ſic nemo immenſa ac præualida hæc corpora* (ſtellarum fixarum) *commouere nouit, niſi Deus eorum Creator.* Si ergo *ſolus Deus* ſidera mouet quæ condidit, iam ſatis callidum & ſcientem artificem nacti ſumus, qui fixas & Planetas per ſpiras illas & labyrinthos contorqueat, ſicut mundo elementari expedire intelligit; nec vlla iam ampliùs

Phil. Lanſberg. in delineat. 2. cæli.

Phil. Lanſbergio ſolus Deus calũ mouet.

amplius probabilis neceſſitas inſerendi terram aſtris,vt motu ſuo annuo ſuppleat vicem epicyclorum aut motuum illorum ſpiralium,quorum cauſſam efficientem ſecundam tam difficulter explicamus. Nulla enim cauſâ ſecundâ opus,ſi cauſſa prima ſola, eorum in ſe curationem ſuſcepit. Verumtamen fortaſſe per cauſſas ſecundas, vt alibi ſolet, motus illos ſiue ſiderum, ſiue terræ Copernicanæ, Deus adminiſtrat, nec à parente tuo magnopere hîc adiuti ſumus.

De inuiſibili etiam ſphærâ ſupra orbem fixarum, quod addis, falſum etiam autumo. Octo enim ſphæræ mobiles Ariſtoteli & nobis abundè ſufficiunt.

Maxima etiam omnium ſphæra,breuiſſimo 24.horarum ſpatio reuolutionem abſoluit,quia cottidie omnes ſuas fixas circumducere debuit, ad diſpergendas earum influẽtias,iuxta leges diuini Conditoris. Nec amplius mirari debes,motum octauæ ſphæræ eſſe toties motibus Planetarum rapidiorem, quàm ſphæram ipſam tot partibus eſſe ſphęris Planetarum imaginariis ampliorem. Cætera quæ de cælo cumulas partim nebuloſa ſunt,& rectè explicata,nihil abſurditatis habent; ſed Morinus, ſi aliquod operæ pretium eſſe exiſtimauerit,diutius hanc quercum excutere poterit. Sed bellius nihil eſt,quàm quod iam ſequitur.

Ex primâ concluſione (quam tu *veriſsimam*, nos ſophiſticam appellauimus, & oſtendimus) *altera quoque nunc ſequitur*, ais, *& quidem per conſequentiam certam & neceſſariam, quæ ſcientiam veram producere poſsit in animis noſtris. idq́; ob tres rationes euidentes & neceſſarias,quas nunc adducam.* O ſocij, *Funditus occidimus,nec habet fortuna regreſſum*, ſiquidem iſte minas in rem conferat. Quis enim Hercules triplicem *rationum euidentium & neceſſariarum* laqueum diffringere poſſit?

Pergis deinde. *Prima eſt, quòd nemo ſanæ mentis negare poſsit, vnicâ neceſſariâ cauſsâ alicuius effectus ex neceſſariis inuenibili, vt ita dicam, eam vt vnicam & veram recipiendam eſſe. Atque terræ motus in Eclipticâ eſt vnica neceſſaria cauſſa apparentiarum cæleſtium, quæ ex veris & neceſſariis per neceſſariam conſequentiam inueniri poteſt,ergo,*&c. Iam rediit mihi ſanguis. Et eratne hoc, mi Lansbergi, tam aperto ore primam ante aciem vociferandum? Ecce enim in primis, vt nos inſanire dicas, maior propoſitio eſt falſiſſima. In infinitis enim naturæ effectibus vſu venit, vt vera

eorum

Etſi nulla alia cauſſa alicuius effectus præter vnicam excogitata ſit, iſta tamen falſa eſſe poteſt.

eorum cauſſa incomperta ſit, etiamſi Philoſophi, aut Medici vnicam ſæpè cauſſam imaginati ſint, & per Academias vulgauerint, ex quâ neceſſariò effectus ille ſequeretur, ſi ipſa poneretur in rerum ratione. Et nihilominùs cauſſa iſta adhuc incerta eſt, & poſteriores aliam meditati, veterem reiculam non raro, aut ambiguam faciunt. Vt, exemplo ſatis vicino, maris æſtum pleriq; omnes hactenus in Lunæ motum ac influentiam, tamquam in cauſſam ſatis certam, retulerunt; Keplerus tamen veſter, cùm occaſione Copernicani motûs, terram animatam feciſſet, etiam pulmones ei dedit, quibus ſolemnibus horis maris æſtum efflaret aut reſorberet. Alij etiam Angelum quemdam aquarum huic operi præficere malunt, quia Kepleri pulmones rident, neque quâ ratione Luna aquas inflare & remittere valeat, non ſatis cernunt. Itaque, ſi vnica cauſſa neceſſaria alicuius effectus, ſtudio & meditatione tuâ, mi Lanſbergi, poteſt inueniri, inconſequens tamen eſt, eam veram eſſe ac effectum reipsâ ab eâ emanare. Fortaſſe enim alius veriorem aliam inueniet: aut ſępè etiam fieri poteſt, vt omnes à vero aberrent, & intimam ac genitiuam cauſſam natura in arcanis ſuis cuſtodiat. Id tamen verum eſt. Quamdiu alia probabilior non ſuppetit, ne obmuteſcamus, cauſſam illam vnicam hactenus inuentam, pro probabili recipiendam eſſe, pro certâ, nullo pacto; niſi certis & vincentibus argumentis certitudo eius demonſtrata ſit.

Sed tranſeat ſanè tamen propoſitiō maior, minor verò, nempe, *terræ motum eſſe vnicam cauſſam cæleſtium apparentiarum quæ inueniri poteſt*, à quo eſt demonſtrata? *A D.Lansbergio*, inquis: & quidem tam certò, quàm *interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam, eſſe vnicam eclipſis Lunaris cauſſam*. Sed calore, & amore parentis, ſolens peccas, mi Lansbergi. Nam eclipſis Lunæ tam euidenter in cauſſam ſuam digitum, vt ſic dicam, intendit, vt cæci ſint, qui non videant. Numquam enim, vt antè adhuc diximus (ſed calor tuus, quo ſine fine, eodem nos telo repetis, paria etiam iterare cogit) eclipſis euenit, niſi quando cauſſa illa (quæ eſt interpoſitio terræ inter Solem & Lunam) in rerum ratione ponitur, eamque tunc in rerum ratione poſitam eſſe, nobis aliunde certiſſimè conſtat. In motu terræ nihil ſimile. Nam poſitâ aliquâ cæleſti apparentiâ (vt, exempli gratiâ, Martis perigæi amplitudine) nec ſenſu, nec vllo alio certo argumento, cognoſcimus ter-

Ridiculè pſeudographus Lanſbergij comparatur cum demōſtratione eclipſis Lunæ.

ram

ram in Zodiaco moueri, vt certò colligamus, motum quo terra Marti appropinquat, eſſe cauſſam incrementi apparentis amplitudinis iſtius aſtri. Manet igitur in incerto, an terra motu ſuo ſcanderit verſus Martem, an Mars potiùs deſcenderit verſus terram. Si hoc tam dilucidum non videas, mi Lansbergi, indiges ſanè potenti collyrio. Sed ſecunda tua ratio adhuc bellior.

Altera ratio eſt, infis, *quòd incompertum & incomprehenſibile ſit, quomodo fieri poßit, vt ex poſitione & cauſsâ falsâ tot veri effectus neceſſariò conſequantur, non autem ex poſitione verâ. Cùm ergo ad motum terræ in Eclipticâ, nulli quàm veri effectus ex neceßitate conſequantur, neceſſarium eſt, terræ motum in Eclipticâ, veram cæleſtium effectuum & apparentiarum cauſſam eſſe.*

Verùm, ex falsâ poſitione motûs terræ in Eclipticâ, non magis poſſunt naſci effectus veri, quàm ex chimærâ veri catuli, mi Lanſbergi. Vnde ſi terra ſit immobilis, nulla cæleſtis apparentia eſt verè effectus motûs terræ. Quomodo tamen ſimiles apparentiæ poſſent effici à motu terræ, ſi reuerà Deus terram extra mundi centrum eleuaret & moueret ſub Eclipticâ, facillima eſt eius rei comprehenſio. Nam, vt veriſſimè Ariſtoteles, *οὐδὲν διαφέρει, κινεῖν τὴν ὄψιν, ἢ τὸ ὁρώμενον, nihil intereſt, ſiue viſus ipſe, ſiue res viſa moueatur*, & viſui admoueatur. Vnde tam facili comprehenſione id intelligimus, quàm quomodo equus ex longinquo appareat nobis expreſſior & maior quò propiùs ad nos accedit, & id tamen eodem modo euenturum eſſe, ſi nos ipſi motu noſtro ad equum immotum accederemus. Et aliàs compertiſſimum eſt, quòd etſi cauſſa actu non exiſtens nullos veros effectus producere valeat, ſi tamen exiſteret, omnes eoſdem veros effectus produceret, quos iam alia cauſſa producit. Ecce enim, Deus hunc Solem deſtruat, & alium quem iam ſolùm imaginamur, nobis creet, iſte diem, & omnia circa totum annum tempora, ver, æſtatem, &c. perinde atque Sol noſter nobis efficiet. Igitur vno verbo, mi Lansbergi, motus terræ ſub Eclipticâ imaginarius nulla cæli phænomena producit, ſed verus Solis & ſiderum motus iſta efficit. Motus tamen terræ ſimilia etiam repræſentaret, ſi eam Deus immotis ſideribus per Eclipticam transferret. Cernis iam, vt exiſtimo, in quanto morbo cubet miſera valetudo validæ tuæ, *neceſſariæ & euidentis rationis*. O ſi riſum ſine ſtomacho ferre poſſes, quomodo iam Plautinos illos tuos verſus, & totum MILI-

Ariſt. 2. c. 8. Cæli.

Cæli phænomena à motu ſiderum efficiuntur, ſimillima tamen nobis repræſentaret Copernicanus terræ motus.

TEM GLORIOSVM tibi reſcriberem! Sed non audeo, tu homo nimis aſper es & malus.

Tertia ratio eſt, inquis, *quòd cùm omnes cauſſæ apparentiarum cæleſtium, ex hypotheſi terræ quieſcentis excogitatæ, abſurda & naturæ impoßibilia aſſumant vel inferant, ſequitur ex vi concluſionis primæ à D. Lansbergio demonſtratæ, terræ motum in Eclipticâ, non neceſſariam ſolùm & proximam, ſed vnicam & adæquatam iſtarum apparentiarum cauſſam eſſe, neque aliam ſcientificè inueniri poſſe. Conſequentia argumenti per ſe euidens eſt: antecedens ex veris & neceſſariis demonſtratur.* Quis puer ad talia μορμολύκεια & *perſonæ pallentis hiatum* non metuat? Quid enim *euidenti conſequentiæ*, quæ ex *antecedente neceſſario* decurrit, ſatis validum opponi poſſit? Sed perſonam paullùper detrahamus, videamuſq; an in ſuâ fronte res iſta ſit tam terribilis. Ecce, mi Lansbergi, primore ſtatim inſpectu, antecedens eſt omnino falſum, & conſequentia deformi claudicatione inſignis. Falſum, inquam, eſt, in hypotheſi terræ quieſcentis, abſurda & impoſſibilia aſſumi, aut inferri. Aſſumuntur enim veri ſiderum motus, quos tam (vt minimum) facilè, quàm terræ motum, natura moliri poteſt. Contrà verò, hypotheſis terræ Copernicanæ mobilis, infinitis propemodum contra ſenſum, ſacræ Scripturæ ac SS. Patrum auctoritatem, rationemque naturalem abſurditatibus (teſtor omnia erudita ingenia, quæ extra turbidum & opinionum præiudicia vtriuſque Libellos inſpicient) eſt infamis. Quo autem ſophiſmatis fuco deceptus ſit D. Lansbergius, toties iam tibi antè oſtendimus. Probas verò tu aliis iam mediis hypotheſin terræ quieſcentis aſſumere abſurda, per *ſcientiæ naturalis prima principia, ac naturæ leges inuiolabiles* (fuit enim vino minimè venali opus iſtâ hederâ) vt magnificè loqueris: *Quia natura omnia ordinatè facit, præſertim in cælo. Quòd natura à ſuperfluis abhorreat. Quòd vbique compendium amet. Quòd nihil faciat fruſtrà.* Quæ omnia malè, vt paullò antè tibi monſtrauimus, ad hypotheſin Copernicanam applicas, & firmant potiùs, non labefactant hypotheſin terræ quieſcentis. Nam vos Copernicani rotam vnam horologio cæleſti (id eſt, terram, quam inter Planetas incedere & Planetam eſſe iubetis) ex ſuperuacuo & ſuperfluè adiicitis. Et quàm tamen etiam ſit falſum, *Naturam vbique compendium amare*, ex Medicinâ tuâ botanicâ intelligere poteras. Quis enim infinita propemodum

Hypotheſis terræ quieſcentis nullis abſurditatibus, Copernicana innumeris ſcatet.

modum genera herbarum & plantarum, ſimillimi nonnumquam remedij aut vſus, per terræ ſuperficiem à naturâ ſparſa non videt? quis parſimoniam illam, & non effuſiſſimam potiùs in humanum genus benigni Creatoris liberalitatem appellet? *Immenſa eſt per ſe tantùm herbarum contemplatio*, ait Plinius, *ſi quis æſtimet varietatem, numerum, flores, odores, coloreſq; & ſuccos ac vires earum, quas ſalutis aut voluptatis hominum gratiâ natura gignit.* Quis iam etiam innumerabiles animalium terreſtrium, aquatilium, ἐντόμων, aut perfectorum ſpecies æſtimare poſſit? Nihil tamen etiam in diuite iſtâ abundantiâ ſuperfluit, etiamſi cauſſas & finem, quò omnia properant, ignoremus. Certum tamen eſt, multa ad eumdẽ finem (vt ad ſalutem aut voluptatem hominum) tendere, & proinde naturam non tam compendium, quàm viam, quâ certiſſimè & commodiſſimè ad finem deſtinatum perueniatur, quæſiuiſſe. Commodiùs verò, vt antè diſſerebamus, influentiæ per veros ſiderum motus in terram & elementa ſparguntur, quàm per eorum tantùm imaginarios & verum terræ motum in Zodiaco. Plurima deinde (non ambigo) in cæleſtis illius horologij motibus adminiſtrantur, quæ ſi coràm liceret cernere, appareret ſtatim, non poſſe ſecundùm omnes illas præciſiones legeſque à Creatore poſitas per vnicum terræ motum ſuppleri. Sed pauca de cæleſtibus & tanto interuallo diſſitis comperta habemus, ſimileſque pictoribus ſumus, vt diuinè Plato; qui totam illam cæli machinam breui tabulâ circumſcribunt, nec intimas eius particulas earumque omnes motus protrahere & in oculos adducere valent.

Plin. lib. 18 c. 1.

Plat. in Timæo.

Tandem re tam præclarè pro parente geſtâ, me glorioſiſſimè compellas, vt ipſe iam *iudicem, an non glorioſi militis perſonam, & pro meis Cardinalibus hiſtrionicam egerim, quando D. Lansbergij demonſtrationem quam ignorabam*, ſophiſma puerile, *&* ſcruta detrita *dixi, & Lansbergium ſcientifico argumento certantem*, Thraſonem *vocaui.* Quomodo ergo vocari eum malebas? Pyrgopolinicen, mi Lansbergi? Ferre non potui, puerili argumento (quid *ſcientificum* toties ad nauſeam intelligentium *quid diſtent æra lupinis*, appellas?) tam baſilicè veritatem conculcari. Tantum pro veritatis patrocinio debui. Doctrinam eius, non ipſum propriè tetigi. Tu verò cæſim, punctim, hominem, doctrinam, corpus, animam, omnia violas. Sed non ſentimus tamen: & ſi retaliare, ac ſatyram ſimili bile reſcribere voluiſſem, ô bellam occaſionem!

Verumtamen tam dehoneſtus & inficetus eſſe non potui. Denique mihi metuis, ne *exiguam apud meos Cardinales iniuerim gratiam, quòd tam friuolis ac tot detritis nugis, ipſorum decretum defendere auſus fuerim.* Metuo tibi ab eodem aut maiori frigore apud Potentes Zelandiæ tuæ Ordines, mi Lansbergi. Sed de meis Cardinalibus ſecurus eſto: ANT-ARISTARCHVM enim, opinor, numquam viderunt. Certè à me eò non iuit, nec ambiuit eorum gratiam. Veritas ſumere & reſumere iuſſit hunc ſtilum; & valdè falleris, ſi conuitiis exterrere nos putaſti ad deſerendum eius patrocinium. De *pulueribus & fumis*, quos ſpargere & loqui me dicis, in Zelandos tabacobibulos veriùs competit; ego iſtam herbam numquam amaui. Profectò toto iſto Libello nil niſi fumos loqueris, & vt Cacus ille Virgilianus,

Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Euomis, inuoluiſq; domum caligine cæcâ,
Proſpectum eripiens oculis. ——

Lansberg. fumo & nube, parentis errores occulere ſatagit.

Nempe Veneris exemplum tibi placuit, & veluti illa in bello Troiano filium nube inuolutum, ſic tu patrem periculo eripere cogitaſti. At Lansbergius pater *ex naturâ ſuâ*, ais, *ſolida ſemper amauit, non fucata.* Non refello, & vt Senecam, *credulam Philoſophorum nationem* non de nihilo appellaſſe intelligas, teſtimonio filij in cauſsâ parentis fidem habeo. Non igitur ex malitiâ, ſed ignorantiâ, vel vt molliùs & propiùs ad ſtomachum tuum dicam (nefas enim eſt apud te, Phil. Lansbergium quidquam ignorauiſſe) ex inconſiderantiâ, aio peccaſſe. Hoc etiam tam lepidum non ſic debet effugere. *Si tibi* (tamquam Medicus inquis) *reſponſione noſtrâ dentes comminutos non ſentias, verbulum non addam, ſed diuini ſenis Coi iudicio te relinquam* (qui mihi videlicet Aphoriſmo iſto non dentes tantùm, ſed mentem excutiat:) *Quicumque dolentes parte aliquâ corporis, omnino dolorem non ſentiunt, iis mens laborat.* At, niſi tu mi Lansbergi, vtrumque genuinum, molareſque ac totum ἕρκος ὀδόντων in ANT-ARISTARCHO reliqueris, ſiſque magis edentulus quàm Ælia Martialis, dicam te non hominis, ſed caninos dentes habere, qui poſſis etiam oſſa & ferrum arrodere.

Mart. lib. 1 Epigr. 19.

CA-

CAPVT V.

Quædam non inepta ex Cap.1. Geneſeos à Pet.Bartholino obiecta Copernicanis. Terram in centro, cælum in circumferentiâ vniuerſi in principio Deus creauit.

PEtri Bartholini dorſum hîc caleſit, tantiſper meo ſuccedaneum. Miſer Bartholine, quis Genius in antrum hoc Cyclopis nobiſcum te adduxit? Tantúmne es auſus, vt Phil. Lanſbergij ſcientificas demonſtrationes *vnius flocci* ne penderes? O multa paſſurum caput! Si Librum tuum videre licuiſſet, velitatione aliquâ longiori tibi præludere potuiſſem; quamquam principem aduerſarij tui aciem, & argumentum illud ἐπιστημονικὸν, in quo ſpes tota inclinata recumbit, tibi fregerimus proximis iam aliquot Capitibus. Ex Libro Geneſeos, quo aduerſus Copernicanos & Lansbergium pugnas, iſta etiam verba, *Fiat lux*, rapere poteras. Nam SS.Patres quidam, & in iis D.Dionyſius Areopagita, lucem illam quæ motu ſuo tres primos mundi dies menſa eſt, Solem fuiſſe, ſed ἀσχημάτιστον *rudem & ſine figurâ* eâ quam iam in eo cernimus, exiſtimant. Dionyſius enim de Sole loquens: αὐτὸ γὰρ ἐστι τὸ φῶς (εἰ δὲ τότε ἀσχημάτιστον ἦν, ὅπερ ὁ θεῖος ἔφη Μωσῆς) καὶ αὐτὴν ἐκείνην ὁρίσαι τὴν πρώτην τῶν καθ' ἡμᾶς ἡμερῶν τριάδα: *Ipſa eſt lux*, inquit (*etiamſi tunc adhuc rudis & indigeſta, vt diuinus Moſes dixit*) *quæ primam dierum noſtrorum triadem definiuit*. Si verò tres primi illi dies, motu lucis ſuper faciem abyſſi, effecti & definiti ſunt, reliqui iam dies, eiuſdem lucis, non terræ, circumactu nobis currunt, poſtquam τὸ πρωτόκτιστον φῶς μετεσχηματίσθη εἰς ἥλιον, *lux illa primigenia in Solem fuit transfigurata*, vt Maximus S.Dionyſij interpres loquitur. Sed fortaſſe, dicetur etiam terram illam primigeniam, quam *totam liquidam, mollem, limoſam, aquis merſam & diffluentem* fuiſſe, ex ſuo Paræo affirmat Lanſbergius, motu diurno circumactam, lucem verò illam (vt nunc Solem) immotam manſiſſe? Quid illis hominibus facies, mi Bartholine, qui ſi Ariſtotelem in Lyceo & Peripato ſuo ambulantem, aut Niſum & Euryalum curſu certantes videant, iurent tamen tam immobiles, quàm Marpeſias cautes, eſſe? Probabile etiam aduerſus eos argumentum ſuggerunt prima verba Gene-

Gen. 1.

S.Dionyſ. c.4. de Diuin. nominib.

Lux cæleſtis initio mundi tres primos dies ſuo, non terræ, motu effecit.

R 3 ſeos.

ſeos. Per *cælum* enim & *terram* videtur diuinus Scriptor fundamentum & tectum vniuerſi, ſiue centrum & circumferentiam voluiſſe exprimere. Si verò initiò terra centrum fuerit, igitur non volat iam inter Planetas, tam longè extra centri locum; quia locum ſuum naturalem, in quo creata fuerat, ſequentibus diebus non mutauit, vt rectè Bartholinus. Negat tamen Lansbergius *terram in principio fuiſſe centrum, quia,* inquit, *toti aquarum abyſſo & maſſæ permixta fuit*. Verumtamen id ita capi non poteſt, quaſi elementum terræ per vniuerſam illam aquarum abyſſum (quam D. Baſilius & alij multi Interpretes ad vltimum vſq; cæli fornicem expanſam fuiſſe credunt) diffuſum tunc fuerit. Cùm enim totus terræ globus, comparatione talis abyſſi, ſit inſtar puncti indiuiſibilis, partes eius in illam abyſſi amplitudinem diſſolutæ, fuiſſent veluti rariſſimæ quędam atomi per ingentem aquarum molem, maximo inter ſe interuallo diſperſæ. Quod Scripturæ

Pſal. 103. ſacræ repugnat, quæ dicit terram, *abyſſo tamquam veſtimento fuiſſe amictam.* id enim plerique, de terrâ initio mundi ſub aquis conditâ intelligunt. Itaq; ſi aqua totum terræ elementum (quod plerique tamen Interpretes refellunt) initiò humore ſuo penetrauit; quia tamen terra propenſior eſt & grauitate ſuperat aquam, ſubſidere in centro abyſſi inſtar luti debuit; veluti hypoſtaſin in vrinali tuo, mi Lansbergi, non vndique permiſceri, ſed circa fundum deſidere & colligi cernis. Locus quoque Pſalmi, *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam* (Hebraicè, *ſuper baſes eius*) *non inclinabitur in ſæculum ſæculi*, tam euidens contra motũ terræ annuum apparuit Origano, vt motu illo reiecto, ſolam vertiginem eius diurnã retinuerit, & ex Copernicano factus ſit tantùm ſemi-Copernicanus. ἀσφάλεια enim illa (ſic verterunt LXX. Interp.) ſiue *ſtabilitas*, ſignificare videtur, terram in centro mundi ponderibus ſuis libratam permanere, nec vmquam in cælum inter Planetas euolare. Vnde non rectè me cum Bartholino hîc committit Lansbergius, quaſi verba iſta Pſalmi ad terræ durationem referri

Terra initio mundi in abyſsi centro ſubſidebat, non vndique ei permixta erat.

Pſal. 103.

Eccle. 1. poſſint, perinde atque illa, *Terra in æternum ſtat.* Hîc enim proximè pręcedit, *Generatio præterit, & generatio aduenit,* & mox ſubiicitur, *terra autem in æternum ſtat.* Vbi antecedentia manifeſtè loquuntur de duratione. Et aliud eſt verbum Hebraicum עָמַד quod *ſtare, permanere,* apud Eccleſiaſten ſignificat, & aliud כון *firmum & ſtabile eſſe,* quod eſt radix illius nominis, quod alij *ſtabilitatem,*

alij

alij *baſim* interpretantur apud Pſalmiſtam. Quòd deinde Pſalmus alius hoc aduocatur, *Verbo Domini cæli firmati ſunt*, vt oſtendatur cælo ſtabilitas eadem hîc tribui, quæ alibi terræ; imperitè factum. Pſal. 32. Nam Hebræus textus, *cæli facti ſunt*, non, *firmati ſunt*, habet. Interp. LXX. tamen verterunt, ἐστερεώθησαν *firmati ſunt*, vt modum indicarent, quo Deus initio mundi, Firmamentum & cælos fecit; nempe extendendo & firmando durandoque materiam eorum tamquam malleis (id enim vox רָקִיעַ στερέωμα, *firmamentum*, in principio Geneſeos ſignificat) non autem dando iis ſtabilitatem aduerſus motum. Vnde apertè alia eſt firmitas quam terræ, & alia quam cælis Scriptura illis locis tribuit. Nec Iobus, cùm ait cælos *firmiter expanſos*, vult eos eſſe ſimiles terræ, ſtabiles & immotos, ſed materiæ duræ, firmæ, ac conſiſtentis. vtitur quippe ſimili voce, quâ Moyſes firmamentum appellauit. Hæc vox tamen etiam alibi terræ tribuitur, *Qui firmauit terram ſuper aquas*. Pſal. 135. vbi textus Hebraicus & Græcus *firmam expanſionem* dant terræ, qualem alibi cælis. Itaq; duplicem terræ firmitatem in Scripturis inuenimus, ἀσφάλειαν, *ſtabilitatem* in loco, & στερεότητα *ſoliditatem*, quia non eſt materiæ fluxæ & liquentis. cælo autem ſola poſterior conuenit. Et hoc ſatis ſit pro Bartholino defloraſſe, ceterum *ineptiarum* eius *florilegium*, vt appellat ſuo more Lansbergius, ei relinquamus.

Caput VI. etiam de triplici Cælo Phil. Lansbergij, quam diſtinctionem Bartholinus oppugnat, extra terræ motum & oleas noſtras abit. Itaque compugnantes eos ſolùm ſpectemus.

TRA-

TRACTATVS QVINTVS.

ARGVMENTA quibus annuum terræ motum oppugnauimus, vellicat & admordet Iac. Lansbergius, *Anticyraſque, tamquam indignos reſponſione*, nos mittit, qui *demonſtrato ſcientificè* à patre Lansbergio, *terræ motu in Eclipticâ*, audeamus aduerſus tantam demonſtrationis lucem rehiſcere. Vèrumtamen chordâ eadem ſemper oberras, mi Lansbergi, veteremq; querelam canis, quam ſilere toties iam iuſſimus. Non demonſtratio, ſed demonſtrationis fucus eſt, & ſi valdè prudens fuiſſes, ſupprimenda fuit, ne veniret in oculos poſteritatis. Parens tuus homo (vt nos omnes) fuit, aliquidque ei hîc elapſum humanitus, & tamquam Ixion, nubem pro Iunone eſt amplexus. Quid Camarinam moues? Quò diutiùs eam agitas, eò grauiùs omnibus olet, qui tantillum habent emunctæ naris. Incaſsùm igitur & ruitura tam multa debili huic fundo iniicis & inædificas.

CAPVT PRIMVM.

Argumentum Ariſtotelis, & alterum è tubo Belgico ſumptum vellicat tantùm, non diſsoluit Lansbergius.

Ariſtotel. lib. 2. c. 14. Cæli.

Ant-ar. c. 12.

ARISTOTELES olim cum Pythagoricis pugnans, putauit hoc argumento motum terræ annuum poſſe refelli. Non tantùm Planetæ, inquiebat, ſed etiam ſtellæ fixæ videbuntur nunc à terrâ refugere, nunc ei ſe inclinare & propiùs accedere, ſi terra circa Solem ſurſum deorſum, per circulum annuum ambulet. Vnde mutabitur etiam earum ſpecies, & aliquando minori diſco, aliquando maiori & pleniori apparebunt, vt in Planetis eſt cernere. Quando enim terra motu annuo euexerit ſe ſupra Solem, fueritque, exempli gratiâ, in Ariete, menſe Septembri

Septembri (quando Sol Copernicanus apparet in Librâ) ſtellæ Arietis maiores & ampliori diſco nobis apparebunt, quàm vbi terra Libram menſe Martio perambulat, & totâ diametro orbis annui longiùs diſtat ab Ariete. Vt etiam hoc argumentum adiuuarem, addidi, mirum eſſe, niſi diameter orbis annui (ſiue altitudo à terrâ vſque ad Solem duplicata) nihil conferret, vt oculus tantò propinquior ſtellæ fixæ, eam paullò ſaltem ampliorem cerneret, quàm vbi pari interuallo eſt ab eâ remotior; quandoquidē tubo Batauico inſpectæ fixæ, ſpeciem ſuam euidenter amplient, & plurimæ per Firmamenti fornicem diſperſæ, quæ oculos effugiunt, beneficio tubi in aſpectum retrahantur: quis autem credat, acceſſum 2000000. milliarium Germ. (tantam enim Copernicus facit orbis annui diametrum) ad ſtellam fixam, nihil omnino ampliare ſideris ſpeciem, ne quidem ad tantillum, quantum videmus à tubo præſtari? Reſpondet Iac. Lanſbergius (& ad hypotheſin Pythagoricorum & Copernici conſequenter) lineam duorum millionum milliarium Germ. comparatione diſtantiæ fixarum à terrâ, eſſe ad ſenſum indiuiſibilem, ideoque licet oculus tanto interuallo propiùs ſtellæ fixæ admoueatur, nullum in eâ cernere magnitudinis incrementum, quia non videtur ſenſibiliter eſſe propinquior. In tubo verò diſpar eſt ratio; quia ſpecies ſideris in lente tubi refringitur ampliaturque, ex quantacumque diſtantiâ ad terram perueniat. Hæc aut paria ab Ariſtarcho & Pythagoricis reponi Ariſtoteles non ignorauit, ſed exiſtimauit *τὰς λύσεις μᾶλλον ἀτόπους τῆς ἀπορίας*, *eiuſmodi ſolutiones abſurdiores eſſe ipsâ dubitatione* & opinione quæ defenditur. Si enim tam immane eſt terræ & fixarum interuallum, vt linea duorum millionum milliarium Germ. & plurium (nam multi Copernicani largiùs adhuc multò ampliant orbis annui magnitudinem) eius comparatione ſit tamquam indiuiſibile punctum, oportebit corpora minimarum fixarum, quæ vix oculis teneri viderique poſſunt, amplitudine molis excedere globum qui repleret totum orbem annuum. Imò ex doctrinâ tui parentis, tenuiſſima Firmamenti ſcintilla, mole corporis ſuperat ſphæram conflatam ex orbe Saturni ceteriſque orbibus inferioribus ac vniuerſis elementis vſque ad mundi centrum. Nam totum iſtud Planetarum ſyſtema dicit, *puncto haud multò eſſe maius*, comparatione orbis fixarum. Minimæ autem conſpicuæ fixæ ma-

iores & pleniores nobis apparent quàm indiuiſibile punctum.

Minima ſtella fixa rotunditas Lãsbergio, maior & amplior eſt, quàm vniuerſa cæli Saturni conuexa ſuperficies.

Tantæ verò ſiderum moles Ariſtoteli, Ptolemæo, Tychoni, aliiſque paullò attentiùs quàm vos diuinam ſapientiam contemplantibus, monſtroſæ & improbabiles videntur. Quid enim ad finem quo conditi ſunt cæli attinebat, fixas interuallo tam infami à terrâ remouere, vt ſi lumen earum huc vſque pertingere deberet, oporteret minimæ cuiuſque molem ad amplitudinem totius mundi Planetarij inflare? Potuit enim diuinus Opifex diſtantiam illam, & vnà corporum molem diminuere, & pari vtilitate influentias in mundum inferiorem ſpargere ac diſtribuere. Cur ergo non metuitis, ô boni Copernicani, ne *prima* illa *principia ſcientiæ naturalis, ac inuiolabiles naturæ leges, axiomataq; Phyſica certæ ac indubitatæ veritatis, quæ per Metaphyſicam ſolidè demonſtrantur*, ceteraſque ampullas quas in nos proiicit hyperaſpiſtes veſter Iac. Lansbergius, in caput veſtrum iam retorqueamus? Iſta verò axiomata ſunt, *Naturam à ſuperfluis abhorrere, Naturam vbique compendium amare, Naturam nihil fruſtrà facere.* Per hęc enim axiomata putatis non licuiſſe Deo, ſidera aliquot motibus ampliùs onerare, ideoque debuiſſe terram in cælum euehi, & motu ſuo ſiderum influentias & beneficia quæritare; & non veremini iam ne eadem naturæ præcepta diuino Architecto manus teneant, ne tam infames, inutiles ac fruſtraneas cælorum machinas valeat machinari? Aliquot tenues ſtellarum motus magis naturam rerum grauabunt, quàm immanis illa, monſtroſorum aſtrorum formis onerata ſphæra, cuius *immenſitas captum* Lansbergij *excedit*, vt proximo Cap. fatebitur nobis? Homines læui, qui ne parui & concinniſſimi horologij rotulis vnum aut alterum motum ſuperiniiciant, malunt immaniſſimam aliam horologij molem ædificare, cuius magnitudinem nullâ mente valent comprehendere!

Tractat. 4. cap 5.

Tam prodigioſa cælorum & ſiderum moles, fruſtranea eſt, & Copernicanos ſatis refellit.

Itaque tale cælum & aſtra non Deus, ſed imaginatio veſtra machinata eſt, quia alio mantelo non poteratis motûs terræ annui abſurditatem protegere. Quòd autem Cap. ſequenti dicis, magnitudinem illam fixarum, *ex cælo demonſtratam eſſe*; tace, quæſo, hoc nimis deridiculum eſt, & pænè certum mihi, ex animi tui ſententiâ non iſta dicere. Scis enim quàm longè hîc euarient Principes Aſtronomi. Vides igitur iam argumentum Ariſtotelis tantum valere, vt Ariſtarchus & Copernicani defugere illud non

poſſint,

poſſint,niſi velint in abſurdas, deformes & fruſtraneas cælorum ſiderumq; machinationes impingere. Hæ autem,ſi intra modum & concinnitatem à Ptolemæo,aut Tychone meditatam,aliámve non longè diſparem,reuocentur, fateris *argumentum meum procul dubio demonſtratiuè procedere, & coacturum vos fateri quod negatis*,vt tu ipſus ſcribis. Sed finis propter quem machinæ illæ cælorum fabricatæ ſunt, eas ſatis reuocat,mi Lansbergi, & coercet ne inutiliter intumeſcere ſinantur in monſtroſas illas moles, in quas eas inflant Copernicani; igitur argumentum tam Ariſtotelis,quàm meum ſumptum à fixarum per tubum Batauicum dilatatione,cogit vos annuum terræ motum abiicere. Vnde quod à me poſtulas,vt *ſi mihi propoſitum ſit argumentum illud tubi Batauici in Ariſtarchum vibrare, oſtendam inprimis mundum hunc viſibilem, maiorem non eſſe, quàm hunc Ptolemæus & Tycho imaginati ſunt*; oſtendere id tibi poſſum ex cauſsâ finali, ob quam creati ſunt cæli. Nam *creauit eos Dominus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt:*tam vaſtis autem & immenſis miniſtris,quos tu cogitatione etiam concipere non potes,non fuit opus, ſed meliùs & concinniùs omnia per longè minores adminiſtrari valuerunt; ſi terram & dominum ſiderum hominem, quietum & tranquillum in medio vniuerſi condiderit Deus, ſollicitis & diſcurrentibus circa eum ſiderum miniſteriis. Vnde quia finis creationis nobis fauet,tu potiùs oſtendere ante omnia debes, cælum eſſe tam vaſtum & immane quàm imaginaris,Planetaſque ac ſidera non tot habere motus; vt proinde neceſſe ſit,terram in Eclipticâ mobilem eſſe, longitudinemque diametri orbis annui eſſe inſenſibilem comparatione diſtantiæ fixarum à terrâ. Verumtamen omnia inuerſo modo agitis. Non ex cælo,aut vllâ firmâ ratione magnitudinem illam ſtruitis, ſed leuiſſimis argumentis primùm terram inter aſtra ex centro mundi auehitis, ac deinde ne ſententiæ veſtræ vanitas ſenſu reuincatur,immenſum & deforme inter fixas & terram in orbe annuo ambulantem, chaos interponitis. Ipſe enim adfateris, *Ariſtarchum diſſoluendo nodo à me propoſito, commodum inueniſſe remedium, aſſerendo mundum hunc viſibilem multis modis maiorem eſſe, ſtatuendoq́ totum orbis annui circuitum quem terra ſingulis annis perambulat, comparatum ad ſphæram fixarum, inſtar puncti eſſe.* Ecce,quomodo nullâ certâ demonſtratione, ſed ſolùm ad vnius argumenti fugam excitata eſt immenſitas

Deuter.4.

Monſtroſa illa fixarũ & octaua ſphæra vaſtitas, ſolùm conficta ad effugiendum vnum argumentum Ariſtotelis.

tas illa ſphæræ fixarum. Hinc patet, quando ad diſſolutionem mei argumenti, perpetuò aſſumis, *totum orbis annui circuitum, ad ſphæram fixarum eſſe inſtar puncti*, ſiue, *diametrum eius quæ eſt* 2000000. *milliarum Germ. eſſe inſenſibilem ad diſtantiam fixarum*, te rapere id quod nullâ ratione eſt probatum, ſed ab Ariſtarcho ad eludendam vim argumenti gratis confictum. Hoc verò non eſt diſſoluere argumentum, ſed petere principium; nam aſſumis rem obſcuram, & quam Peripatetici & Ptolemaici tam procul reiiciunt quàm terræ motum. Tu igitur & Ariſtarchus aliunde demonſtrare debuiſtis, diametrum orbis annui nullam ſenſibilem proportionem habere ad immanem illam diſtantiam fixarum, & tunc demum ex iſto antecedente oſtendere, nihil mirum eſſe, quòd oculus ex duabus ſtationibus, quarũ vna eſt 2000000. milliaribus Germ. propinquior quibuſdam fixis; nullam tamen ſentiat in iis magnitudinis ampliationem.

Argumentum autem tubi Batauici, magis quàm tu, formidauit Io. Keplerus doctiſſimus & acutiſſimus Copernicanorum. *Arundineum & vitreum* vocas: & verè, ſi à vitreâ lente Arundinis Belgicæ; ſi fragile putaſti, næ parùm ab oculis valuiſti. Cùm enim ſpatium quo tubus oculum admouet obiecto viſibili ſit finitum, nec valdè immenſum, Keplerus reputans in ſyſtemate Copernicano immenſitatem interualli inter fixas & terram, credidit ſpatium illud, quouſque oculus adiuuatur & quodammodò in altum extollitur verſus cælum, eſſe inſenſibile comparatione diſtantiæ fixarum: vnde putat ſuperficies fixarum non ampliores debere cerni per tubum, quàm extra ipſum. Ego verò ex oppoſito conſequentis, legitimâ conſequentiâ, intuli antecedentis oppoſitum.

Nam fixæ, inquiebam, ſenſibiliter in vitreâ lente refringuntur, & aliquanto maiori angulo aſpiciuntur; igitur propinquitas quam adiicit tubi refractio, eſt ſenſibilis & ad diſtantiam fixarum non eſt inſtar puncti, ſed magnitudinem habet quæ æſtimari poſſit, ac proinde terræ & fixarum intercapedo non eſt tam immanis quàm imaginatio Copernicana eam facit. Octauâ autem ſphærâ ex illo immenſo interuallo reuocatâ, ratiocinatio Ariſtotelis vires ſuas reſumit, eſtque incredibile, diametrum orbis annui ad diſtantiam octauæ ſphæræ non eſſe ſenſibilem; proindeq; euenient omnia quæ Pythagoricis obiecit Ariſtoteles, videbimuſ-

que

que fixas,inſtar Planetarum ſtationarias,feſtinantes, retrogradas, apogæas, perigæas. Simili argumento Batauicæ Arundinis inuitati Marius, & alij paſſim iam prudentiores Aſtronomi,moles illas ſiderum etiam Ptolemaicas (quid igitur Copernicanis facient?) largiter minuunt & egregiè caſtigant.

Ex apparẽti per tubum Batauicum ſtellarum magnitudine non eſſe tãtas quàm vulgò feruntur, earum moles hodie colligunt Aſtronomi.

Ex his manifeſtum eſt,quidquid iactes & exagites, non diſſolui tamen à te noſtrum argumentum. Nam etſi terræ diameter 1719. milliarium ad diſtantiam fixarum Ptolemaicam ſit inſenſibilis,tamen propter hanc inſenſibilitatem neceſſe non eſt eò vſque ſphæram fixarum eleuare & ſubmouere à terrâ, vt transſcendat omnem ſenſibilem Arundinum dilatationem. Vt verò diameter orbis annui Copernicani quam facitis 2000000. milliarium, reſpectu interualli fixarum etiam euaneſcat & inſenſibilis efficiatur,fixas tam procul abigitis,vt nullis tuborum vitris ſuperficies earum valeant ad ſenſum ampliari. Quod tamen falſum eſſe,ipſa vos reuincit experientia. Imò,ſi parenti tuo crederemus, tam infame inter Saturnum & fixas interiicitur chaos, vt *lux fixarum vſq; ad terram non extendatur*, ſed in ſphærâ Saturni deficiat & extinguatur. Quod ANT-ARISTARCHVS dixit eſſe *effuſè ridiculum:* quia niſi lux earum ad terram perueniret, cerni à nobis,ſiue ſolis,ſiue tubi ope ſublatis in cælum oculis, nullâ ratione poſſent. Oculus enim, niſi accipiat ſpeciem ab obiecto, nequit ipſum cernere; lumen autem eſt ſpecies corporis luminoſi, aut ipſam perpetuò comitatur. Tu verò obnixo ſilentio hanc patris tui reprehenſionem & meum riſum tranſiliiſti. Cur autem hîc tam patiens & parcens, qui hactenus nihil impunè ſiuiſti elabi? Nempe,quia nihil circumſpiciebas, quo allucinationem in tam clarâ luce deprehenſam poſſes obtegere. Si prudentia hæc & aſtus citiùs in mentem veniſſet, potuiſti ſæpiùs antè hac arte (id eſt,ſilentio) rebus tui parentis & Copernicanorum meliùs conſulere.

Phil. Lanſberg. in delineat. 2. cæli.

Vides igitur,opinor,reſponſionem noſtram inutilem eſſe Ariſtarcho,nec ſyſtemati Copernicano poſſe adaptari. Nam Copernicani tanto interuallo fixas à terrâ reiiciunt, vt tubus Batauicus ex nullâ ſtatione orbis annui eas valeat ſenſibili dilatatione refringere; in noſtro verò & Ptolemæi ſyſtemate dilatare ſenſibiliter eas poteſt (quod oculorum fide cottidie diſcimus;) licet propter terreſtris diametri breuitatem, ex qualibet Orbis terrarum parte

refractio æqualis appareat. Vnde cùm ais, *Ponamus Deum, quod potuit, telluris globum tam magnum feciſſe, vt eius ſemidiameter fuerit milliarium Germ.* 2000000. *Ponamus ipſum pro tuâ & Ptolemæi hypotheſi ſphæras omnes & ſtellas tam errantes quàm inerrantes iſti globo proportionales feciſſe: an ergo iſtius terræ incolæ cum tubo & ſine tubo, alias in cælo apparentias habituri fuiſſent, quàm nos habemus? Nemo certè niſi ἀγεωμέτρητος id affirmabit*, parentem tuum ἀγεωμετρίας infamas, qui iſto poſito, lumina fixarum ad terram peruentura negat; infamas maximum inter Copernicanos Geometram Io. Keplerum, qui ſpeciem earum per vitream tubi lentem ſenſibiliter diffundendam abnuit, ideoq; id iam fieri non credit. Sed experimenta tubi eum refellunt, & octauæ ſphæræ interuallum largiſſimè diminuunt, fixaſque reducunt verſus terram. Itaque proportio illa ſemidiametrorum terræ & interuallorum inter terram & fixas vtriuſque ſyſtematis, parùm te adiuuat, ſi in ſyſtemate vno, terræ & fixarum interuallum ita enormiter excreſcit, vt ſpatium quo tubus oculum fixis admouet, ad iſtud interuallum comparatum, inſenſibile redditum fuerit.

CAPVT II.

Immane illud Copernicanorum inter Saturnum & fixas vacuum chaos, moleſque fixarum monſtroſas nequidquam conatur Lansbergius excuſare.

Ant-ar. c. 11.

DIſplicet tibi noſtra Moriniqué ratiocinatio, quâ abſurdum & nimis abnorme oſtendimus, vt minima Firmamenti fixa, & puncta illa, vt ſic dicam, lucis quæ ſidereis noctibus cernimus, magnitudine ſuperet, non tantùm Solem, ſiderum regem, ſed vniuerſam Solis ſphæram, ſiue (quod perinde eſt) orbem annuum, imò totum ambitum cæli Saturni, vt parenti tuo collibuit.

Negas verò id abſurdum. Sed, bonâ fide, mi Lansbergi, videtúrne bellum & concinnum, vt paruiſſima inter fixas lucis ſcintilla, ſi in cælum Saturni deprimeretur, totum iſtud impleret, & orbem Iouis vndique circumcingeret? Deforma enim & finge tibi animo, cælum Saturni cum vniuerſis ſubditis ſphæris vſque ad mundi centrum, in ardentem quemdam globum transfor-

mari,

mari,& monſtrum illud ſtellæ fixæ concepiſti. Quid, quæſo, innumerabilibus,per Firmamenti fornicem vbiq; ſparſis, eiuſmodi ſtellarum monſtris opus fuit? Nempe, vt tenui earum luce ſerenæ noctes inalbeſcerent, Conditor iſta moliri, nec aliter belliùs horrorem tenebrarum mollire potuit. Nec *probare Fromondus poteſt*, inquis, *Solem omnium ſtellarum regem eſſe.* Si tot illuſtrium auctorum fidem reciperes,momento tibi probare poſſem: ſed aut Poëtas (ingenium tuum dudum iam noui) aut Copernico alienos,ideoque ſuſpectos eſſe dices. Audiamus tamen quoſdam, vt feriemur nos ſaltem taceamuſque tantiſper.

——certis dimenſum partibus orbem Virgil.
Per duodena regit mundi Sol aureus aſtra.

Audis regem eſſe,& regere aſtra? Alius.

O lucis alme rector, & cæli decus. Et alter. Senec.
Sol non temporum modo terrarumq́; ſed ſiderum etiam ipſorum cæli Plin.
rector. Græcus iſte. Ἥλιος, μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ, *Sol magnus* Plutar.
dux cæli. Narrat alius,Græcos in ſacris Solis ſolitos mel, non vinum libare,quia deceret τὰ ὅλα συνέχοντα καὶ διακρατοῦντα θεὸν, καὶ ἀεὶ περιπολεύοντα τὸν κόσμον, ἀλλότριον εἶναι μέθης, *numen quod omnia continet & regit, mundumq́; perpetuò circuit, alienum eſſe ab ebrietate.* Et quid alios, ſacros ſiue profanos ex ſuperuacuo, in re tam publicâ huc accumulem; preſertim,vbi dare tibi poſſumus,quem refellere non audeas, tuum Copernicum? *Non ineptè*,ait,*quidam Solem,laternam mundi, alij mentem, alij rectorem vocant. Triſmegiſtus viſibilem Deum, Sophoclis Electra, intuentem omnia. Ita profectò, tamquam in ſolio regali Sol reſidens circùm agentem gubernat aſtrorum familiam.* Ite iam Copernicani,& negate Solem regem gubernatoremque familiæ aſtrorum, ac Principi veſtro os batuite,& imperate ſilentium. Admiratio etiam quâ Scriptura ſacra Solem honorat,vocatque *vas admirabile, opus Excelſi*, ſatis indicat,regem eſſe,& inter ſidera eximium. Et vt etiam ſciremus,filium illum Sirachi minimè fuiſſe Copernicanum, mox addit: *Magnus Dominus qui fecit illum, & in ſermonibus eius feſtinauit iter.* Igitur Eclipticæ iter à Sole, non à terrâ Copernicanorum teritur.

Athenæus. Copernic. lib. 1. c. 10. Eccli. 43.

Sed Sol fixarum Princeps eſſe non poteſt,inquis, *quia ſtellæ fixæ adeò procul à Sole collocatæ ſunt, vt ad illas ipſius radij non poſſint pertingere.* Rem tamen incompertam aſſumis, nam multi

nobiles

nobiles Aſtronomi (& inter eos ipſe Copernicus) ſtellas etiam fixas autumant à Sole accenſas lucere, & lucem illam tam vibrantem & viuidam credunt ex tanto interuallo, à puriſſimis ſpeculis poſſe rapi, etiamſi Planetæ Soli & communi foco propinquiores dilutiùs & maligniùs eam bibant; quia nempe magis opaci, terreſtres quodammodò, & minùs capaces ſunt puræ & digeſtæ illius lucis, quàm ſtellæ fixæ. Attamen demus ſanè, fixas plurimum genitiuæ & ſuæ lucis habere, Sol tamen fortaſſe aliquid etiam iis ſuperfundit. Aut, ſi nihil poteſt, regem tamen fixarum eum vocamus, non quia influit in ipſas, vt caput in membra, ſed quia nobilitate & excellentiâ Princeps eſt: vt, præter iam dicta, colligi poteſt ex munere & fine primario ob quem data ſunt mundo ſidera. Is enim eſt, illuminatio terræ ad frugum animaliumque genituram ac alimoniam. Hoc autem munus nobiliſſimo modo & abundantiſſimè præſtari videmus à Sole, qui non notham & alienam, ſed ſuam è proprio fonte lucem vberrimè in mundum elementarem, homini rerum corporearum Principi fundit. Hinc ab Hebræis שֶׁמֶשׁ vocatus, tamquam princeps adminiſtrator luminis, cæliquė promus & condus. Huic ergo meritò ſtatura, vt ſic dicam, & amplitudo inter cæleſtes illos miniſtros maxima & principalis debita fuit, nec ferendum, vt ad minimam inter tot greges fixarum comparatus, ita decreſcat & euaneſcat, vt vix puncti indiuiſibilis rationem retineat.

Solis Copernicani magnitudo, ſi ad minimã ſtellam fixam comparetur, eſt inſtar puncti indiuiſibilis.

Verumtamen noſtra *argumentandi ratio eſt abſurda*, ais: *quia corporum cæleſtium menſura, non præiudiciis aut coniecturis determinanda eſt. Proinde argumentum illud*, inquis, *non aliter procedit, quàm ſi ex cælo demonſtratâ Solis & Lunæ magnitudine, ſcilicet Solem terrâ maiorem eſſe vicibus* 434. *& Lunâ vicibus* 19770. *quis obiiceret, id verum non eſſe; quòd magnitudo illa ad terram & Lunam nimia & enormis videatur*. O rem egregiam! Quis vmquam, amabo te, *ex cælo demonſtrauit*, aut poteſt, fixarum magnitudinem? Scilicet, ſine parallaxi, quâ fixæ carent, demonſtratio hîc aliqua certa eſſe poteſt. *Demonſtra*, quæſo, *ex cælo* nobis, vel vnius fixæ veram magnitudinem, & ſupra Eudoxum, Hipparchum, Ptolemæum, Copernicum, & tot alia Aſtronomiæ columina altiſſimè te efferimus. Sed cælum iſtud, cerebelli veſtri cranium eſt, ô boni: hæc officina eſt, in quâ imaginariæ illæ & monſtroſæ cuduntur ſiderum moles. Primùm enim, leuibus quibuſdam ratiociniis

tiociniis motum annuum Soli ademptum, terræ donatis. Deinde ne ſenſus communis vos refellat, vt ſuprà etiam diximus, intra fictitiam & immanem octauæ ſphæræ vaſtitatem, motum iſtum terræ abſconditis: & denique, vt ex tanto chao & interualli immenſitate aſpici è terrâ fixæ valeant, ingentis & ſtolidæ magnitudinis corpora iis fabricare neceſſe fuit. Potentiſſima Dei ſapientia, vt ſe hominibus commendaret, talibus monſtris non indiguit. Sphæræ Ptolemaicæ capacitas ei ſufficit, quæ etiam tanta eſt, vt reuolutionem eius intra 24. horas, nullâ cogitatione te complecti aut aſſequi poſſe conqueraris. Si maximarum rerum prima vbique dos & principatus ſit, Polyphemos aut Gargantuas nos omnes creare Deus debuit. *Non maxima quaque, etiam optima ſũt.*

Quid etiam paullò antè de magnitudine Solis interſpergebas? Tibi in comperto & demonſtrato, eſſe, *Solem terrâ maiorem eſſe 434. vicibus?* * Ἡδὺς εἶ. Parens tuus præciſior $433\frac{1}{4}$ vices donat, Copernicus ſolùm 162. Tycho adhuc parcior, 140. Ptolemæus 166. Keplerus longè effuſior, 3469. Sed omnes largiſſimè ſuperauit Clariſſimus totius Belgij Aſtronomus, & amicus noſter D. Godefridus VVendelinus, qui terram 4096. magnitudine à Sole ſuperari demonſtrat; nec eum, opinor, ψιλοδοξεάφρως, reuincere poſſet Lansbergius. Videte igitur, & ridete mecum, certitudinem illam cæleſtium demonſtrationum, & quid comperti in dimenſione fixarum iis eſſe poſſit, qui ſic allucinantur & diſſident circa proximum Solis ſidus. Ac ne quis exiſtimet Lanſbergios nuper rediiſſe de cælo, & plus aliquantò attuliſſe certitudinis, nemo eorum omnium eſt, qui Lansbergianâ eloquentiâ, *euidentiſſimè* ſe rem iſtam *demonſtraſſe*, quotieſcumque voles, iurare non ſit paratus. Eiuſdem vanitatis eſt, quod poſteà de *demonſtratâ diſtantiâ Iouis & Saturni à terrâ* Lansbergius adiungit. Nam larga etiam inter principes Aſtronomos diſſidia ſatis vulgant, rem iſtam in fluctu magno ac incomprehenſam eſſe. Si igitur proxima terris ſpatia à nullo hactenus certâ demonſtratione comprehenſa ſunt, quid de remotiſſimo illo & immani inter Saturnum & fixas arbitrandum? Nec mirum, hæc omnia tantâ ambiguitate nutare, cùm experimenta parallaxeos plerumque vacillent, & plurima impedimenta ſint (vt titubatio & motus inſtrumentorum, refractio, turbatio aëris, &c.) quæ ſolent eam perturbare.

Plat.

* *Suauis homo es.*

Diſſenſus Aſtronomorum, etiam Copernicanorum, circa magnitudinem Solis.

T Tycho

Tycho deinde & ego ſpatium illud immane inter Saturnum & fixas infami vacuitate interhians, ceu deforme & monſtroſum accuſabamus. Cùm enim quidquid ſiderum & cælorum eſt, in vtilitatem hominum eat & conditum fuerit, improbabile eſt, tantum ibi interualli otioſi & vacantis interiectum eſſe, vt inferius ſpatium à centro vniuerſi ad Saturnum, inſtar nihili & inſenſibile ſit, adeò vt totum hoc vix minimam octauæ ſphæræ ſtellam capere poſſit.

Chaos Copernicanũ inter Saturnum & fixas, monſtroſum eſt & mundo inutile.

Argumenti verò huius ſolutionem non repræſentas, ſed ad parentem nos mittis. *Inſpice Lector*, ais, *genuinam cæli figuram à D. Lansbergio poſitam in Comment. pag. 34. 35. & abſurditatem huius argumenti ipſo ſenſu & oculis percipies.* Inſpicio, mi Lansbergi, & imaginarium tantùm mundi Planetarij ſyſtema video, de chao illo inter Saturnum & fixas, ne volam quidem; tantum abeſt, vt argumenti mei abſurditas ad primum aſpectum tam bellæ & formoſæ illius monſtroſitatis, omnium oculos incurrat. Solùm ait, *Deum ædificium mundanum in tres cælos diſtribuiſſe, & populo ſuo typicè propoſuiſſe ſub figura tabernaculi, in tria ſpatia diſtincti: quorum primum erat atrium, quod populus; alterum ſanctum, quod Sacerdotes quotidie ingrediebantur; tertium Sanctum ſanctorum, quod ſoli Pontifici ſemel quotannis licebat introire.* Vnde, ſi figura iſta veritati reſpondet, ſpatium à centro mundi ad Saturnum (cuius imago fuit primum atrium in quo populus ſtabat) longè amplius eſſe debet, quàm Saturni & fixarum interuallum; quandoquidem atrium populi, quàm atrium Sacerdotum, multò fuerit capacius. Vides igitur, Lector, quò te mittat Iac. Lansbergius. Non enim ad viſendam argumenti mei abſurditatem, ſed typum illum qui nouam ei probabilitatem & vires addit; & vt vnâ operâ omnes Copernicanorum machinationes luteas eſſe cerneres, quæ ſic ſpontè à ſeipſis corruunt, vbi maximè ingypſantur, & quæſito vndique fuco illinuntur à ſuis artificibus.

Typus Lãsbergij ſyſtema Copernicanũ deſtruit, dum conſtruere putat.

Quod deinde ais, *hominis præ arrogantiâ fatui eſſe, iſtorum ſpatiorum amplitudinem negare, quòd vſum ignoret*, à te ſum prorſus & ſentio, vbi amplitudo illa demonſtrata, aut aliter magno argumento aſſerta fuerit. Spatia verò veſtra inutilia, nullo rationis, ſed varæ tantùm imaginationis fulta tibicine, non ego tam fatuus vt recipiam.

Tres deinde fines confingis, ob quos tanta ſpatij inter Saturnum

num & fixas intercapedo, inutilis non videatur; omnes vanos. Primò, *vt radij fixarum per tam amplum ſpatium paullatim elangueſcerent*. Quia, ſi vnicum Saturni ſidus, ais, debuit tam longè à terrâ ſummoueri, multò magis fixarum orbis, innumerabilium luminum confixus gemmis, quæ in terræ & Planetarum orbes validiſſimè radiant.

Sed ad modulanda & paullatim extenuanda fixarum lumina quouſque in terram defluant, ſufficere ſpatium Ptolemaicum, nemo non intelligit, ſi accidantur & minuantur monſtroſæ illæ moles fixarum. Itaque, antequam ſpatij illius interuallarem immanitatem perſuadeas, enormem illam fixarum magnitudinem demonſtrare debes; aliàs vtrumque, tamquam inutile monſtrum abiiciemus. Saturnus verò, & quilibet Planeta in ſuo cęlo ſingularis, tam procul à Sole & ſodalibus Planetis reiectus eſt, quàm neceſſe fuit, vt ex certis aſpectibus, eorum exciperet radios, & eâ lege ac menſurâ in mundum inferiorem regereret, quam diuinus Conditor ad temperandas elementorum qualitates vtilem eſſe cenſuit. Quod verò clamas, *Effugia hæc eſſe, quis non videt?* Vide tu ANT-ARISTARCHVM & reuide: cæcus es, aut videbis te fugas & nugas vndique quærere, nec verba eius aut ſenſum perfectè reddidiſſe; quæ non in parentem tuum eunt, ſed palàm in Kepleri proportionem illam, quam eamdem eſſe dicit inter ſemidiametrum orbis Saturni & fixarum, ac inter ſemidiametrum corporis Solaris & orbis Saturni. Secundò, ſpatium Saturni & fixarum *obſidetur*, inquis, *à creaturis inuiſibilibus*. Sed ſpiritus incorporei ſpatia non replent, cùm vniuerſi poſſint ſimul in punctum vnum indiuiſibile compingi. Quid igitur opus, dæmonibus (malos enim ſpiritus illic habitare exiſtimas) tam immenſas ibi regiones aperire, vbi tam anguſta ſufficit? Hæc enim propemodum eſt Copernicani mundi imago.

Spatium quod inter fixas & terram interiicit Ptolemæus, ſat amplũ eſt, vt temperet radios & influentias fixarũ, ſi fixæ ſtatuantur eſſe concinnæ, non monſtroſæ magnitudinis.

Ant-ar. c. 12.

Ridiculum eſt, prodigioſum illud inter Saturnum & fixas interuallum, factum eſſe tam immane, vt illud dæmones incolerent.



In quâ C D E F. eſt orbis annuus quem terra quotannis circa Solem decurrit. Orbis Saturni G H I K. quem minima octauæ ſphæræ B L M N. ſtella fixa amplitudine æquat, ſi Phil. Lanſbergio credere volumus. Immanis verò illa, & immanior quàm iſtâ papyro exprimi poſſit, inter G. & B. vacuitas, eſt regio quam dæmonibus, ne nimis compreſsè habitarent, Lanſbergius aperuit, id eſt, maximas nugas egit. Itaque niſi alio fine ſpatia illa Deus in illam amplitudinem laxauerit, habitatio dęmonum ſola non tantæ operæ pretium dignum fuit. Et quis, quæſo, tibi etiam narrauit, πονηρόπολιν & dæmoniorum patriam ibi eſſe? S. Paulus, inquis; quia *diabolum Principem aëris vocat*. Ac deinde, *locum ei aſ-*

Epheſ. 2. & 6. *ſignat* ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *in ſupercæleſtibus*. Sed *aër*, cuius diabolus Princeps dicitur, eſt hic circa terram caliginoſus, omnium Interpretum conſenſu, mi Lansbergi, in quo ad exercitium noſtrum,

ſtrum, vſque ad extremum mundi diem, dæmones quidam relicti, qui ſub Principe diabolo Lucifero militant. In parte autem mundi ſupra Saturnum, potiùs æther eſt, quàm aër. Dæmones verò iſti habitant ἐν ἐπουρανίοις *in cæleſtibus*, vt paſſim omnes ſimpliciter vertunt, id eſt, in aëre iſto eodem infimo, ex quo nos tentant & oppugnant. Cælum enim, phraſi Scripturæ ſacræ protritâ, pro aëre noſtrate, vbi aues & dæmones volitant, accipitur, & *cæleſtis* pro *aëreo*. Apud profanos etiam Auctores.

Conſtituuntur in hoc cælo, qui dicitur aër. Lucret. lib. 4.

Et alius: *Cælum appellauere Maiores, quod alio nomine aëra, omne quod inani ſimile, vitalem hunc ſpiritum fundit.* Plin. lib. 2. c. 38. Si tamen ἐν ἐπουρανίοις placeat *in ſupercæleſtibus* interpretari, res eôdem redibit. Nemo enim hactenus inde collegit, dæmonibus ſuper ſidera errantia domicilium eſſe, ſed ſupra capita noſtra, & contiguum terris aërem, in ſpatiis ſuperioribus, infra tamen Lunam verſari, & ſupernè ac *è ſublimi*, vt rectè enarrat Eraſmi Paraphraſtes, *nos oppugnare*. Monet enim nos Apoſtolus, vt *ſumamus ſcutum, in quo poßimus omnia tela nequißimi ignea extinguere, & galeam ſalutis, ac armaturam Dei:* quia non pugnamus *aduerſus carnem & ſanguinem*, ſiue homines corporeos (etſi nonnulli, *membra carnalis concupiſcentiæ*, malint interpretari) qui videri & comprehendi à nobis poſſint, ſed contra ſpiritus incorporeos, qui in ſublimi verſantur, & inde inuiſibilibus telis nos petunt. Quod eleganter expreſſit Poëta Chriſtianus.

Sed cum ſpiritibus tenebroſis nocte dieq́; Prudent. in Hamart.
Congredimur, quorum dominatibus humidus iſte
Et pigris denſus nebulis obtemperat aër.
Scilicet hoc medium, cælum inter & infima terræ
Quod patet, ac vacuo nubes ſuſpendit hiatu,
Fræna poteſtatum variarum ſuſtinet, ac ſub
Principe Belial rectoribus horret iniquis.

Itaque nimis ſimplex & ſuauis es, mi Lanſbergi, ſi ex iſto Apoſtoli loco putas dæmones ſupra Saturnum euehere. Patria eorum Infernus eſt, ſed quidam ad virtutis noſtræ exercitationem, vt dixi, permittuntur in humido & infimo iſto aëre inter & ſupra nos, aliquamdiu peregrinari & diſcurrere. *Habitatio dæmonum eſt aër iſte infimus, nõ æther inter fixas & Saturnum.*

De Empyreo (quod fruſtrà & otioſum non eſſet, etiamſi à ſolis ſpiritibus incorporeis inſideretur, vt ante Chriſti aſcenſum)

alia eſt longè ratio. Nam locus iſte in ſummâ vniuerſi apſide & circumferentiâ beatis ſpiritibus ex deſtinato, tamquam eorum ciuitas, conditus eſt; veluti dæmonibus Infernus, non verò ſpatium illud veſtrum, quod Saturno & fixis interfunditur. Ciuitas enim dæmonum longiſſimo interuallo & totâ vniuerſi ſemidiametro, ab illâ beatorum abeſſe debuit. Vnde Copernicani, aiebat ANT-ARISTARCHVS, centro Solis, non terræ infodere debent Infernum. Scriptura tamen ſatis exertè indicat, Inferos ſubterraneos, non in Sole eſſe; ac proinde terra, non Sol Copernicanus, eſt vniuerſi centrum. Et quare ſilentio ac ſurdâ aure tranſmiſiſti hoc argumentum?

Ant-ar. cap. 12. *Infernus qui ſub terrâ eſt, debuit longiſsimè abeſſe ab Empyreo Beatorum; ergo terra eſt Empyrei centrum.*

Tertiò, inquiebas, *in iſto* inter Saturnum & fixas *ſpatio, quandoque nouæ ſtellæ oriuntur.* Et firmas, quia ſtellæ nouæ *ferè circa viam lacteam, primam apparitionem habuerunt, qui locus eſt ſupra Saturnum.* Bellè: ſed pro ANT-ARISTARCHO, qui aiebat, Tychonis, Copernicanorum, & communẽ iam Aſtronomorum ſententiam eſſe, nouas ſtellas (quales illæ præteritis annis in Caſſiopœâ, Cygno, Sagittario) in orbe octauo inter ipſas fixas effulſiſſe. Si enim in Viâ lacteâ concinnantur, igitur inter fixas, aut proximè eas; nam via lactea nihil aliud eſt, quàm innumerabiles ſtellarum fixarum greges, qui confuſo & pallenti lumine tractum illum inalbant, vt nuper certâ Batauicæ arundinis fide didicimus. Deinde vt noua ſidera, inter Saturnum & fixas interdum fortaſſe, tamquam nodi quidam & vertices materiæ cæleſtis, conglobentur (nec enim fieri poſſe abnuimus) quid neceſſe eſt, tantum ibi tamque immanem hiatum aperire? Igitur quocumque ingenij aciem circumagas, nihil reperies, mi Lanſbergi, quo monſtroſi interualli infamiam expurgare valeas.

Capita duo ſequentia, Morinum vnicè, non me arietant. propulſet igitur ea Morinus. Argumenta pauca quædam ſunt, ingenioſè aduerſus Copernicanos ab eo excogitata, non ſatis valitura fortaſſe contra pertinaces; ſed ſine quibus ego & ipſe vincere eos poſſumus.

TRA-

TRACTATVS SEXTVS.

QVIA ANT-ARISTARCHVS tam audens fuit, vt ſcriberet, *Scripturam ſacram à Copernicanis temerari, & infinitam Dei ſapientiam quæ cælos condidit, non ornari (quod videri volunt) nimiâ iſtâ, quam captant, motuum ſimplicitate, & intelligentiæ facilitate, ſed diſcingi & euileſcere*, vltimo hoc Tractatu, & nouiſſimo ariete tam inſignes *Fromondi calumnias* niteris repellere. Ant-ariſt. ad Lector.

CAPVT PRIMVM.

Falſum eſt, Dei ſapientiam, potentiam, bonitatem magis attolli & celebrari, ſi ſyſtema mundi potiùs ad Copernici normam, quàm Ptolemæi aut Tychonis condiderit Deus. Vranometriam Phil. Lansbergij imaginariam eſſe.

SYSTEMA mundi Copernicanum magis, quàm Ptolemæi aut Tychonis, diuinorum attributorum excellentiam attollit, inquis. Nam *Dei ſapientiam exornat, Syſtematis Copernicani ornatus & pulchritudo. Potentiam, menſura cæli ampliſſima. Bonitatem, telluris motus & ſitus in Eclipticâ.* Sed omnia retrò ſe habent, & ἀντιστρέφεσθαι, ac in te regeri poſſunt. Proportio enim inter membra giganteæ nec neceſſariæ molis, eſſe poteſt, non vera pulchritudo. Proportionem autem ſymmetriamque in ſyſtemate Copernicano miratur Morinus, non abſolutâ, in tantâ membrorum enormitate, pulchritudinem. Et quis negare poteſt, multas proportiones quæ videntur nobis admirabiles & concinnæ, imaginarias tamen eſſe? Stellas fixas alio ordine concinniori digeri potuiſſe quiſpiam dicet, alius ſuperficiem orbis terræ aliis marium & fluminum alueis interciſam mallet, aut montibus exaſperatam. Potentia etiam (præſertim infinita, quam clarum eſt, quantæuis capacitatis Orbem poſſe conſtruere) vt mereatur laudem, ratione & ſapientiâ gubernari debet, ne media deficiant aut exorbitent, ſed circumciſè proportionem impleant, quam poſtulat finis in quem vadunt. Cùm igitur *Deus fe-* Pſal. 135.

cerit

cerit cælos in intellectu, non quàm grandes, ſed quàm concinni ad terræ & animantium vtilitatem, oportet æſtimare. Nihil autem concinnius, quàm dominum mundi hominem, in medio ædificij, immobile terræ ſolum, circumludentibus aſtrorum miniſteriis, colere, vt antè nuper pluribus diſſerebamus. Quod de naſo Tychonis addis, nugæ ſunt: & ſi eligendum eſſet, naſum iſtum malim, quàm craſſum illud & immane Copernici & Lanſbergij caput. Deſcendant Mars ceterique Planetæ perigæi tam profundè verſus terram, aut apogæi tam altè in cælum refugiant, quàm neceſſe ad hominis miniſterium; nihil diſſonat in hoc horologio quidquid vtilitatem affert ad finem quem poſuit Conditor. Bonitas denique, non in motu terræ, & in hominis per Eclipticæ ambitum inſanâ raptatione, ſed in motu Solis & ſiderum elucet, quæ Deus in miniſteria hominum diu noctuque, irrequieto curſu circumire iuſſit. Neq; hæc Copernicani ſyſtematis imago (quam ad blandimentum oculorum obtrudere ſoletis) deformitatem

Tractat. 4. cap. 4.



eius

eius ſatis exprimit; quia abeſt abnorme illud & infame inter Saturnum & fixas vacuum interuallum, quod proximo Cap. tibi viſendum dedimus.

Sed Deus *terrâ per Eclipticam motâ*, inquis, *quotidie nobis hominibus præſtat, quod de Iſraëlitis in ſpecie dicit, cùm teſtatur ſe Iſraëlem protexiſſe, & quaſi geſtaſſe, ſicut aquila pullos transfert, aliſq; protegit.* O te hominem iam lepidum! Naui, aut curru, opinor, tranſuexit Dominus populum ſuum per deſertum, vt hodie Copernicanos per Eclipticam. Benignitas Creatoris in hominem inſignior eſt, ſi non ad aſtra famulantia, per motum terræ annuum mittatur, ſed famuli potiùs mittantur, accurrant & circumcurrant dominum.

Deut. 32.

Iuſtius eſt aſtra, ceu famulos, moueri, hominem verò, qui dominus eſt, quietè agere.

Hominem etiam, inſis, *non in imum mundi locum demerſit, ſed in Eclipticâ collocauit: ex quâ tamquam ex altiſſimâ ſpeculâ, altiſſima contemplari, maxima metiri, & profundiſſima penetrare poteſt, diuinâ mentis acie.* Neſcio vbi antè dixeris (veſtigia adhuc quædam videntur memoriæ adhæſiſſe) me abiecto *Ariſtotelis pileo, Ciceronis togam callidè induiſſe:* videris certè iam etiam artem iſtam didiciſſe. Sed neque ſic falles, & breuî * γυμνότερον παττάλου te, ſpero, concinnabimus. Nam inprimis, *imus mundi locus*, digniſſimus omnium viſus eſt Copernico tuo, qui *regale ſolium eſſet rectoris mundi, viſibilis Dei, & omnia intuentis Solis. Quis enim*, inquit, *in hoc pulcherrimo templo lampadem hanc in alio vel meliori loco poneret, quàm vnde totum ſimul poſſit illuminare?* Itaque locus iſte Principe mundi viſibilis homine indignus etiam non eſt, quia in circulo imum, medium quoque eſt; vnde homo ibi colens, ad cælum & vniuerſam mundi machinam oculos & mentem ex æquo circumuoluere poſſit, & in eâ Creatorem admirari. Cæli verò lampades in ſublimi pendent, vt inde in terram, quæ ædificij eſt pauimentum, earum lumina, in hominis & animantium commoda facillimè depluant. Locus etiam medius ad ſpargendam vndique Geometricam contemplationem longè concinnior, nec ad *maximorum menſuram, profundiſſimorumq;*, quantum homini ſatis eſt, *penetrationem*, neceſſe fuit nos tot millenis milliaribus Germ. ſupra Solem euehi, & vnicâ horâ 740. milliar. in Eclipticâ volare; quandoquidem diameter orbis annui tam ſit inſenſibilis comparatione octauæ ſpheræ Copernicanæ, quàm diameter telluris reſpectu Ptolemaicæ. Vnde nemo ſentit aut exiſtimat ſe in

** nudiorem paxillo*

Copernic. lib. 1. c. 10.

altiſſimam illam *ſpeculam* hinc auferri, præter paucos quos eouſque abſtulerunt ſomnia Nic. Copernici. Quòd ad quædam mea *iam antè reſpondiſſe* te dicis, paria nos etiam fecimus. Redeat, ſi placet, eò Lector, ſi reſponſiones tuas reiculas velit videre.

Tractat. 4. cap. 4.

Negas etiam *in conficiendis horologiis, rotularum copiam ſuperfluam, artificis ingenium extollere.* Rem, & mentem quoq; meam attigiſti. Ideò enim terræ rotulam ſpernimus ab horologio cæleſti. Sufficiunt ſiderum rotulæ, quid opus terram iis adfibulare? Itaque, vt alibi monuimus, ſimplicius eſt Ptolemæi (ſi tantùm imaginarij ſunt eius eccentrici & epicycli) aut Tychonis horologium, quàm Copernici. Paucioribus enim rotis, etſi pluribus vnius rotæ motibus, ingenioſè abſoluitur.

Ant-ariſt. cap. 19.

Verùm, quia ANT-ARISTARCHVS etiam dixerat, *ad certitudinem menſuræ cæli & ſtellarum, ne hilum intereſſe, ſiue Sol, ſiue terra moueretur; quandoquidem diſtantia eodem modo varietur, vtrumlibet extremum accedat, aut recedat* (cùm tamen parens tuus mirificè deprædicaret duas in orbe annuo ſtationes, tamquam vnicum medium ad dimetiendas veras ſiderum altitudines & magnitudines;) hîc exilis, & in me expuis quidquid tibi ſplendida bilis ſuggeſſit. *Quis*, exclamas, *Fromonde non videt, ingenium & ingenuitatem tibi defuiſſe, qui aſſerere auſus fueris quæ ſunt abſurdiſſima?* Quia nempe *Ptolemæus, Hipparchus, & quotquot in hunc diem Aſtronomi fuere, numquam per duas in terrâ ſtationes, quinque Planetarum diſtantias & magnitudines Geometricè inueſtigare potuerunt.*

Sed homo ingenioſiſſime & ingenuiſſime, negarene potes, terrâ ſtante, à duobus Aſtronomis ex condicto, paribus inſtrumentis & arte, ex diuerſis ſtationibus & horizontibus, poſſe colligi ſiderum parallaxes? Quomodo igitur Tycho in coniectandâ altitudine nouæ Caſſiopeæ, non tantùm ſuis in vnâ eademque ſtatione, ſed Auguſtæ Vindelicorum, Munoſij in Hiſpaniâ, alibique factis eodem tempore experimentis vtitur, vt collatione ſuorum eliciat veram ſideris parallaxin? Quamquam certiora ſint, vt rectè monet idem Tycho, experimenta, quæ in eadem ſtatione & aëre, ab eodem artifice, eodem inſtrumento captantur. *Nam in diuerſis horizontibus*, inquit, *& inſtrumentorum varietas & obſeruatorum non eadem vbique in adminiſtrando negotio diligentia & circumſpectio, nonnihil à ſcopo petito diuagationis inferre poſſunt: quod*

quantum

quantum ad parallaxium ſubtilem perſcrutationem attinet, multùm tamen in exceſſu vel defectu peccet. Sed etiam, dato motu terræ Copernicano, talia peccata facillimè euenire poſſunt, etiamſi idem Geometer eodem inſtrumento in duabus orbis annui ſtationibus metiatur ſideris alicuius parallaxin, *ob inſtrumenti aliam atq; aliam diſpoſitionem alterationemq́*, ait Tycho, *aut etiam aëris diuerſitatem.* Vnde hanc reddidit cauſſam, cur Rothmanno Copernicano *poli altitudo vno vel altero minuto aliter ſe æſtate exhibere quàm hieme* viſa eſſet, atque etiam illis anni temporibus apparuerit aliqua varietas in interuallis fixarum. Aliàs, ait Tycho, *nos ſanè ſiue hieme, ſiue æſtate* (id eſt, in duabus ſtationibus oppoſitis orbis annui Copernicanorum) *poli altitudinem & fixarum quarumuis diſtantiam, per noſtra inſtrumenta, quorum pleraque non ſaltem ſingula minuta, ſed etiam eorum aliquotam partem ſubtiliſſimè diſpertiunt, ſcrutati ſumus, nullam prorſus in his (modò aëris vbique æqualis ſerenitas affulſerit, & refractiones, ſicubi irrepſerint, præcaueantur) diuerſitatem, crebrâ & diligenti adhibitâ exploratione, adinuenimus.* Parallaxin deinde orbis annui, quâ inęqualitatem motûs Planetarum explicat Copernicus, inutilem eſſe dicit, quandoquidem veteres tantumdem, terrâ quieſcente efficiant aſſumendo epicyclos, aut in ſyſtemate Tychonico, ſine epicyclis. *Quorſum igitur opus eſt*, inquit, *id quod per ſe locum mereri nequeat, pro veritate aſſerendâ, incompetenter aſſumere* (terræ ſcilicet annuum motum) *vt vt nonnumquam falſæ hypotheſi vera ſuperſtruatur inductio? Ex Planetis igitur*, ait, *terræ mobilitas annua non ſufficienter probabitur, cùm iſtæ diuerſitates quæ per hanc eorum apparentiis quadrant, aliunde originem adipiſcantur.* Ecce vt iſte multorum ſæculorum in ſpectandis ſideribus Princeps, nihil æſtimet duplicem illam in orbe annuo ſtationem, & omnem motûs Planetarij inæqualitatem penes aliam cauſſam ſtatui poſſe cenſet, quàm penes terræ motum. Quod ais, Tychonem *Planetarum diſtantiam à terrâ ignoraſſe*, & ex hoc errore *fixas infra Saturnum collocaſſe*, idque ideò quia *duas ſtationes, quas in Eclipticâ habemus, ignorauit*, apud aures Midæ blatire hoc oportuit. Non enim duas ſtationes Copernicanorum neſciuit, qui dato ſtudio, hieme & æſtate (quando terra Copernicana eſt in oppoſitis orbis annui ſtationibus) faberrimâ illâ ſuâ inſtrumentorum ſupellectile periclitatus eſt, num mutata terræ ſtatio, aliquo indicio ſe proderet, & nihil

Tycho de Caſsiop.

Vtilitatem duplicis ſtationis Lansbergianæ ad dimetienda ſidera ſpernit Tycho.

nihil inuenit. Nam in altitudine poli, & fixarum intercapedinibus (quod ad ſtabiliendam Copernici hypotheſin, ſomniarat Rothmannus) diſcrimen reperit nullum,& quod in Planetis apparebat,in veros eorum motus referri poterat.

Neſciuiſſe autem Tychonem *diſtantiam Planetarum à terrâ* præut Copernicani iam ſciunt,ridiculum eſt. Ex verâ enim (aut certè non tam longè à verâ abludente) ſiderum parallaxi diſtantias illas, veſtris humiliores definiuit, vos verò ex imaginariis parallaxibus & chimærico terræ motu omnia metimini. Audi paulliſper parentem tuum. Vranometriam enim eius iam tandem vidi,quia eò me miſiſti. *Cùm nobis*, inquit, *Dei Opt. Max. beneficio, dimenſio ſtellarum propoſita ſit, quæ cum rei veritate exactè conſentiat,operæ pretium eſt, nos eam exſtruere ſuper hypotheſes veras, & quidem ſuper terræ motum & quietem Solis.* Non poterat alibi ædificare ſolidiùs, vt exigeret *monumentum* illud (quod gloriosè cantas) *ære perennius.* Ego reuerà vobis non inuideo, & vtinam laus iſta in Belgam aliquem ex vero caderet; partem aliquam eius etiam ad me veniſſe exiſtimarem & lætarer. Sed obſtupeſco, iudicij eruditorum & humani generis tam ſecuros,vos iſta cantillare. Quid ſi enim dubia eſt & fallax Copernici hypotheſis? Quid ſi (quod plurimi eruditiſſimi exiſtimant) vaniſſima? Quid ſi, inquam,Solis quies & terræ motus vobis excutiantur,nónne tot figuræ & calculi parentis tui, tanto labore concinnati, diſſiliunt & in ventos diſperguntur? Cogitate,quæſo,hæc,per Deum immortalem,& paullò modeſtiùs prudentiuſque rem iſtam habete, honorique veſtro ac publico Belgarum conſulite. Alios etiam ſcimus gloriæ & iactationis in re ſimili nimis promptos & præcipites fuiſſe; & meminiſtis, quid Ioſ. Scaligeri Cyclometriæ nuper acciderit. Etiam Phil. Lansbergio fortaſſe inuenientur Ludolphi. Et ſanè iudicium Clar. D. VVendelini noſtri (Copernicanus etiam hactenus eſt,ne aduerſarum partium fauore peccare exiſtimes) de parentis tui Aſtronomiâ,vix eſt vt audeam tibi perſcribere. Cùm primùm enim in eam incidiſſet, iratus & deſpuens domum noſtram accurrit. *Et quibuſnam illi homines ſcribunt*,inquit, *hominibúſne, an fungis? Profectò cum lumine orthodoxæ Fidei, videntur naturale lumen intellectûs amiſiſſe. Vbi inſtrumenta, vbi experimenta, quibus noua iſta paradoxa, deſtructis veterum ſententiis, oportebat ſtruere & firmare? Nos ſanè in alias longè cæleſtium menſuras*

Phil. Lanſberg. lib. 3. Vran.

Vranometria Lanſbergij vana & imaginaria, quia tota inædificata eſt in vano & imaginario terræ motu.

Nimis ſecuri iactatores ſunt Lansbergij.

ſuras noſtræ aliorumq́ experientiæ deduxerunt; nec tam leuis ac futilis fidei ſumus, vt Phil. Lansbergio, ſine aliâ inſtrumentorum ſupellectile & arte (aut ſi habet, depromat) credamus. Ecce igitur, mi Lanſbergi, quomodo menſuras veſtras, quas tamquam cælo vobiſcum lapſas, tot laudibus extollitis, Copernicani etiam confringant. Quædam etiam, quæ iam non commemini, è LOXIA ſuo furtim transſcripta coniectabat & querebatur. Hunc tamen virum, quæſo, ſi ſapis, ne minimo digito attingas. Solo eius aſpectu, quantumuis animo conſtes, percelli potes. Ore & toto corporis filo, ſed animo & Aſtrologiâ magis, Arabs eſt: ac plura de eo ſi noſcitare voles, Clar. & Ampl. Viri Eryc. Puteani, litterarum apud nos Antiſtitis, OLYMPIADES interrogare licebit.

Tychonem deinde accuſas *collocaſſe fixas infra Saturnum*. Ita, mi Lanſbergi, collocat fixas Tychonicas infra Saturnum Copernicanum. Sed cape diſtantiam Saturni à terra Tychonicam, videbis infra fixas recidere. Itaque Tycho viciſſim Copernicanos incuſat, quòd Saturnum ſupra fixas ſuas Tychonicas attollant. Saturnum cum ſuis, non cum veſtris fixis contulit. Inſcitiæ denique me arceſſis, quòd dixerim, *eſſe ridiculum, motum terræ annuum quidquam conferre menſuræ fixarum; cùm terra, earum (vt aiunt Copernicani) reſpectu, quaſi in eodem ſemper puncto, ob ingentem diſtantiam, permaneat*. Et mittis ad Vranometriam tui parentis; in quâ reperi cuius antè ſatis ſcius eram. Nempe, aſſumptâ ſtellæ fixæ viſibili diametro, & ſubſternendo demonſtrationi immanem illam à terrâ diſtantiam (quam finxiſtis ad abſcondendam motûs terræ intra orbem annuum vanitatem) poſſe magnitudinem aliquam fixarum conſtrui. Sed veluti diſtantia illa fictitia eſt, & ſine probatione arrepta ab Ariſtarcho, in fugâ ſolùm argumentorum quæ obiiciebantur Pythagoricis; ita magnitudines illæ ſiderum ei ſuperſtructæ, imaginariæ ſunt & plenæ inanitatis. Negaui igitur, motum annuum quidquam ad veram fixarum dimenſionem conferre (quam ex parallaxi & inſtrumentis diſcere oporteret) quandoquidem fixæ propter motum annuum nullam patiantur parallaxin.

Ant-ar. cap. 19.

Itaque cernis, opinor, parentis tui Vranometriam ſolis Copernicanis, non ceteris tot Aſtronomis, aliquid contuliſſe. Et ſi fortaſſe (quod certiſſimum, & extra omnem fluctum ponimus) vanus ſit motus terræ annuus, tam irritos & fruſtrà labores eius eſſe

 (excipio

(excipio quædam quæ per luminarium eclipſes coniectauit) quàm ſi ſpatia imaginaria extra cælos, pro chimæris & tragelaphis ibi ſtabulantibus eſſet dimenſus. Quam enim veram Vranometriam nobis repræſentare poteſt, qui Middelburgi circa totum annum quietus & defixus, ſi tamen menſe Martio cælum ſuſpexerit ad dimetiendum, credit menſe Septembri, duobus milliarium Germ. millionibus, cum ciuitate ſuâ & Zelandiâ totâ inde ſe ad alteram ſtationem in cælum & ſupra Solem auolaſſe? Antequam ad proximum decurras Caput, hac etiam obiter maculâ me aſpergis, Quòd *prodam, valdè exiguum pietatis ſenſum mihi ſupereſſe*, qui Deo, cum Phil. Lansbergio, gratias enixè non agam, *propter duas in Eclipticâ nobis datas ſtationes, quibus cælum & cæleſtia omnia metiri poßimus.* Quid faciam, mi Lanſbergi? Pro veris tantùm beneficiis Creatori gratias agere ſoleo: quòd autem tot chimæræ, tragelaphi, hippocentauri per Scholas Philoſophorum noſtrorum diſcurrant, non memini vmquam in genua & gratias procubuiſſe. Infinitis beneficiis quæ ſentimus, obruimur, quid opus imaginaria, extra omnem ſenſum & verum poſita, in cumulum gratiarum accerſere?

Pro veris, nō pro imaginariis beneficiis Deo oportet gratias agere.

CAPVT II.

Athei veris, non ludicris & tralatitijs armis expugnandi. Meditationes piæ, veritatis fundo debent inniti. Liber Sapientiæ ſacer eſt. Empyreum ſphæris mobilibus ſuperſtrui debet, ſed non argumento oui & gallinæ. Vana, quæ de brutis ad finem vniuerſi ſuſpirantibus afferuntur. Iudex controuerſiarum, præter Scripturam ſacram, in Eccleſiâ à Chriſto neceſſariò debuit inſtitui.

PArentis tui zelum quo Epicureos & Atheos inceſſit, amamus & exoſculamur, mi Lansbergi, ſi intra modum tamen eſt & ſecundùm ſcientiam. Crede mihi, falſitatem falſitate oppugnare, præuaricari eſt, & cauſſam ſuam prodere. Quid ſi enim Epicurei motum terræ Copernicanum quo petuntur, vanitatis manifeſtũ faciant? quod facilè poſſunt, vbi tot eruditos ſibi in hanc rem præeuntes habent. Ecce, iam propter vnum argumentum tam facilè victum, cetera etiam validiora contemnent, & vnius imbecillitate

Sat multis veris poſſumus, non oportet falſis rationibus conari Atheos aut hæreticos refellere.

cillitate omnia laborare credent, aut iactabunt. Aduerſus hæreticos, aut cuiuſcumque erroris profeſſos id experimur: ſatius & ad victoriam veritatis potentius eſſe, paucis & validis argumentis eos premere, nec grandinem ſpargere, vbi vno fulminis ictu poſſumus debellare. Nam ceteris neglectis aut contemptu conculcatis, vnicum & maximè debile argumentum oppugnandum eligunt, ac facili manu proſtratum, aut multis argutiis obrutum, cum infamiâ veritatis, in triumphum ducere ſolent. Itaque non eſt, quòd *Epicurei & profani nebulones*, vt ſcribis, *Liberto Fromondo, Theologo Louanienſi ingentes gratias referant, quòd tam ſtrenuè eorum cauſſam defenderit*; non enim defendit qui vult ſic vinci, vt reſurgere in pugnam non valeant. Aliis, inquam, armis, veris & decretoriis oppugnandos eſſe, non ferulâ illâ leui & imaginariâ è Ludo Copernici. Qui enim ſic pugnat, præuaricator eſt, vt dixi, & vinci vult, non vincere. Deinde, ſi Phil. Lansbergius per Vranometriam & cæleſtium menſuram, ſolùm voluit probare animæ immortalitatem, & poſt hanc, alteram vitam reliquam eſſe in æternâ felicitate ad quam omnes naſcimur, vt eum iam videris enarrare & interpretari; ecce iungamus dextras & amicitiam. rem enim pulcherrimam facit, & quam ante eum magnus ille Maurolycus. *Non poſſum non ſummopere laudare tale hominis ingenium*, inquit. Maurol. *Vel hinc enim patet, quantum homo præſtet ceteris animantibus. Hinc* Dialog 3. *animorum noſtrorum immortalitas arguitur. nec temerè ab ipſo rerum Opifice ſolis nobis vultus datus eſt erectus, quo ſcilicet terrenis rebus calcatis, cæleſtia miraremur.* Cantatque deinde cum Poëtâ:

Felices animas, quibus hæc cognoſcere primis,
Inq; domos ſuperas ſcandere cura fuit.

Sed parens tuus aliquid amplius voluiſſe mihi viſus eſt. Aiebat enim, Deum ſecretam illam rationem metiendi cæleſtia per duas ſtationes Copernicanas, reuelaſſe hominibus, *vt doceat, non terram tantùm, ſed & cælum noſtri cauſſâ creatum: vt ſicut nunc poſſidemus terram, ita certi ſimus, poſt hanc vitam obtenturos cælum.* Deinde, *Deus modum menſurandi ſiderum interualla ac magnitudines clementer manifeſtauit, vt tam certi ſimus de poſſeſſione cæli poſt hanc vitam, quàm certò nunc idem ad normam exigimus & menſuramus. Cui enim vſui iſta cæli dimenſio, niſi vt doceat hominem, quod tam aptè menſurare nouit, ſuo tempore quoque occupaturum? Nam quanta eſt ſcientia, tantus quoque ſit ſcientiæ vſus neceſſe eſt: cùm Deus*

in

in omnibus creaturis, ſcientiam ita accommodauit vſui, vt hic illa nuſquam ſit minor. Denique, *Concludo*, inquit, *cùm Deus homini ſcientiam menſurandi cælum dederit, vſum quoque poſt hanc vitam conceſſurum. Nam ſi formica finem ſcientiæ ſuæ aſſequitur, qui eſt præparatio cibi per æſtatem & collectio tempore meſsis; multò magis homo, præſtantiſsima creaturarum, finem ſcientiæ aſſecutus, cælum ipſum poſt hanc vitam poſsidebit.* Vbi omnibus hominibus, aut certè ſiderum ſaltem menſoribus, occupandi aliquando cæli ſecuritatem facere videtur. Quid enim iſta verba, *certi ſimus*, &c. &, *quanta eſt ſcientia, tantus quoque ſit ſcientiæ vſus*, aliud ſignificant? Iſta igitur certitudo & æternæ felicitatis ſecuritas, quam multi hoc æuo errones iactant, mihi præcipuè diſplicita fuit, & conſequentiam hanc pro perperâ & ridiculâ habui: homo metitur cælum, igitur mittetur poſt hanc vitam in cæli poſſeſſionem. Pias meditationes, impius ſim, ſi contemnam; ſed ſi aliquo veritatis fundo conceptæ. Pietas enim anilibus fabulis interſperſa, in ludibrium aut riſum apud prudentes abit. Itaque, quod tu de exitu Iſraëlis ex Ægypto, de terrâ Chanaan, Abrahamo, & SS. Patrum ſuper iſta allegoriis; extra oleas diſſeminas. Nimis magna & euidens eſt inter parentis tui meditationes & allegorias eorum aut anagogicas enarrationes, diſparitas. Ipſi enim arcanos quoſdam Scripturæ ſacræ ſenſus, à Spiritu ſancto, hiſtoriarum quarumdam cortice abſconditos reuelant; Phil. Lansbergius verò ex imaginariâ Nic. Copernici doctrinâ imaginarias cælorum ſiderumque fabricat magnitudines, & per ſimillimam conſequentiam argumentatur, ſibi certò deberi cælum, quod tam egregiè nouit dimetiri. Nónne hîc ei clamare poſſum, quod olim D. Hieronymus Iouiniano, *Angeli de cælis deſcendunt, & Iouinianus* (Phil. Lansbergius) *de eorum poſſeſsione ſecurus eſt?* Et non cogitat etiam, cælos tantùm ſidereos ad menſuram & calculos vocaſſe, non Empyreum illud & tertium, quod nobiſcum fatetur piorum & beatorum poſt hanc vitam, futuram ſedem. Menſus igitur eſt cælos, propter vitam hanc mortalem, non propter alteram immortalem, præcipuè creatos. Metiri igitur debuit antè Empyreum, deinde certò ſibi promittere eius poſſeſſionem. Hæc & id genus alia à Mathematico & Theologo tam ſecurè in lucem & oculos eruditorum mitti, miratus ſum primùm, deinde rei (ſic videbatur) indignitas aut ſimplicitas potiùs, ſtilum mouit,

D. Hieron. lib. 2. contra Iouin.

vt doctrinam iſtam aliquot morſiunculis perſtringerem. Parce, quæſo, mihi: etſi enim non iudicij mei, facti tamen me pœnitet, quia tam ſplendidæ bilis tibi cauſſa fui. Sed *Lansbergÿ axioma*, inquis, *nimirum, Naturam vbique cum facultate vſum coniunxiſſe, nemo ſanus in dubium vocat*. Demus hoc etiam tibi. Attamen Geometriæ aut Vranometriæ vſus, non eſt poſſidere cælum, ſed metiri. quomodo igitur Vranometris tam certam cæli poſſeſſionem ſpondet?

Quòd etiam *helleborum* mihi præſcribis, pro Medico facis, & gratias ago. Si tu quoque dragmas aliquot ſumpſiſſes, è re tuâ meaque fuiſſet. bilem ſubduxiſſes aut præuomuiſſes, quâ toties me aſperſiſti. Exemplum habebas in Carneade, qui aduerſus Zenonem ſcripturus, ſuperiora ventris candido helleboro antè dicitur purgauiſſe.

Negas quoque Belgas, & præſertim Hollandos Zelandoſque, patrocinio meo indigere, qui tam vecorditer rem Ptolemaicam defenſitem. Audi verbum in aurem. Eruditorum apud vos de ANT-ARISTARCHO iudicium, iuxtà fortaſſe tecũ reſcire poſſum, & quid palàm dicant, exceptis paucis qui vobis blandiuntur, aut in re Philoſophâ & Aſtronomâ non valdè callidi ſunt. Si quid tamen nomen meretur, Dei & Veritatis, non mea laus eſt.

Non ferebam etiam, ſic efferri & tantâ gloriatione differri certitudinem illam menſuræ cæleſtium, quam videbam motui terræ Copernicano, id eſt, debili & inani fundo totam inniti. Copernicum prætereà ac Keplerum in multis à Phil. Lanſbergio diſſentientes cernebam. Interrogaui igitur, vnde præ ceteris hauſiſſet Lansbergius affirmatiſſimam illam ſuam certitudinem? *Ex naturæ libro, ſeu ex cælo*, inquis, *non per extraordinariam reuelationem*. Sed librum etiam iſtum tot aliorum oculi legerunt, nec tamen certa & conſentientia afferunt de menſuris ſiderum quas ex ipſo collegerunt. Nam Hipparchiſtæ, Ptolemaici, Tychoniſtæ nullam in eo terræ vertiginem inueniunt, & Copernicus duas terræ ſtationes ignorare non potuit, quarum etiam Keplerus & Rothmannus expreſsè meminerunt, & tamen in tam multis à Phil. Lansbergij menſurâ diſſonant. Verumtamen, *Lansbergÿ Vranometria vnico ictu omnes tuas ineptias facilè diſperget*, ais maſculâ & ſolemni tuâ bile. Non poteſt, mi Lansbergi. *Non-entis nulla eſt actio*, inquiunt muſtei & inueſtes noſtri Philoſophaſtri, nec

Vanum eſt, quòd ex libro naturæ ſe certam iam cæleſtium menſuram reperiſſe iactat Lanſbergius.

X ineptiæ

ineptiæ meæ ſibi magis ab imaginariâ illâ Vranometriâ metuunt, quàm ab vnguibus chimæræ, aut hirco-cerui cornibus. In imaginario enim motûs terræ fundo ædificata, imaginaria cælorum ſpatia, imaginarias ſiderum moles, deniq; imaginarium Nic. Copernici mundum, non illum diuini Opificis à Moyſe nobis deſcriptum; metitur.

Sap. 9. Quia deinde Sapiens iſte qui dixit, *Difficilè æſtimari quæ in terrâ ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inueniri cum labore: quæ autem in cælis ſunt, quis inueſtigabit?* non videbatur duas Phil. Lansbergij ſtationes cognouiſſe, ſed de certitudine illâ Vranometriæ eius dubitauiſſe, ideò Iac. Lanſbergius *Apocryphum meum Sapientem* appellat, & ex Canone ſacrorum expungit. Anteceſſit tamen eum in hac cenſurâ Caluinus. Sed nos Eccleſiæ Catholicæ & D. Auguſtino accredere maluimus. *Libri duo*, inquit iſte, *quorum vnus Sapientia, alter Eccleſiaſticus dicitur, propter eloquij nonnullam ſimilitudinem, vt Salomonis dicantur, obtinuit conſuetudo. Non autem eſſe ipſius, non dubitant doctiores: eos tamen in auctoritatem maximè Occidentalis antiquitus recepit Eccleſia*; à quâ proinde Caluinus & Lansbergius defecerunt. Et alibi impreſſiùs: *Oportet vt iſtum librum Sapientiæ omnibus tractatoribus anteponant; quoniam ſibi eum anteposuerunt etiam temporibus proximi Apoſtolorum egregij tractatores, qui eum teſtem adhibentes, nihil ſe adhibere niſi diuinum teſtimonium* (audite Caluine & Lanſbergij) *crediderunt.*

D. Auguſt. lib. 17. c. 20 Ciuit.

D. Auguſt. lib. 1. c. 14. de Prædeſt.

An autem in balęnarum piſcatu aut tonitruorum crepitu Iobus infra piſcatores veſtros & bombardarios ſapuerit, enarrauimus alibi. Similitudinem deinde mundi cum ouo, ceu delirantem, non accuſo, ſed inprimis conſequentiam iſtam: certum & euidens eſt, præter ouum, ad generationem pulli, neceſſariam eſſe gallinæ incubationem; ergo certum eſt, duobus viſibilibus cælis tertium inuiſibile inſidere.

Tractat. 3. cap. 3.

Si dixiſſet, ratiocinationem iſtam tenui aliquâ veriſimilitudine ludere & blandiri, tranſuolaſſet, nec attigiſſem: ſed ferre non potui homines ſic ſibi indulgentes, vt minimas ſuas cogitationes, verborum exaggeratione ad certitudinem euidentium demonſtrationũ attollant, τὸν ὀβολὸν ὑπὲρ τοὺς θεοὺς ἄγοντες μετὰ τῆς ὀφρύος, *obolum vnum* (imò, ouum) *ſupercilio ſuo ſupra deos, efferentes.* Habui etiam cur dicerem, *indicaſſe* tertium illud cælum *tam eſſe ſpiritale, quàm ipſum Spiritum ſanctum.* Comparat enim illud gal-

D. Nazianz.

linæ

linæ ouo incubanti, & materiam eius ad pullaginem præparanti, aitq́; ſphæram fixarum ceteraſque inferiores, *non magis poſſe opus generationis nouarum ſtellarum, cometarum, fulminum, grandinum, pluuiarum, ventorum, & animalium, abſoluere ſine tertio cælo* (quod aliter Empyreum Catholici appellare ſolent) *inſidente & vires addente, quàm ouum ſine incubatione gallinæ.* Deinde, *vt in creatione mundi*, inquit, *rudis illa & informis cælorum ac terræ moles à Deo ante omnia creata, nec conſiſtebat nec operabatur ſine incubatione Spiritus Dei, hoc eſt, præſentiâ & coniunctione qualis eſt gallinæ & oui; ſic duo viſibiles cæli occultas vires prodere nequeunt, niſi tertium potenter in eos operetur.* Hanc tamen tertij cæli operationem tribuit Spiritui Dei, quaſi ipſe ſit tertium illud cęlum & gallina ſphęræ fixarum proximè incubans, & vires ei ad generationem infundens. Nam *Cæli viſibiles*, infit, *non producunt res in ſe genitas, niſi vis generatrix & viuificans iis indita, per Dei Spiritum excitetur.* Et tamen addit, *Qui locum habet in tertio præcipuè cælo.* Vnde lubricè & inconſtanter loquitur, vt neſcias, quæ mens aut cogitatio ei adfuerit. Probat enim tertium cælum ex actione quam in cælos inferiores, ad generationem omnium rerum, exercere debet, & tamen actionem illam Spiritui ſancto attribuit, qui in tertio cælo habitat. Si enim Spiritus ſanctus inhabitans (non verò ipſum tertium cælum) excitat ad generationem cælos inferiores, nullâ veri ſimilitudine probat ex illâ excitandi & viuificādi actione, tertium aliquod inuiſibile cælum duobus viſibilibus, inſtar gallinæ, incubare; niſi cælum illud ſit ipſe Spiritus ſanctus, cuius etiam incubitu, initio mundi fecundatæ ſunt aquæ. Nam aliàs Spiritus ſanctus, qui immenſus & per omnia diffuſus eſt, non indiget ad ſuam habitationem cælo aliquo corporeo inuiſibili, vnde in cælos viſibiles, ἐνεργείας & actiones ſuas ſpargat. Si dicas, Spiritum ſanctum aſſumere tertium iſtud cælum, tamquam inſtrumentum influxus in cælos viſibiles, rem obſcuriſſimam ſine vllâ probationis luce affers. Nam cælis ſidereis ſufficit concurſus Dei generalis ad perpetrandas rerum corruptibilium generationes, nec opus aut vllus vſus eſt, vt Deus alio cælo inuiſibili, tamquam inſtrumento generali vtatur, quo ſiderum omnium influentias excitet & adiuuet ad effundendas ſuas actiones in elementa mundi inferioris. Dicitur autem Spiritus ſanctus & Deus, *præcipuè in tertio cælo*, ſeu Empyreo, *locum habere*, quia beatis ibi faciem nudat,

Gen. 1.

Inconſtanter & lubricè loquitur Lansbergius de tertio cælo inuiſibili.

dat,& aſpectus ſui copiam facit, non quia inde per alias vniuerſi partes operationem ſuam diſpenſet. Nam quantum ad operationis ſuæ manifeſtationem, *in Sole*, potiùs quàm in tertio cælo, *tabernaculum ſuum poſuit*. Hoc enim *vas*, ſiue inſtrumentum illud *admirabile* eſt, ex quo præcipuè diuina potentia viſibilem ſuum effluxum in cælos & elementa diffundit. Denique in ipſis illis verbis quæ in excuſationem eius attuliſti, actionem & concurſum generalem, quo Spiritus ſanctus *renouat faciem terræ*, per nouorum animalium regenerationem, Phil. Lanſbergius vult eſſe tertij cæli ἐνεργείαν & operationem, quâ cæli viſibiles *destituti nihil operantur*. Quæ verba (niſi quæſitâ interpretatione aliò auertas) videntur iterum nihil diſcriminis interiicere inter Spiritum ſanctum & tertium cælum.

Pſal. 18. — Eccli. 43. — Pſal. 103.

Empyreum non reiicimus, ſed argumentũ oui & gallinæ, quo certò ſe illud probaſſe Lansbergius iactabat.

Itaque placet omnino tertium illud cælum Lansbergianum, hominum Angelorumq; beatorum à Deo deſtinata ſedes, modò corporale ſit, diſplicet verò tantùm oui & gallinæ argumentum cum hac tantâ certitudinis aſſeueratione prolatum: *Quàm euidens eſt, ouo productioni pulli intento, deſuper aliquid incubare à quo foueatur, tam certum eſt, duobus viſibilibus cælis, generationem quarumlibet rerum molientibus, tertiũ quaſi inſidere vireſq; addere.* Nec hoc eſt *ſacris Litteris, Patribus, & Theologis conſentaneum*, vt tu affirmas; etſi aliquod tale cælum immobile omnibus mobilibus ſupereſſe, illis conſentiat, ſed argumentis validioribus conſtruendũ.

Tandem *ſunt iſtorum Doctorum in diſputando artes & piæ fraudes*, inquis, *vt cùm in aduerſariis quod reprehendant, non habent, ſaltem aliquid ipſis affingant quod reprehendant.*

D. Auguſt. lib 3. c. vlt. contra Maximin. — Auguſt. Pſal. 80.

Hæretici mendaciis & fraudibus ſimplicem plebem à reditu ad Eccleſiam Catholicã auertunt.

Quæſo, mi homo, noli Caluiniſtarum & veterum omnium hæreticorum artes nobis transſcribere. Olim enim veſtrum hoc eſt: *Vt homines non intelligentes quomodocumque decipiatis, non tacetis*. Et alibi: *Vulpes, inſidioſos, maximeq; hæreticos ſignificant, doloſos, fraudulentos, cauernoſis anfractibus latentes & decipientes, odore etiam tetro putentes.* Extra tempus & locum iam eſt, fraudium veſtrarum comperta & aperta retexere, quæ verbi apud vos præcones de Eccleſiaſticis aut Religioſis viris, apud aures ignaræ plebis falsò confingunt, vt his μορμολυκείοις & puerilibus terriculamentis ſimplices animas à regreſſu in Eccleſiam orthodoxam abſterreant, vnde patres eorum malè diſceſſerunt. Errores aut crimina mendaciter alicui affingere, *fraus pia* nobis eſſe non poteſt,

teſt, qui vera etiam,ſed occulta detegere, in magnâ ponimus impietate. Parenti tuo nihil conſcij impoſuimus, ſed enarrauimus ſimpliciter, quid ipſe aut diſertè, aut fuſcâ & turbidâ elocutione viſus eſt pronuntiaſſe. Aliàs, Deo laus, *non ſum tam perditus* (cum magno illo Afro dicere auſim) *vt vltrò exagitem ſtili libidinem, quæ aliis ſcrupulum* aut crimen falſum *incutiat*. Tertull. lib.de Baptiſm.

Quòd me deinde *omni penè diuinitatis ſenſu deſtituis, elephanti corio circumtegis*, & inſtar Batti, in ſaxum, ô magne Mercuri, me deformas, negaſque *plus me ſapientiæ habere, quàm habeat lapis*, effusè rideo, eloquentiæ tuæ tam diu iam aſſuetus, & nimis falleris, ſi tam bellâ & eleganti lapidatione credidiſti cerebrum aut iram mihi excutere. Dum te etiam intus & in cute noſcito, non videris mihi quoque valdè * λεπτόδερμος, & ſcio cuius animalis tergus tibi inducam, ſi velim metamorphoſin tentare. Sed extra Muſas & Gratias nolim ſic ineptire.

* *tenuis corij*.

Obiter etiam & in tranſcurſu Theologiam quamdam Phil. Lansbergij notaueram, quâ aiebat, *bruta animalia, imò res omnes inanimas, ad ligna & lapides vſque, præſentis ſuæ vanitatis conſcias in diem illum* (mundi extremum) *perpetuò intentas eſſe, ſub ſpe quòd & ipſæ tum vindicabuntur ex ſeruitute interitus, in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Verba enim iſta, *bruta animalia, imò res omnes inanimæ, ad ligna & lapides vſque*, tam impreſsè poſita, videbantur ſignificare, bruta etiam animantia extremo illo mundi die, in meliorem & diuiniorem ſtatum reformanda, ac interpretari, quod ait Apoſtolus, *Creaturam liberandam à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim*, inquit, *quòd omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc*. Quaſi verò *omnis creatura* diſtribueretur, vt loquuntur Logici, pro omnibus rerum creatarum indiuiduis, ſpeciebúſve. Nam communis SS. Patrum & Theologorum conſenſus eſt, bruta, plantas, & mixta illa quæ mortalis tantùm huius vitæ vſibus deſtinata ſunt, decineranda & abſumenda igne conflagrationis, non transfiguranda formoſiùs in aliam ſpeciem. Vnde *πᾶσαν τὴν κτίσιν, omnem creaturam*, interpretantur *totum mundum*, ſiue *cælum & terram*, vt eleganter ex Pſalte & Iſaiâ enarrat D. Io. Chryſoſtomus. Tunc quippe erit *cælum nouum & terra noua*, non noui boues & elephanti. Mundus enim ille initio creaturæ à Deo conditus, & ſequentibus diebus, animalibus & plantis ceteriſque mixtis exornatus, id eſt, cælum &

Rom. 8. Pſal. 101. Iſaiæ 51. Apoc. 21.

elementa in quibus homines viuunt & nutricantur, particulam gloriæ filiorum Dei delibabunt; *quemadmodum nutrix*, vt egregiè D. Chryſoſtomus, *regium puerum educans, quàm primùm is paternum Principatum eſt adeptus, bonis & parte regiæ felicitatis ipſa etiam participatur.* Quòd verò affirmas, *animalia, lapides, & ligna*, apud Tertullianum quem citaui, *ad terram & elementorum cenſum pertinere*, ſcito te falli. Elementaria enim illa, non elementa ſunt; ideoque nec in cenſu & numero elementorum ab Afro illo comprehenſa fuere.

Simile etiam eſt Eraſmi, in loco illo Apoſtoli, interpretamentum (ſi fortè eius non ſpernis aut deæſtimas conſenſum,) niſi quòd ſub *creaturâ omni* Angelos quoque ambiat & includat, præter cælos & elementa. *Cùm videamus*, ait eius Paraphraſtes, *omnia mundi elementa tot vicibus variari, tot eſſe obnoxia corruptelis, Solem & Lunam, præterquàm quòd in rebus ſemper caducis reparandis pænè incaſsùm laborant, ſua ſentire deliquia; ſidera cum ſideribus pugnare: cumq́ dubium non ſit, quin vniuerſus Angelorum populus noſtras calamitates ex alto contemplans, pio quodam erga nos affectu commoueatur, & quoad licet, noſtris malis condoleſcat, nónne vniuerſa rerum natura nobiſcum gemit, ac parturientis in morem optat laborum ac dolorum finem?*

Eraſm. Paraphr. ad Rom. c. 8.

Non igitur Scripturam iſtam *ſordidè tractaui*, niſi etiam SS. Patrum & omnium paſſim ſacrorum Interpretum velis accuſare ſordes: neque *macræ meæ Theologiæ* (ſic enim me emacias, quia patris tui Theologiam *nimis pinguem* feci) *figmenta eſſe*, cernis, quod dixi, *Vulgare eſſe, nomine creaturæ, & mundi, intelligi cæli & terræ compagem, quam in principio temporis Deus ſtatim creauit, & ſequentibus diebus exornauit.* Vides deinde, *ex Phil. Lansbergij verbis* (quod negas) *magis conſequi, anſeres, equos, mulos reſurrecturos* & reformandos in extremo illo mundi funere, *quàm ex Apoſtoli contextu.*

Ant-ariſt. cap. 19.

Bruta in extremo die non vindicabuntur in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Quòd bruta finem mundi ſuſpirare ſignificas, propter *ſpem liberationis à ſeruitute interitus*, quam *rationem deſiderij eorum*, inquis, *addit Apoſtolus*, fruſtrà tendis, nam mox etiam ſubdit (quod aſtutè ſiluiſti) *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Brutis verò nihil de gloriâ illâ filiorum Dei communicabitur; igitur ipſa creaturis illis accenſeri non debent, quæ ad diem illum & gloriæ participationem anhelant. Nec hilum refert, quòd quamdiu currit hæc

vita

vita mortalis, bruta *ferè hominis nutu & arbitrio, morti quotidie adiudicentur*, vt ais: quia malunt nihilominùs inter pericula iſta viuere & eſſe, quàm omnino non eſſe. Nihil igitur cauſſæ habent, cur deſiderio diem illum ſuſpirent, quo funditus & æternum, etiam ſecundùm ſpecies ſuas, ſine ſpe reditus in lucem, interitura ſunt, ſed magis cur omni odio & deteſtatione abhorreſcant. Si etiam aliud quoddam ingenioſi Auguſtini præferimus interpretamentum, manifeſtius adhuc, veſtra *bruta animalia, ligna, & lapides* à deſiderio illius diei conquieſcere iubebuntur. Nam *omnem creaturam* non aliud eſſe interpretatur, quàm hominem, qui omnis creaturæ cinnus quidam eſt & veluti compendium. *Omnis creatura*, ait, *in homine eſt, quia & intelligit ſpiritu, & ſentit animâ, & localiter corpore mouetur. Omnis itaque creatura in homine congemiſcit & dolet. Non enim totam, ſed omnem dixit; tamquam ſi quis dicat, quoniam Solem omnes homines vident qui ſunt incolumes, ſed non toti vident. Ita in homine omnis creatura eſt, quia & intelligit, & viuit, & corpus habet: ſed non tota creatura in ipſo eſt, quia ſunt præter ipſum & Angeli qui intelligant & viuant & ſint, & pecora quæ viuant & ſint, & corpora quæ tantummodò ſint.* Et alij etiam Patres *omnem creaturam* eodem ſenſu & modo, pro homine apud S. Marcum accipiunt, *Prædicate Euangelium* πάσῃ τῇ κτίσει, *omni creaturæ*. Non enim anſeribus, equis, mulis, lignis, & lapidibus iuſſit prædicari.

D. Auguſt. lib. 83. quæſt. 67.

Homo quomodo omnis creatura.

Marc. vlt.

Tandem, vbi deformi gloſſemate doctrinam Apoſtolicam extra veram & communem SS. Patrum interpretationem detorſiſti, negas tamen Scripturas cereas, ſed adamantinas, ſi Deo placet, vos habere, & ea quæ vnicè in Eccleſiæ Catholicæ transfugas competunt, conaris in humeros noſtros recellere. Sed olim veſtræ ſunt iſtæ artes, vt veri criminis à vobis ſuſpicionem amoliamini, falſo alios aſpergere. Iuuat tamen oracula exaudire, quæ erectâ ceruice & ore rotundo fundis. *Vides*, inquis, *opinor, quàm tibi cereæ ſint Scripturæ ſanctæ, quantaq́ue eas ſocordiâ promiſcuè tractetis. Quod nemo mirabitur, cùm fugax vobis & fruſtranea neceſſariò eſſe debeat omnis de ſacris oraculis meditatio. Quippe qui communem controuerſiarum Iudicem, præter Scripturas, agnoſcatis. Cuius faſtidio ſi non arriſerit quidquid tandem laude & pietate dignum concepiſtis, quando vos offa monet, intercidere neceſſe eſt.* Rectè iudicaſti Chreme. Nos nimirum in ſacrarum Scripturarum tractatione ſocor-

ſocordes, quia aduerſus errorem, cautione ſapientiſſimâ muniti
Trident. ſeſſ. 4. ſumus, *Ne ſacram Scripturam ad noſtros ſenſus contorquentes, contra eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeamus.* Quippe etſi omnes legere, non omnes tamen intelligere ſacram Scripturam poſſunt. Cur ergo vis Iudicem vnicum illum habere, cuius in multarum cauſſarum controuerſiis ſententiam non ſatis vales intelligere? A cuius tribunali cùm actor & reus diſceſſerint, ſæpè neſcient, vtrùm ſecundùm hunc an ſecundùm iſtum ſententia pronuntiata erit? Et ſi ad tribunal eius reuertantur, vt ſententiæ ſuæ obſcuritatem, interpretationis aliquâ luce Iudex enubilet, nihil aliud tamen quàm ipſiſſima eadem nebuloſæ ſententiæ verba reſpondebit. Itaq; vt omnis lis & controuerſia tandem aliquando ſententiæ alicuius claritate finiretur, Chriſtus ſapientiſſimus Reip. ſuæ conditor, præter mutum Scripturæ Iudicem (Libri enim omnes muti Magiſtri appellantur) vocale ac viuum aliud tribunal in Eccleſiæ ſuæ vertice debuit erigere; cuius Præſes, mouente & regente intrinſecus Spiritu ſancto, dubium & inter contrarias ſententias fluctuantem ſæpè ſacræ Scripturæ ſenſum in vnam partem firmaret. Et nónne etiam ſat euidenti ſignificatione ad iſtum Iudicem Scriptura te remittit, cùm illuſtriſſimâ commendatione, Eccleſiam appellat
1. Tim. 3. *columnam & firmamentum veritatis?* Quomodo enim firmare infirmos & vacillantes poteſt, niſi in eâ aliquod tribunal eſt, quod lites, & Scripturarum pertinaci quandoque Interpretum contrarietate nutantium fluctus componat? Quàm enim id ſit neceſſarium, vel iſto textus Apoſtolici, de quo inter nos ambigimus, exẽplo euidenter tibi poſſum demonſtrare. Ais enim cum patre tuo,
Rom. 8. hæc Apoſtoli verba, *Creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit*, &c. de omni omnino creaturâ, etiam *vſque ad lapides & ligna*, accipienda eſſe. D. Chryſoſtomus & plerique, tantùm de *cælo & elementis*, quæ aſperſa aliquâ claritatis & incorruptibilitatis dote, in iſtâ nouitatis gloriâ perdurabunt in ſempiternum.
D. Auguſt. lib. 83. quæſt. 67. S. Auguſtinus *omnem creaturam*, hominem animâ & corpore conſtantem intelligit. Nec curat, quòd mox ſubiungatur, *Non ſolùm autem illa* (creatura) *ſed & noſipſi*. Sic enim enarrat: *Non ſolùm*

in

in homine corpus & anima & ſpiritus ſimul dolent ex difficultatibus corporis, ſed & noſipſi, exceptis corporibus, in nobiſipſis congemiſcimus.

Quid ergo agimus? Quis huius controuerſiæ finiendæ Iudex erit? Scriptura, inquis. Interroga igitur eam, quo ſenſu, *omnem creaturam ingemiſcere*, dixerit. Ecce obmuteſcit, & nihil aliud quàm quod ſcriptum eſt, idemtidem tibi recantabit, *Omnis creatura ingemiſcit*. Itaque niſi aliud tribunal à Chriſto in Eccleſiâ erectum ſit, ſine fine & remedio litigandum erit. Vos in ſenſu veſtro pertinaces eritis, nos etiam SS. Patrum doctrinam non deſeremus. An ad Spiritus ſancti priuatum inſtinctum (ita enim veſtri ferè ſolent) decurret is, & in capitello potiùs veſtro, quàm in Eccleſiæ Catholicæ Capite, & SS. Patribus habitare eum exiſtimabitis? O pulchelli & bellatuli, ſi ſic vobis blandimini & placetis! Quid ſi etiam opinionis iſtius veſtræ falſi, nec Spiritus ſancti myrothecium eſtis? Eum enim in vobis, potiùs quàm in nobis eſſe, nullâ ſacræ Scripturæ auctoritate, aut magno & vincente argumento probare poteſtis. Cernis ergo iam, ſi oculos non amiſiſti, omnem Eccleſiæ Chriſtianæ doctrinam in fluctum dari, & dum vnum Capitis Eccleſiæ tribunal declinatis, tot tribunalia condere, quot ſunt crania in veſtris capitibus. Et tamen *non eſt eiuſdem hominis*, clamat nobis S. Hieronymus, *aureos nummos & Scripturas probare, guſtare vina & Prophetas vel Apoſtolos intelligere*. Nam longè plures legunt, quàm valent intelligere. *Nec ſibi blandiantur*, ait idem ſanctus, *ſi de Scripturarum Capitulis videntur ſibi affirmare quod dicunt; cùm & diabolus de Scripturâ aliquid ſit locutus, & Scripturæ non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo*. Quid enim? Nónne hæreticis tam facile eſt, ex Scripturâ ſacrâ ſuas hæreſes, quàm Auſonio & cuiuis Poëtæ, ex caſtiſſimis Virgilij verſibus, alludente ſed diuerſo tamen ſenſu, nequiſſimum centonem nuptialem concinnare? Dicet doctus ille Afer. *Habent vim*, inquit, *& excogitandis erroribus felicitatem, non adeò mirandam, quaſi difficilem & inexplicabilem, cùm de ſæcularibus quoque ſcripturis exemplum præſtò ſit eiuſmodi facilitatis. Vis hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam componi, materiâ ſecundùm verſus, verſibus ſecundùm materias concinnatis? Denique Ouidius Geta Medeam Tragœdiam ex Virgilio pleniſſimè expreſſit. Meus quidem propinquus ex eodem Poëta inter cetera ſtili ſui otia, Pinacem Cebetis*

Neceſſitas alterius Iudicis in Eccleſiâ, præter Scripturas.

D. Hieron. Epiſt. ad Vigilant.

D. Hieron. contra Luciferian.

Tam facile eſt ex Scripturâ ſacrâ concinnare hæreſim, quàm ex caſto Virgilio impudicum centonem.

Tertul. cap. 39. de Præſcript.

tis explicuit. Homerocentonas etiam vocare ſolent, qui de carminibus Homeri propriâ operâ, more centonario, ex multis hinc inde compoſitis in vnum ſarciunt corpus. Et vtique fecundior diuina litteratura ad facultatem cuiuſcumque materiæ. Audis igitur, quantum referat, non tantùm Scripturæ ſonum, cuius olim eſtis maximè tinnuli & vocaliſſimi, ſed verum & Spiritus ſancti ſenſum tenere.

Atenim *in obſcuris*, inquis, *& difficilibus locis (qualis ille eſt quem tu nunc ſordidè tractaſti) maieſtatem Scripturæ ſacræ reueremur: malumuſq; ad mediocritatem ſapere, quàm vano opinionum vento circumduci.* O hominem derepente religioſum, & ſubmiſſum animi! Poſtquam acerrimè pro parentis tui gloſſematio, & vſque ad conuitia SS. Patrum (quorum interpretationes, *nugas* vocas) depugnaſti, obſcuritatem iam fateris, & mauis venerari, quàm interpretando errare. Sed quid facies, vbi non ſatis eſt ἀπέχειν & aſſenſum ſuſpendere, ſed fides alicuius Articuli obſcuri à te exigetur? Vnde petes legitimum ſenſum, cui te conſenſum dare oportet? Non enim ſolis Scripturæ ſacræ vocibus, ſed maximè ſenſui, in quem Spiritus ſanctus intendit, fides aſſenſum præbere debet. Vnde etſi per fidem Deo credamus, alio tamen Interprete eſt opus, qui Spiritus ſancti ſenſum & quid ipſe nobis loquatur, enarret; quandoquidem veritas ſæpè profunda & in imo abdita ſit, non in ſummo natet.

Cor. Ianſen. c. 8 69. 70. Spong.

Si tibi hæc raptim à me dicta non ſufficiunt, adi SPONGIAM Ex. & Eruditiſſimi Viri Corn. Ianſenij, Collegæ noſtri, quâ nuper Gisb. Voetij Notas deterſit, vbi rem iſtam diligentiùs pertractat, & (vt cetera omnia ſolet) eruditiſſimè. Sed ante omnia, videſis triginta trium quæſtionum Capitis VIII. nodos illos nobis diſſipes; nam niſi id in anteceſſum perfeceris, nemo prudens tibi credet, omnes controuerſiarum labyrinthos vnico ſacræ Scripturæ filo poſſe euadi.

Quid tibi etiam de *offâ* illâ Pontificiâ in mentem venit? Credíſne, mi homo, ſpe lucelli & beneficiorum nos in Fide Catholicâ & obedientiâ ſummi Pontificis retineri? Non exiſtimo te tam ſimplicis & murcidæ fidei, vt hoc exiſtimes. Nimis enim multos vides aut audis, qui nō ſolùm ſpem ampliorum, ſed ampliſſimas, quibus in ſæculo potiebantur, facultates, & ſæpè vnà generis nobilitatem, cottidie abiiciunt, vt in paupere Fraterculorum cœtu religionem puriùs colant, & onere iſto leuati altiùs in cælum & Deum

Deum mentem attollant. Vnde in Miniſtrorum veſtrorum caput potiùs hæc tua *offa* recidit; in quibus non rari (hinc præſertim profugi) quos offa & lucellum, quo numeroſam ſæpè familiæ pullaginem educare debent, inter vos & errores ſuos, ipſis quandoque non incompertos, defigunt, ne ad Eccleſiam Catholicam & veritatis lucem redire valeant. Quoſdam prætereà metus abſtinet, quia non propter virtutes ſuas hinc fugâ ad vos elapſi ſunt. Alios *ſuperbia hæreticorum mater* pertinaces facit, quia *mutare ſententiam*, vt de talibus quibuſdam Auguſtinus, *quam defendere nequeunt, erubeſcunt.*

Cur hæretici in errore ſuo pertinaces.

D. Auguſt. c.6 contra Epiſt. fund. lib.3. c.18. Ciuit.

Sed in iſtos & vos omnes, non iam *offam*, ſed validius aliud telum, cum magno meo gaudio & riſu, ſubminiſtras ex D. Baſilio; quod in nos ire putaſti, cùm tamen in ſimiles vobis torqueatur impreſſiſſimè. *Eſſe*, nempe, *manifeſtiſſimum infidelitatis argumentum, ſignumq́ ſuperbiæ certiſſimum, eorum quæ ſcripta ſunt, aliquid reiicere, & quæ non ſcripta ſunt, aliquid introducere.*

D. Baſil. de Fidei confeſſ.

Igitur vos iam infidelitatis & ſuperbiæ manifeſti, qui tantum cumulum ſacrorum voluminum (Libros Machabæorum, Eccleſiaſticum, Sapientiam, &c.) reiicitis. Nempe, *quibus fuit propoſitum aliter docendi*, inquit egregiè Tertullianus, *eos neceßitas coëgit aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuiſſent aliter docere, niſi aliter haberent per quæ docerent hæreſim.* Veſtri etiam numeroſis Scripturæ verſionibus multa finxerunt & refinxerunt, ac ſincera interpolantes, adulterina quædam interſperſerunt, quæ Catholici controuerſiarum Scriptores ſparſim colligunt. Hoc enim putate olim vobis dictum. *Iſta hæreſis non recipit quaſdam Scripturas, & ſi quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit: & ſi recipit integras, & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominùs diuerſas expoſitiones commentata, conuertit. Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus* (ô auream gnomen!) *quantum & corruptor ſtilus.* Pro nobis verò Catholicis iſtud veriſſimè. *Sicut illis* (hæreticis) *non potuiſſet ſuccedere corruptela doctrinæ ſine corruptelâ inſtrumentorum eius; ita & nobis integritas doctrinæ non competiſſet ſine integritate eorum per quæ doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in noſtris? quid de proprio intulimus, vt aliquid contrarium ei & in Scripturis deprehenſum, detractione, vel adiectione, vel tranſmutatione remediaremus?* Noua enim & propria dogmata non fingimus,

Tertull. cap.38. de Præſcript.

Cur hæretici negent aut corrũpant Scripturas.

Tertul. cap. 17. de Præſcript.

Tertull. cap. 38. de Præſcript.

mus, ſed Eccleſiæ Catholicæ olim communia, & à maioribus accepta, Scripturiſque ſanctis conſentanea cuſtodimus; vt proinde ad eorum defenſionem, nullâ ſacrorum codicum cæde, aut immiſſo ad interpolandum ferrumine nobis ſit opus. Apoſtolicas tamen quaſdam traditiones, quæ perpetuo & continenti ſæculorum lapſu in nos defluxerunt, præter Scripturas, SS. Patrum exemplo, recipimus. Quidni enim faceremus, cùm neque vos ſine illis eſſe poſſitis? Dic enim, quâ reuelatione ſcriptâ, & in Bibliis tuis expreſsâ, accepiſti, codices ſacros quibus nobiſcum vtimini, diuinæ, non humanæ eſſe auctoritatis? *Et quamdiu per hanc lineam ſerram reciprocabimus*, clamat eruditus ille Afer, *habentes obſeruationem inueteratam, quæ præueniendo ſtatum ferit? Hanc ſi nulla Scriptura determinauit, certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vſurpari quid poteſt, ſi traditum priùs non eſt?*

Tertull. cap. 3. de Coronâ milit.

Traditiones igitur, ſed à Scripturâ ſacrâ non diſſentientes, amplectimur, *omnem verò alienam à doctrinâ Domini vocem & ſententiam*, vt loquitur Libro illo quem citaſti Baſilius, ſpernimus, deteſtamur, & ſi *Angelus de cælo* nobis eam *euangelizet*, non audiamus. *Sumus* enim *traditione Apoſtolorum & Fidei ſimplicitate contenti.*

Galat. 1.

D. Baſil. lib. 1. contra Eunom. Apologet.

Tandem ad fabulæ tuæ exodium perueniſti, & excuſationem cantas, ſi nimis tragicus & feroculus in me fuiſti. *Quòd ſi tuâ dignitate & opinione*, inquis, *putas factum duriùs, vt olim Comicus, Reſponſum, non maledictum habe, nam læſiſti priùs*. Oh, nil duriter in me factum, mi Lansbergi. Lapides quos toto Libro loqueris, non ſanguinem ſed riſum mihi excuſſerunt, & iocos ſaleſque noſtros eodem tu, quæſo, ſtomacho digere. Fatui enim ſimus, ſi pro motu totius etiam elementi terræ, tranquillitatem animi noſtri moueri, & in iram & fluctus ire permittamus. Concordiam, inquam, Chriſtianam inter diſcordes & reciprocos diſputationum æſtus retineamus: & ſi coràm cerneres, quo vultu ego iſta tractem, totus ille, opinor, quo ſic in me intumuiſti ſpiritus, naſo tibi vniuerſus excideret. Quòd parentem à me læſum exiſtimas, falleris: doctrinam eius nimio vento turgidam, non ipſum propriè defricui.

Denique, quia calce calcem tuum hactenus triui, ad metam etiam perſequar, & ἀνακεφαλαίωσιν illam tuam, quâ res à te toto

Libro

Libro feliciter geſtas tibi & Muſis ceciniſti, contrariis tibi is recinemus.

ANACEPHALÆOSIS.

PRimò, *oſtendimus diurnum terræ motum improbabilem, fixarum verò & Solis probabiliſſimum, imò certum eſſe.*

Secundò, *argumenta pleraque* ANT-ARISTARCHI *hactenus inuicta eſſe, & veritatem, non tantùm veri ſpeciem habuiſſe.*

Tertiò, *Scripturas ſacras penè, vt minimùm, euidenter motum diurnum telluri adimere, & Soli ac cælo reddere.*

Quartò, *motum terræ in Eclipticâ vanum, & horologium cæleſte ex ſuperuacuo nouâ hac terreſtri rotâ onerari.*

Quintò, *rationes quibus* ANT-ARISTARCHVS *terræ motum in Eclipticâ oppugnat, pugnaciſſimas eſſe, & euincere.*

Sextò, *ſtatu terræ, Solis verò ac ſiderum motu, Dei gloriam & benignitatem, qui totum cæli horologium in vſum hominis cottidie tantâ rapiditate reuoluit, mirificè celebrari; ac pias meditationes hoc vero & ſolido fundo conceptas, pleniùs & diuiniùs mentem paſcere, quàm quæ aluntur vanâ & inani Nic. Copernici imaginatione.*

Ex quibus igitur omnibus, ad maiorem Dei Conditoris, æternæ & ſapientiſſimæ Veritatis, Bonitatiſque infinitæ gloriam, concludimus

TERRAM IN MVNDI CENTRO QVIESCERE, SOLEM ET SIDERA IN EIVS ET HOMINIS MINISTERIVM MOVERI ET CIRCVMCVRRERE.

Louan. v. Id. Auguſt. CIϽ. IϽC. XXXIII.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXXIV.


LABORE ET CONSTANTIA.

Ecloghe [illegible] II, 136
— e argomento " 140

[illegible] I, 2